




REGNUM
DEI ET
JUSTITIA



WENCESLAI TRNKA
DE KRZOWITZ
S. R. I. EQUITIS MEDIC. DOCT. IN REG. UNIVERS.
PESTIN. PRAX. MED. PROF. P. O.


HISTORIA HÆMORRHOIDUM

OMNIS ÆVI OBSERVATA
MEDICA CONTINENS.

VOLUMEN I.

OPERIS POSTHUMI
EDITIONEM PROCURAVIT
FRANCISCUS SCHRAUD
IN EADEM UNIVERS. INSTIT. MED. PROF. P. E.

VINDOBONÆ,
APUD CHRISTIAN. FRIDERIC. WAPPLER.
MDCCXCIV.





Lectori benevolo

Franciscus Schraud

S. P. D.

Quam cl. WENCESLAUS TRNKA primarius quondam apud nos rerum medicarum Profeſſor inivit rationem excolendarum privata etiam lucubratione earum diſciplinarum, quas ſummo non minus cum emolumento auditorum ſuorum; quam inſigni nominis ſui ad patriæ proceres commendatione publice profitebatur; eam tanta & adornavit mentis perſpicacia, rerumque multiplicium comprehenſione; & executus eſt adcuratione, patientia, aſſiduitateque laboris, ut & obtrectatorum, qui primorum ut præcipue ſolent viri cl. laborum dignitati variis artibus intercesserant, brevi repreſſerit invidiam, & bonis omnibus non mi-

nus

nus ſatisfecerit per ea, quæ ſunt ab ipſo profecta; quam plurium ſimilis doctrinæ ſpeciminum deſiderium commoverit.

Solent, qui aut novis rebus inveniendis, aut certe expoliendis, aptandisque veteribus amant inclareſcere, cumque ingenio ferace rerum talium præcipuam ſe aliquam divinitatis particulam profiteri gloriantur; ſolent, inquam, hi minus magnifice de iis ſentire, qui, quæ promiſcue ſunt ab aliis inventa, atque propoſita, ipſi ordinata ſerie componunt, & omiſſis, quæ inuentis ſuis illuſtrandis, ornandisque una quæque ætas affudit dilucidandi, explicandiqne argumenta, poſteriorum temporum lectoribus ob mutatam idearum communium, atque obviarum conditionem tædio, moleſtiæque futura; ſumma ſolum rerum ipſarum capita, æquabilis, perpetuæ veritatis, nullasque adeo ob ſeculorum viciſſitudines magis, aut minus gratioſa, civibus ſuis ſcienda, memorandaque proponunt. Et tamen Maximilianus Stollius ſummus ut obſervandi magiſter;

ita

ita inveniendi artifex non dubitavit publice exoptare, ut omnium ætatum de omnibus rebus medicis inventa Trnkaiano calamo ſcriberentur: ſapienter, ac honeſte confeſſus, non minus valere judicium debere in cenſenda inventorum veritate, dignitateque; quam ingenium in inveniendo.

Itaque cum vir cl. WENCESLAUS TRNKA ſcriptam ſua ipſius manu, omnibusque paginis multo ante; quam e vivis decederet, abſolutam de ani in primis hæmorrhoidibus hiſtoriam duobus voluminibus comprehenſam reliquiſſet; cum idem de ea ſæpius ad familiares profeſſus eſſet, ſe ſibi ſupra; quam usquam alias, hoc in opere ſatisfeciſſe; cum denique vel hoc ipſo, quanti cum ſuum laborem faceret, teſtatum prodidiſſet, quod codicillo ſancitum voluit, ut is bibliothecæ univerſitatis noſtræ muneri, pignorique perpetuo ſui in hanc animi traderetur; non dubitavi fore, ut bene videar de re literaria mereri, ſi qualemcunque meam operam in hiſtoria illa ty-

pis

pis edenda collocarem, caveremque, ne optimo opere præstantissimi auctoris orbis literarius careret. Quo edendorum viri cl. posthumorum facto initio si intellexero gratiam me apud studiosos, curiososque rerum medicarum inivisse, ad edendam hæmorrhoidum vesicæ historiam ab eodem concinnatam, bibliothecæque nostræ manuscriptis additam, & nonnullas fortassis inaugulares dissertationes, quas vir cl. non solitus est perfunctorie scribere, gradum sum facturus. Vale

Scribebam Pestini Kalendis Martiis MDCCXCIII.

Præ-



Præfatio.

Tria præprimis ſunt, opinor, quæ hæmorrhoidalem in morbum a me impræſentiarum in lucem prodeuntem cadunt: frequentia, gravitas, varietasque in affligendo. Ad primum omnium animum advertenti continuo apparebit, vix ullam aliam ægritudinem e diuturnarum cenſu tam eſſe mortalibus popularem quam ſunt hæmorrhoides: cujus equidem frequentiæ cum numeroſæ ſint cauſæ, tum principes illarum omnino ſunt labes a majoribus accepta, & vulgata jam exlex vivendi ratio. Hinc paucos reperire eſt, qui nullos unquam

hujus

hujus mali ut minimum nisus experti fuissent. Tacita me sæpe tenebat admiratio, dum ægri me consulentes per initia ne eminus quidem hæmorrhoides suspicatum, deinceps vero in symptomatum examine pedetentim progressum, demum pene inscientem ac velut invitum in hæmorrhoidum adyta deduxere. Frequentiam porro gravitas morbi si non superat, certe exæquat, sive ad symptomatum numerum juxta, ac vehementiam, sive effecta, multiplicemve illius eventum respexeris. Gravissimæ profecto sunt sæpenumero hæmorrhoides, dum eruptionem facere moliuntur; graviores etiam, dum perpetim, nimioque impetu feruntur; ac ne hilo quidem leviores, ubi vel per ætatem, vel aliunde injecta mora receptui canunt, ut lectione hujus libri satis superque constabit. Varietas denique in affligendo tanta est, ut non abs re mirari subeat, unum eundemque morbum tot schematibus ab se etiam maxime diffidentibus lacessere posse, quod nec PROTEUM nec MESTRAM

ERY-

ERYSICHTONIS unquam induiſſe memoriæ proditum eſt : nihilo tamen ſecius haud alius quisquam morbus usque adeo a medicis ſusquedeque eſt habitus, ut alii indolis ejus haud pro eo; ac par erat, gnari omnem illius vim, ac poteſtatem tanquam nubem pro JUNONE oblatam contemptui habentes illum ubique reprimendum ac velut in ſemine, quoad ejus fieri poſſit, ſuffocandum, alii contra parum diſpicientes, quid ſymptomaticas inter, atque inſalubres, & criticas hæmorrhoides interſit, easdem nunquam non promovendas fovendasque eſſe contenderint, oppidoque pauci fluxum hunc vel provocandum vel abigendum juſtis circumſcripſerint limitibus. Quantum vero a prioribus illis ægri capiant detrimenti, non eſt, cur multis id verbis perſequar: id unum hic pro humana fide, juſtitiaque ſilentio mihi prætereundum eſſe non arbitror, perperam STAHLIO, ejusque discipulis, viris longe clariſſimis, crimini dari, quaſi vero illi cum prolixius ab ſe elaborata hæmorrhoidum doc-

doctrina, nescio quid, novi monstri, ac saluti humanæ damnosi in medicinam invexerint, effecerintque, ut & pene omnes hodie morbi pro symptomatibus hæmorrhoidum habeantur, & idcirco etiam hæmorrhoides crebrius, quam oporteret, provocentur; quod calumniæ genus STAHLIO ejusque sequacibus præsertim A. HAEN (*a*) objecit: „d. STAH-„LIUS (verba sunt ejus) vir siquis alius in „chemicis versatissimus, speculationibus autem „in medicina supra modum deditus, mutatæ „hac in parte medicinæ non experiundo, sed „speculando exstitit faber, quem mox schola „ejus tota, in eaque principes JUNCKER, AL-„BERTI, &c. secuti sunt. Suspectum vel ideo „dogma, quod d. STAHLIUS ut alibi passim, „ita disertis repetitisque sæpius verbis in „Epistola ad d. ALBERTI (*b*) palam fateatur, „om-

(*a*) Thes. pathol. de hæmorrhoidib. Cap. 4. §. 2. 3.

(*b*) Hujus tractatui de hæmorrhoidib. præfixa.

„omnesque palam fateantur STAHLIANI, no„vum plane, insolitum, inauditumque dog„ma esse. Equidem stat laus sua, honosque „novis in medicina observatis, quæ ejusdem „pomœria extendant, illustrent, obscura, du„bia firment: sed ea jure vituperes, quæ ne„dum experientia nata, sed eidem penitus „adversa reperiuntur.“ Pergit dein per exempla ostendere velle, quæ objecit. Verum pace HAENII dixero, haud satis illi mentem ac doctrinam STAHLII fuisse perspectam. Mihi quidem HAENIUS magister olim in medicina obtigit; cui me multa salutari in arte debere gratus profiteor; sed DEO. T. O. M. in acceptis refero, me ita a natura esse effictum, ut nullius magistri in verba jurare in animum induxerim. STAHLII sane ejusque sequacium sedulæ lectioni; non HAENII thesibus debeo, quod de hæmorrhoidum morbo novi: quapropter integro ab assentatione, præjudiciis, odiisque animo tuebor, quod sentio. Audiamus itaque speculabundum illum sine experi-

entia

entia (quam ei HAENIUS contra omnem humanam fidem controvertit) fabrum STAHLIUM (*a*) de hæmorrhoidibus loquentem: „Sicut... „temere, (inquit ipſe) hæmorrhoides aſſuefa„cere, quamdiu ſpes eſt, generaliori modo „incommodis eorum occurendi, aut ubi prorſus nihil id urget, non minus inſanum fue„rit, quam in temeraria pericula conjectum „velle, cum ſemper dubius fere ſit hæmorr„hoidum ſucceſſus, & conſequenter etiam „eventus, neque careat malorum ſucceſſuum, „adeoque variorum incommodorum ſuſpicio„ne: ita contra, ubi jam aſſuefactæ vigent, „certior nulla eſt via, quam promotio ea„rundem, ut nulla præſentior noxa & ſuc„cedentium ſpasmodicorum pathematum in„vitatio certior, quam a temeraria talium ſup„preſſione." Prolixe id ipſum poſtmodo disci-

(*a*) Diſſ. de motu ſanguinis hæmorrhoidali, & hæmorrhoidib. externis. Cap. 10. pag. 29.

cipulus ejusdem M. ALBERTI cum ſæpius alias (*a*) tum præſertim ſingulari diſſertatione edita *de hæmorrhoidum ſalubri & inſalubri promotione* (*b*) inculcavit. At enim vero dixitne vel alia, vel plura, vel ſaniora, vel certiora his ipſis HAENIUS? Quid ergo? Nihilne hic aut novi, aut hæreſcos a STAHLIANIS? nihil prorſus! Id tantum dederunt operam, ut ex veterum ſuisque obſervatis oſtenderent, 1mo) hæmorrhoides morbum eſſe inter mortales vulgatiorem, quam plerisque medicis in mentem veniat 2do) diagnoſin planiorem, videntes hæmorrhoidum molimina toties cum aliis confundi morbis ingenti ægrorum damno, ac discrimine: 3tio) therapiam, quæ id temporis a bene multis per calida acriaque in-

ſtitue-

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidum præſervatione (4to Halæ 1727. Reſp. I. M. SCHWARTZ). §. 3. p. 15. & diſſ. de hæmorrhoidib. longævitatis cauſa. §. 28.

(*b*) §. 1. p. 8. (4to Halæ 1726. Reſp. I. C. WOYT.)

ſtituebatur, eſſe ſumme noxiam, denique ut 4to) colligerent omnia, riteque digererent, quæ ad illorum usque ætatem de hæmorrhoidibus ſparſim in monumentis medicis exſtabant. Quod ſi forte nonnulli proprio ſuo errore neceſſariam hanc doctrinam in praxi juſto latius protulere, id his ipſis; non STAHLIO viro in therapia cautiſſimo, ac vere HIPPOCRATICO, ut nemo vel BOERHAVII vel HAENII aſſeclarum magis, eſt imputandum. Neque jactat STAHLIUS ſe neſcio quid plane novi, inſoliti, inauditique ad medicinam attuliſſe; ſed ipſi (*a*) „in aliquibus paſſibus „quaſi nova quædam res eſt" non reapſe nova, niſi quod afferat (*b*) neminem ſibi innotuiſſe, qui ante ſe de motu hæmorrhoidali i. e. de moliminibus hæmorrhoidum luculentam

(*a*) Diſſ. de vena portæ porta malorum &c. (4to Halæ 1705. Reſp. I. P. GÆTKE) Sect. 3. p 46.

(*b*) Epiſt. cit. ad M. ALBERTI.

tam dediſſet doctrinam. In hocne tantum eſt hæreſeos? Id quidem nemo præter HAENIUM tuendum ſuscipiet, præſertim cum plurimorum annorum attentæ obſervationes docuerint, STAHLIUM hic veriſſima docuiſſe. Inficiandum me hercle non eſt, STAHLIUM ejusque discipulos, ac præſertim M. ALBERTUM in illuſtranda hæmorrhoidum doctrina non pœnitendos inſumſiſſe conatus; et ſi forte novi quid iis aſſerere velimus, omni certe jure doctrina hæmorrhoidum albarum ad eos pertinebit, quarum etſi pauci aliqui multo ante meminerint, ordinata nihilo minus doctrina illarum ſolis debetur STAHLIANIS. Interea tamen cum illi omne hoc penſum in ſolis propemodum vel diſſertationibus academicis, vel tabellaribus enchiridiis, vel epicriſibus ad ſingulares caſus clinicos complexi ſint, infinitaque jam exſtent, quorum lapſa tempora ad hæmorrhoidum hiſtoriam acceſſionem fecerunt, pro more inſtitutoque meo collegi univerſa, & in planum, perſpicuumque

que redegi ordinem; apud eos initurus (nisi me animus fallit) gratiam, queis nec ætas, nec magistri, nec libraria suppellex, nec experientia propria horum omnium copiam hactenus fecit.

SERIES

SERIES OPERIS.

PARS I.

§. 8.

 d) He-

α) Con-

d) Ven-

I. Tu-

II. Cœ-

1. Ne-

4. Pa-

e) Po-



HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM.

PARS I.

DE INDOLE AC VARIETATE HÆMORRHOIDUM.

CAPUT. I.

DEFINITIO.

§. I.

HÆMORRHOIS (αἱμοῤῥοῒς ex αἷμα *ſanguis* & ῥέω *fluo*) vi nominis quidem haud ſecius ac αἱμοῤῥαγια quemlibet ſanguinis fluxum ſignificat, verum ab HIPPOCRATE ceteriſque medicis Græcis & hæmorrhoidis, & hæmorrhagiæ vocabulum ita pene ſemper uſurpatur (ſi paucas quaſdam ſententias exceperis,) ut iſto fluxum ſanguinis e naribus; illo ex ano intelligant: quod ſi is aliunde; quam ex ano, naribusve (ut ex veſica urinaria, utero &c.) accidens veniat indicandus, nunquam non veteres ad hæmorrhagiæ vocabulum ſimul partis illius nomen adjicere conſueverunt,

 unde

unde ſanguis erumpit, neque unquam hæmorrhoidis nomen apud illos hocce eodem in ſignificatu eſt reperire. Teſtem ejus rei habemus GALENUM (*a*) ſcribentem: „vos me„miniſſe puto ex aliis membris ſanguinis „profluvia (Hæmorrhagias) cum loci appella„tione ſemper dici; ex naribus vero nonnun„quam & ſine particulæ appelatione ſangui„nis profluvium ſimpliciter nominari.“ Clarum, id omnino aſſertumque eſſet ni GALENUS alibi (*b*) aut quisquis ille ſit finitionum illarum auctor, novam rei ambiguitatem conciliaſſet dicens: „hæmorrhagia — Effuſio „abundans eſt ſanguinis — Differt hæmorr„hagia ab hæmorrhoide; quia hœmorrhagia „abundans effuſio (ut diximus) ſanguinis; „hæmorrhois autem delatio ſanguinis eſt per „diſſolutionem, ac paulatim facta“. Interea nemo non intelligit diſcrimen hoc & nauci eſſe, & GALENI experientia indignum, & apud Medicos Græcos nuſpiam uſurpatum. Hæmorrhagia quidem recte dicitur liberalis ſanguinis unde eruptio; id tamen haudquaquam eatenus eſt accipiendum, quaſi vero hæmorrhois exilem, ac lentam ſanguinis vacuationem denotaret; iſthanc enim HIPPOCRATES (*c*) nuspiam Vocabulo hæmorrhoidis

(*a*) In Hippocrat, epidem, L. 6. S. 3. II. 18. Comment. 3 text. 25.

(*b*) Finition. medic. ad calcem.

(*c*) Vid. A. Foësii æconom. HIPPOCRAT. p. 350.

hoidis compellavit, verum στάξις vel ἀπόσταξις (id eſt ſtillicidium,) nomen illi eſt. Quæ cum ita ſint, mirari ſubit interpretum COI tantam in traducenda hæmorrhoidis voce ambiguitatem ac diſcrepantiam, ut id prolixe A. HAEN. (*a*) oſtendit.

§. II.

Verum hæmorrhoidis notio ulterius etiam profertur, medicique hoc nomine non modo ſanguinis ex hæmorrhoidalibus vaſis profluvium, ſed omnem etiam p. n. niſum ſanguinis per vaſa hæc erumpere molientis intelligunt. Ipſe ſane

COUS (*b*) nomen hoc ad varices etiam hæmorrhoidales tranſtulit, de quibus A. C. CELSUS (*c*) perinde agens „ tertium — ani „ vitium (ait) eſt, ora venarum tanquam ca- „ pitulis quibuſdam turgentia, quæ ſæpe ſan- „ guinem fundunt, αἱμορροΐδας Græci vocant, „ idque etiam in ore vulvæ feminarum incidere conſuevit.“ Unde etiam G. E. HAMBERGIO (*d*) hæmorrhoides ſunt „ affectus ani —

 qui

(*a*) Theſ. pathol. de hæmorrhoidib. C. 5. §. 12. Nro. 3. p. 88. ſqq.

(*b*) Lib. de Hæmorrhoidib. p. m. 891. ſqq.

(*c*) De Medicina Lib. 6. C. 18. Nro. 9.

(*d*) Diſſ. expon. Doctrinam general. de hæmorrhoidib. (4. Jenæ 1745. Reſp. C. H. SCHNELL. §. 1.

„qui a sanguinis impetu majore, quam est „resistentia vasorum sanguiferorum ano vici„norum, proxime oriri solent, adeoque „vel per hæmorrhagias, vel per stagnatio„nes sanguinis in Vasis hæmorrhoidalibus, cir„ca finem intestini recti sitis se se exerunt.“ Cum tamen hæmorrhoidalia Vasa non ad solum rectum intestinum abeant; verum aliqui illorum rami ad Vesicam etiam, vel Vaginam Uteri commigrent, neque secius ex his, quam illis tam varices hæmorrhoidales, quam sanguinis fluxus nascatur; & cum porro eveniente ex his vasis fluxu non semper sanguis, sed interdum etiam mucus (serum,) unde albæ hæmorrhoides dictæ,) &c. erumpere cernatur, necessum est, ut definias: hæmorrhoides esse *spontaneum sanguinis, mucive serosi, autichorosi ex Vasis hæmorrhoidalibus profluvium vel præsens vel imminens.* Quoniam vero a potiori; (ut ajunt) fit denominatio, fluxusque hic potissimum ex ani Vasis accidit, isque sæpissime sanguineus; ea propter haud male dicentur hæmorrhoides esse spontanea Ani *hæmorrhagia præsens imminensve.*

CAPUT II.

GENERA.

§. III.

GENERA *hæmorrhoidum* a vario illarum qua imminentium, qua fluentium statu desu-

ſumuntur, eorumque Varietatem determinant.

1. Vaſa affecta,
2. Organum ea recipiens,
3. Niſus ſanguinis in illa varius,
4. Typus morbi varius,
5. Cauſa,
6. Status morbi.

§. IV.

I. *Vaſa*, unde hæmorrhoidalis fluxus imminet, vel procedit, ſi ſpectemus, continuo occurret dubium, arteriæ, an Venæ ſint? Multum a claris Viris hanc in rem diſceptatum eſt, Venas aliis, aliis arterias, aliis arterias juxta ac Venas, tuentibus; nec deſunt pro quavis harum Sententiarum probabilia rationum momenta: quibus enim hæmorrhoides non Venoſæ; ſed

1. *Arterioſæ* proſapiæ eſſe viſæ ſunt, his potiſſimum rationibus opinionem ſuam tuentur.

a) Hæmorrhagia omnis vel rhexi fit, vel anaſtomoſi, neutrum autem iſthic ſanguis Venoſus efficere valet, juxta I. D. SANTORINUM (*a*) G. E. HAMBERGERUM (*b*) E. I. NEI-

(*a*) Opuſcul. med. 3. §. 14. p. 159. ſq.
(*b*) Diſſ. cit. §. 14.

NEIFELDIUM (*a*) aliosque quandoquidem nullæ Capillares Venæ suis Osculis in cavum intestini recti abscissæ hiant, quarum anastomosis hæmorrhagiam causaret; nec rhexis Venarum locum habet ob motum sanguinis ab apice versus basin, & e Venis angustioribus semper in capaciores. Si enim id genus rhexis locum haberet, tunc I. A. WEDELIO (*b*) notante sanguis Venæ portæ ab hujus trunco deberet motu retrogrado urgeri versus ultimas radices venosas in spuriis intestini recti glandulis incipientes, visque hæc deberet prævalere vi cordis, & arteriarum sanguinem progressivo motu in hæc Venarum initia pellenti; nemo vero hactenus ejusmodi vim vel posse dari, nedum existere, probavit: idcirco hæmorrhagia ani nullatenus Vasis hæmorrhoidalibus venosis; sed arteriosis tribuenda est. Contendunt porro arteriarum patroni: hæmorrhoidum fluxus, si ex venosis Vasis accideret, sæpe numero perquam profusus, imo letalis, esse deberet, eo quod Venæ læsæ non ita sese; atque Arteriæ contrahere, fluxumque cohibere valeant: cum autem admodum raro nimius hæmorrhoidum fluxus eveniat, liquido inde colligit NEIFELD (c) profluvium a Venis haudquaquam

(*a*) Abhandlung von der goldenen Ader §. 43. Sqq.
(*b*) Diss. de hæmorrhoidib. (Resp. I. A. WISLICENO 4to. Jenæ 1727. §. 43. p. 17.
(*c*) l. c. §. 44. p. 21. sq.

quam esse repetendum, arteriisque potius deberi.

b) Tubercula quoque hæmorrhoidalia non esse necessario pro Varicibus Venarum hæmorrhoidalium habenda censet. A. DUNCAN; (a) siquidem etiam a Sanguine in cellulosam Recti effuso ab arteriis generari possint, id quod & anatome verum esse confirmavit. Neque absonum etiam est, quod G. E. SCHMID (b) tuetur, capillares nempe arteriolas ob tunicarum suarum tenuitatem Venosis haud magnopere inferiorem, posse æque facile in id genus tubercula distendi, sicque vel anastomosi, vel rhexi illarum eveniente sanguinis oriri profluvium, ut fit in hæmorrhagia narium, Uteri &c. Hoc profluvium sua sponte cessaturum, postquam affluentis ad ea Vascula sanguinis impetus, & copia fuerint imminuta. Huc accedit, quod tubercula hæc non raro ex inflammatione atrocissimum creent dolorem, distensioni solarum Venarum nullatenus adscribendum, quem arteriæ capillares plerumque excitare consuevere. Atque hæc sunt, quæ pro arteriosis hæmorrhoidibus & contra Venosas adferri solent. Quibus autem hæmorrhoides.

2. *Veno-*

(a) Casu medico q. p. m. 86.

(b) Diss. sist. Virum apoplexia exstinctum ab hæmorrhoidum inconsulta suppressione (4to. Altorf. 1723.) §. 5. Sqq.

2. *Venosæ* indolis esse censentur, ii tam fluxum; quam tubercula hæmorrhoidalia ad Venas referre malunt propterea, quod

a) Tubercula dicta ut recte observat I. BOHNIUS, (*a*) per omnia Varicum venosarum habitum præseferant, (ut docet Color e rubro lividus, &c.) nihilque anevrismatici prodant; quippe quæ pulsu in anevrismatibus percipiundo careant (nisi forsan pulsatilis dolor ab inflammatione superveniat,) & Sanguinis ex iis sponte vel arte apertis eruptio sine jactibus (ut in arteriis læsis,) sed æquabili tenore, more hæmorrhagiarum Venosarum, fieri observetur. Tubercula hæc eo etiam certius ad Varices esse referrenda videntur, quod in majoribus hæmorrhoidalium Venarum ramis a morte plures Varices reperiri soleant. (*b*) Neque dolor atrox & inflammatio plus pro arteriis; quam Venis militant; quandoquidem utrumque hoc malum ii non raro perinde grave experiuntur, qui Crurum varicibus conflictantur.

b) Fluxus vero, cur e venis hæmorrhoidalibus accidere non possit, haud dum satis evictum est, nam etsi per anastomosim contingere utique nequeat, rhexi certe illum evenire

---

(*a*) Diss. de Hæmorrhoidib. Cæcis (Resp. I. I. HERING 4to Lipsiæ. 1694.) §. 3.

(*b*) MORGAGNI. de sedib. & Caus. morb. Epist. 32. Nro. 10.

evenire posse facile conficitur. Quemadmodum enim crurum varices nimium sanguine venoso distentæ sponte sæpe, vel a minima certe vi applicata, crepant: ita etiam hæmorrhoidalibus varicibus a scybalis transeuntibus easque comprimentibus accidit. Sed unde, inquiunt, varices? Hæ enim in valvulosis tantum venis enasci possunt; hæmorrhoidales autem venæ externæ, etsi valvulis præditæ sint, internæ tamen, de quibus maxime res agitur, illis omnino carent, cum ad systema venæ portæ valvulis destitutum pertineant. Verum difficultati huic facile occurritur: „nam A. Q. RIVINVM (*a*), si audias, „intelliges minime . . . totam venam portæ „valvulis destitui, sed tantummodo ramifi„cationes intra hepar se expandentes, utpote „quæ sanguinem propellunt, & arteriarum „vices sustinent, illis carere. Propagines ve„ro ceteræ sive a visceribus, sive a ventri„culo, sive intestinis seu aliunde advehant, „omnino istis instructæ cernuntur, & præci„pue vena hæmorrhoidalis; quippe quæ in„ter omnes intestinales maxima seu capacis„sima, dum sanguinem ab extremitatibus in„testinorum ad hepar colligit ac deducit, „iisdem minime destituitur (*b*). De cetero, „dum

---

(*a*) Diss. de hæmorrhoidibus apertis (Resp. M. I. C. KÜCHLERO. 4to. Lips. 1709.) §. 8. p. 9.

(*b*) Vid. HARV. de circul. sangu. p. 121. RIOLAN, enchirid. anatom. de valvul. venar. p.

„dum eædem venæ hæmorrhoidales nodoſas „intumeſcentias, quas varices medici alias „appellant, ſub nomine hæmorrhoidum cæ- „carum frequentius ſuſtinent, ipſæque hæ in- „tumeſcentiæ tandem ruptæ fluentes, ſeu „apertas conſtituunt, eas valvulis gaudere „ſatis probabile fit." Et quid ſi pro varicum geneſi ne valvulis opus ſit? Cum itaque fluxum hæmorrhoidum venoſis ex vaſis accidere poſſe nil obſtet, ſi alia inſuper phænomena hujus fluxus attente expendantur, illa hunc magis e venis quam arteriis proficiſci perſuadent. Namque iſte vix unquam ſine tuberculis præviis accidit, ut proinde ex illorum rhexi (i. e. ex varicum ruptura) ſemper eum contingere merito cenſendum ſit; quod ſi per anaſtomoſin arteriolarum eveniret, nihil ullis tuberculis præviis opus foret. Imo inermi plerumque oculo hiatum in conſpicuis his varicibus detegere eſt, unde ſanguis hæmorrhoidali ſub fluxu ſcaturit. Porro fluxus hic notante STAHLIO (*a*) non eſt hæmorrhagia perennis (ut in arteriarum anaſtomoſi, ubi hæc non prius conquieſcit, quam immi-
nuto

---

106. BARTHOLIN. anatom. reform. Lib. 1. Cap. 2. & 3.

(*a*) Diſs. de motu ſangu. hæmorrhoidali, & hæmorrhoidibus externis (Reſp. H. S. JUCH. 4to Halæ 1698) Cap. 3. p. 9.

nuto ſanguinis ad eas impetu & copia illæ ſe ſe denuo contrahere valeant), ſed per vices reſuſcitabilis, & ut plurimum ſub egeſtione alvina, dum nempe varices a fece alvina transeunte compreſſæ crepant identidem. Qui igitur ſingula hactenus dicta expenderit, ne ille hæmorrhoides ad venas magis, quam arterias referet; ut ut inficiandum non ſit, fluxum hæmorrhoidum etiam ab arteriolarum hæmorrhoidalium anaſtomoſi aliquando produci poſſe, quod A. HAENIO (*a*) admodum probabile viſum eſt. Quod autem NEIFELD raro immodicum hæmorrhoidum fluxum accidere aſſerat, idque ab arteriarum contractione poſt moderatam depletionem vaſorum repetat; alioquin vero, ſi ex venis flueret ſanguis, enormes hæmorrhagias ſæpius, nec raro letales, metuendas fore (quod nempe venæ læſæ haudita, atque arteriæ, contrahere ſe ſe valeant) contendat, id certe tanti non eſt; quis enim caſuum hæmorrhoidalium, qui apud auctores exſtant (*b*), gnarus ignorat, immodicum hæmorrhoidum fluxum haud ita rarum eſſe, atque illum ſibi nobisque perſuadere vult NEIFELD? Et ſi arteriarum contractilitas in cauſa eſſet, quo minus fluxus hic nimius evaderet, cur nihilo minus iſte toties, imo letalis etiam (*c*), accidit? Arte-

---

(*a*) l. c. Cap. 1. §. 9. p. 5. ſq.

(*b*) Vide §. 49. Nro. 2.

(*c*) Vide §. 117. β.

teriarum ſane patroni plures difficultates exhauriendas habent, quam qui pro venis ſtant.

§. V.

II. ORGANA, per quæ vaſa hæmorrhoidalia diſtribuuntur, perinde varia hæmorrhoidum genera ſuppeditant; hæc inter

a) *Ani hæmorrhoides* primas tenent; quandoquidem hæmorrhoidalia vaſa vel maxime ad inteſtinum rectum pertinent, iſtudque etiam ab hæmorrhoidali morbo ut plurimum laceſsitur. Cum autem duplicis originis hæmorrhoidalia ſint vaſa, quorum alia extus, intus alia inteſtinum rectum perreptant: hinc etiam ani hæmorrhoides aliæ externæ ſunt, aliæ internæ.

1. *Externæ* hæmorrhoides ani duplici ſub notione accipiuntur: alii enim hæmorrhoides externas eas vocant, quæ extra cavum inteſtini recti circa ani orificium pullulant; aſt id minus proprie: alii contra eas dici voluerunt externas, quæ a vaſis hæmorrhoidalibus dictis externis progignuntur, arteriis nempe, ac venis hujus nominis. Arteriæ namque hæmorrhoidales externæ duæ ſunt, dextra ac ſiniſtra, oriundæ ex ſui quæque lateris arteria iliaca interna, ſeu hypogaſtrica, ac ſpeciatim ex 4to ejus ramo, cui nomen arteria pudenda communis vel pudenda

magna

magna vel pudenda hypogaſtrica interna. Hæ binæ arteriæ hæmorrhoidales externæ decurrunt intra duo illa inſignia ligamenta, os ischii cum ſacro nectentia, datoque prius ramo ad bulbum urethræ, & corpus cavernoſum penis, deinde limbum inteſtini recti alluunt, ac proinde ad externam hujus inteſtini faciem decurrunt: unde & hæmorrhoidales externæ dicuntur. Venæ autem hæmorrhoidales externæ ab his ipſis arteriis ortæ multis ac velut ſerpentinis gyris anum amplexæ, inde inſeruntur in venas hypogaſtricas, hæ in iliacas internas, iſtæ in cavam adſcendentem. „Perquam vero notatu mihi videtur „dignum, inquit M. ALBERTI (*a*), adumbra„ta hæc vaſa, ſi ad ani marginem pervene„runt, ibidem cum internis hæmorrhoidali„bus mutua anaſtomoſi ita coaleſcere, ut „his hydrargyro impletis ☿us nullo negotio „inde in hæmorrhoidalia externa ſe protrudi, „ex his autem ſimili facilitate in hæmorrhoi„dalia interna retrudi, ſicque ultro citroque „in illis moveri patiatur Excell. CASSEBOH„MIO aliquoties hoc omnium oculis ſubji„ciente, cui etiam alter teſtis accedit VINS„LOWIUS (*b*), qui idem hisce verbis diſerte „tradit: hæmorrhoidales externæ communi-

„cant

(*a*) Diſs. de conſenſu calculi cum hæmorrhoidibus externis (Reſp. I. H. PREHN. 4to, Halæ 1739.) §. 6. p. 9.

(*b*) Anatom. T. 3. de venis. §. 183.

„cant cum internis a vena parva meſeraica „(una de ramis venæ portæ) oriundis." Cognita ergo ita vaſorum hæmorrhoidalium externorum origine ac inſertione utiliſſimum deducitur hocce corollarium (*a*): *Fluxu hæmorrhoidum externarum fit directa, cita, ac generalis totius ſyſtematis vaſorum* (præter ſyſtema venæ portæ, quod tunc & lentius & parcius depletur,) *depletio, i. e. imminutio plethoræ univerſalis.*

2. *Internæ* porro ani hæmorrhoides rurſus vel illæ dicuntur, quæ intra cavum inteſtini recti deliteſcunt non conſpicüæ, niſi forte ano p. n. protruſæ, vel rectius illæ, quæ a vaſis hæmorrhoidalibus internis dictis producuntur, arteriis nempe, ac venis ita compellatis. Hic quoque duæ ſunt (non una, ut quibusdam viſum) arteriæ hæmorrhoidales internæ; at non ex uno, eodemque trunco communi oriundæ: una illarum conſpicuæ eſt magnitudinis, oriunda ex arteria colica ſiniſtra (quam conflant primi duo rami arteriæ meſentericæ inferioris,) ſe ſeque in interiora inteſtini recti pluribus ramis dispergens; quorum e finibus totidem dein venoſi ſurculi exorti confluunt in venam hæmorrhoidalem internam, ſeu meſeraicam minorem, quæ inſeritur vel immediate trunco venæ

(*a*) HAEN. l. c. Cap. I. §. 3.

venæ portæ ventralis, ita ut in angulum a ſplenica, & meſeraica magna factum (dum in truncum venæ portæ confluunt) ſe ſe implantet, vel venæ meſeraicæ magnæ, vel venæ ſplenicæ, ut STAHLIUS (*a*) ipſe vidit, vel cum hac in unum prius truncum confluit, qui deinde crus lævum venæ portæ conſtituit. Hæmorrhoidalis hæc interna vena ſubinde in cadaveribus enormiter diſtenta reperitur, ubi in vita hæmorrhoides internæ ægrum afflixere. Sic apud A. VESALIUM (*b*) „quidam inordi-„natis vicibus (ut mulieres ſuis menſibus) „ſanguinis fluxu ex venis in anum pertinen-„tibus vexari conſueverat, & cum ex nigro „arquato, jecoriſque mira duritie periiſſet, num „portæ rami an cavæ hunc ſanguinem evacua-„rent, indagaturus (Auctor) illum diſſecuit, „atque venæ portæ ramum ſub coli inteſtini „fine, & tota recti longitudine in meſente-„rio ductum pollicis fere craſſitiem æquare, „& ſanguine turgere animadvertit, contermi-„nis venæ cavæ ramis nihil prorſus immutatis." Ex hac iterum vaſorum hæmorrhoidalium internorum notitia ſequens fluit corollarium (*c*): *Fluxu hæmorrhoidum internarum fit directa, cita & copioſa depletio ſyſtematis venæ portæ; lenta vero, ac parca totius reliqui ſy-*

(*a*) Diſs. cit. Cap. 5. p. 15.
(*b*) De Corp. hum. fabrica. L. 5. C. 15.
(*c*) HAEN. l. c.

systematis vasorum; ut proinde hoc fluxu plethora totius non adeo imminuatur. Altera porro arteria hæmorrhoidalis interna, priori minor, est WINSLOWIO (*a*) notante ramus arteriæ glutææ (quæ est secundus arteriæ hypogastricæ ramus): hæc adhuc in pelvi oblegat modo dictum ramum sat conspicuum ad intestinum rectum, qui internos illius parietes subiens ibi cum ramis prioris hæmorrhoidalis internæ arteriæ anastomoses facit. Ostendebat hanc alteram arteriam hæmorrhoidalem internam sæpius, testante id M. ALBERTI (*b*), suis auditoribus CASSEBOHM; verum utrum illa comitem suam habeat venam, & quorsum ista, si adest, inseratur, ad hypogastricam ne, an hæmorrhoidalem internam venam, haut dum est dedectum: unde nullum etiam determinatum pro specifica ejus actione canonem condere est integrum.

b) *Vesicæ hæmorrhoides.* Vesica urinaria & si nullos directe ramos a vasis proprie hæmorrhoidalibus accipiat; accipit tamen arterias a pudenda externa (quæ cum trunco hæmorrhoidalis externæ enascitur ex eadem pudenda hypogastrica interna), cujus rami vesicæ ipsi, ejusque collo prospiciunt: unde sanguis in ramos arteriæ hæmorrhoidalis exter-

(*a*) L. c. de arteriis. §. 242. sq.
(*b*) Diss. cit. §. 7. p. 9. sq.

ternæ ingredi quacunque de causa non valens, facile in viciniſſimæ arteriæ pudendæ externæ ramos regurgitans veſicam & ejus collum laceſſet, ut alibi (*a*) viſuri ſumus.

c) *Uteri*, *vaginæ hæmorrhoides*; CELSO (*b*) jam non ignotæ, & quarum exempla ſuis deinceps locis daturi ſumus ex Varſavienſi noſocomio (*c*) ALIXIO (*d*) & COKBURNIO (*e*). Neque alliis (*f*) genus hoc hæmorrhoidum obscurum fuit. Arteriæ nempe uteri, ac vaginæ cum hæmorrhoidalibus externis eadem e Stirpe oriuntur: namque vel utræque ex arteria pudenda communi ortum ita capiunt, ut ex poſteriore ejus ramo hæmorrhoidalis externa, & ex anteriore (cui prudenda externa nomen) arteriæ uteri, ac vaginæ prodeant, vel certe (quod maxime in feminis accidit) pudenda externa ex ipſa hypogaſtrica enaſcitur, cujus ex 4to. ramo (pudenda hypogaſtrica dicto) hæmorrhoidalis externa propullulat. Hinc ſi ſanguis in hæmorrhoidales ramos haud ſatis expedite influere poſſit, facile in uteri, ac vaginæ arterias regurgitare valet.

d)

(*a*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. veſicæ §. 1.
(*b*) L. c.
(*c*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. albar. §. 2. I. Nro. 3.
(*d*) Vide §. 115. Nro. 2.
(*e*) Vide §. 53. II. 1.
(*f*) Vide §. 55. Nro. 13. h)

d) *Penis hæmorrhoides* ſeu ſtymatoſis hæmorrhoidalis; dum nempe ſanguis per hæmorrhoidalia externa vaſa exitum non nactus ad penis vaſa urgetur: hujus enim corpora cavernoſa & bulbus urethræ ramos ex ipſis arteriis hæmorrhoidalibus externis nanciſcuntur, antequam hæ ad anum ipſum appellunt. Exempla ſtymatoſeos hæmorrhoidalis inferius referentur. Non ſunt hic etiam ſilentio prætereundæ.

e) *Naſi hæmorrhoides* a M. A. SEVERINO (a) deſcriptæ; quæ tamen nullo pacto huc pertinent, ſeu vaſorum hæmorrhoidalium imo in ventre ſitum, ſeu ſanguinem ab his ad ſuperiora regurgitantem ſpectes; nam nihil & in hiſtoria, & curatione mali reperias, quod hanc regurgitationem probaret. En verba ipſa auctoris! „Intra nares ad imam cartilaginem obortum tuberculum aliquando ſe obtulit, quod polypum aliis vocari placuit, „at non mihi; propterea quod rubicundius, „& carnulentius minime pendulum, aut loco „mobile, ſed confixum cartilagini, exſtans„que in ipſa velut naricula lauri baccæ ſemiſ„ſis magnitudine. Omnibus autem modis „Arabum medicorum hæmorrhoides ſuſpicari „licuit . . . Verum has ſive hæmorrhoidas, „ſive

(a) De effic. med. chirurg. effic. P. 2. de paracenth. cap. 8. & de abſceſſib. L. 4. C. 9. §. 8.

„ſive polypum attrectare ferro cum medici „noſtri non auderent, punctione per ſcal-„prum ego repreſſi. Quam punctionem cum „primum exhorruiſſet, diuque refugiſſet mu-„lier (fuit enim monialis templi incurabilium), „facta mox ſecurior a levamento percepto „non levi poſt primam inciſionem, ultro de-„inde ipſa ad alteras puncturas, novosque „exinanitus me compulit; quibus in dies „factis perpetuo recedens abolitus eſt tumor „omnis." Hujusmodi autem tumores vere hæmorrhoidales alibi (*a*) ſumus viſuri; at aliam exigunt curationem.

§. VI.

III. NISUS *Sanguinis* in hæmorrhoidalia hactenus dictorum organorum vaſa varius, exſertus triplicem producere ſolet effectum: vel enim vaſa reſerando fluxum cauſat; vel in hisce, non illico reſerandis, accumulatus ea in tumores variæ molis, ac figuræ diſtendit; vel denique ſola illorum citra ullos tumores obſervabiles diſtenſione, aut ſolo motu inordinato varia ſymptomata morboſa progignit. Unde

A. *Molimina hæmorrhoidalia* primam quaſi hujus morbi Scenam (utut non in omnibus)

(*a*) Vide §. 55. Nro. 9. f) & Nro. 13. a)

nibus) ordiuntur, ſuntque nil; niſi variæ functionum læſiones ortæ a ſanguine uberius ad hæmorrhoidalia vaſa contendente, i. e. ſunt ſpontanea ani hæmorrhagia remote imminens. Quanta horum ſymptomatum ſit ſæpe varietas, intenſitasque, ſuo poſtmodo dicetur loco. (*a*)

B. *Cœcæ hœmorrhoides* porro, quas veteres ſiccas dixere (*b*) ſunt hæmorrhoidalium vaſorum tumores a copioſius in illa congeſto ſanguine, fluxum moliente, qui vulgo *noduli* vel *tubercula hœmorrhoidalia* vocitantur, i. e. ſunt ſpontanea ani hæmorrhagia proxime imminens. Sunt autem cæcæ hæmorrhoides aliæ ſpuriæ, aliæ veræ.

1. *Spuriœ* ſunt varia circa anum ſarcomata. Multi illas nihil cum veris hæmorrhoidibus commune præter locum habere volunt; quippe, quæ alius longe, quam veræ, ſint originis, & plerumque vel nefandæ ſodomiæ, vel certe labi ſyphiliticæ debeantur. Alii contra ad hæmorrhoidum verarum cenſum non abs re contendunt eſſe referendas; ſiquidem & ortum ſuum localem, geneſimque ab hæmorrhoidalibus vaſis p. n. productis capiant; & veræ etiam hæmorrhoides quando-
que

(*a*) Vide §. 31. ſq.

(*b*) A. MASSAR. Pract. med. L. 3. C. 24.

que citra ullam aut ſodomiæ aut celticæ luis culpam in id genus degenerent ſarcomata: quod poſterius & J. A. WEDELIUS (*a*) tuetur, & DIETERISCHS(*b*)luculento comprobat exemplo. Sarcomatum horum doctrinam ſeorſim plerumque Auctores tradunt, nempe AMATUS (*c*), CELSUS (*d*), HEISTERUS (*e*), & alii (*f*). Nos pauca tantum, quæ ad rem præſentem faciunt, attingemus. A varia nempe forma, quam ſpuriæ hujusmodi hæmorrhoides præſeferunt, varia nactæ ſunt nomina, ſcilicet.

a) *Condylomata* (κονδυλώματα), quæ ſunt calloſa carnis circa anum excrescentia, inſtar articuli, quem condylum vocant, prominens (*g*) P. FORESTUS (*h*) autem „condylomata „(inquit) juxta neotericos quosdam ſunt hæ„morrhoides ſiccæ, & tuberoſitates ani ſparſæ „ſine pede, a quibus nihil manat ſanguinis, „ſed interdum quædam humiditas aquoſa.“

Et

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidib. (Reſp. I. A. WISLICEN 4to Jenæ 1727.) §. 15. p. 9.

(*b*) Vide hiſtor. I.

(*c*) Curat. med. Cent. 2. Cur. 87.

(*d*) L. c. lib. 6. cap. 18. Nro. 7. 8. & libro 7. cap. 30. Nro. 1. 2.

(*e*) Inſtitut. chirurg. P. 2. S. 5. C. 165.

(*f*) V. I. G. WALTHER. Silva med. p. 69.

(*g*) CASTELLI. Lexicon. med.

(*h*) Obſerv. & cur. med. lib. 23. ſchol. ad obſ. 8.

Et alibi (*a*): „condylomata dicunt eſſe emi-„nentias aliqualiter longas, & in cuſpide ma-„gis acutas.“ Duorum ipſe ægrorum caſus deſcribit, quorum alter (*b*) hæmorrhoidalia, alter (*c*) vera condylomata habuit, & ſeni TURNERI (*d*) hæmorrhoidalia condilomata letalem in gangrænam abiere.

b) *Chriſtæ* ſive hæmorrhoides criſtatæ. Has J. L. DIETRISCH (*e*) dividit in malignas venereas, & benignas ſymplices: iſtæ „ſunt „p. n. protuberantiæ membranoſo - vasculoſæ „ad inſtar chriſtarum gallinæ inferiorum pen-„dulæ, tenues, plicoſæ, partim intenſius „partim pallide rubentes, vel molles, vel „nonnihil duræ, circa orificium ani ſitæ, ab „extenſione & relaxatione interioris rugoſæ, „& celluloſæ membranæ infimæ extremitatis „inteſtini recti natæ ex congeſtis, & ſtag-„nantibus humoribus ſeroſo - ſanguineis in „vaſis hæmorrhoidalibus inferioribus, & ex-„ternis elevatæ cum dolore, tenesmo diffi-„cultate deſidendi, alvumque exonerandi con-„juncta.„ Rarum illarum, ac luculentum præ-

(*a*) Ibid. ſchol. ad obſ. 9.
(*b*) Ibid. obſ. 7.
(*c*) Ibid. obſ. 8.
(*d*) Vide §. 53. II. Nro. 8.
(*e*) Diſſ. ſiſtens obſervationem de hæmorrhoid. criſtatis (4to Altorf. 1764) §. 2.

præmisit casum (*a*). Ad hasne, an malignas referenda est observatio ab J. D. GOHLIO (*b*) descripta? his autem cristis comites interdum sunt *Rhagades* (ῥαγάδες) seu anni fissuræ, i. e. „ulcera uteri, & sedis diducta in „fissuras . . . iis similes quæ inferius labrum „& manus, pedesque dilacerant.„ (*c*)

c) *Sycosis* (σύκωσις, σύκωμα ficus) *mariscæ* Latinis, de quibus Poeta. (*d*)

Cæduntur tumidæ medico ridente mariscæ.

Sunt nempe tumores similes thymis, at majores, venereæ ut plurimum prosapiæ, aliquando tamen ex hæmorrhoidibus oriundi.

d) *Thymi* (θύμος nomen desumptum est FORESTO (*e*) notante a corymborum herbæ montanæ similitudine) sunt excrescentiæ turgidæ, asperæ, oblongæ, subrubræ, in excisione plus sanguinis præbentes, quam magnitudo illarum promittit, rarius faciei, plerumque ano, pudendis, femoribusque infe-
stæ,

(*a*) Vid. histor. I.
(*b*) Acta med. Berolin. dec. I. vol. 5. sect. 2. Nro. 17. p. 35.
(*c*) FOREST l. c. obs. 10.
(*d*) MARTIAL.
(*e*) L. c. scol. ad obs. 9. confer. schol. ad obs. 3.

ſtæ, variæ magnitudinis. Alia, quæ minus huc faciunt, excreſcentiarum genera in FORESTO (*a*) videri a lectoribus poſſunt.

2. *Veræ* autem hæmorrhoides cæcæ ſunt varices venarum hæmorrhoidalium, quæ rurſus a varia figura, ac mole, variiſque ſibi ſymptomatibus conjunctis varia nactæ ſunt nomina, videlicet ſpectata

a) Figura dicuntur aliæ

α. *Veſicales*, quæ albicantibus piſcium veſiculis ſunt ſimiles; aliæ

β. *Uvales* i. e. rotundæ, latæ veluti acini uvarum lividarum teſte COO; (*b*) aliæ

γ. *Morales* i. e. mori fructui ſimiles, de quibus HIPPOCRATES (*c*) „venæ (ait) „ſanguinem fundenti & tuberoſam quandam „eminentiam habenti veluti mori fructus ad„naſcitur & ſiquidem tuberoſa eminentia „foras valde prominet, ei circum circa oper„culum carnoſum adhæreſcit." Aliæ denique ſunt

δ. *Verru-*

(*a*) Ibid.
(*b*) L. c. p. m. 891.
(*c*) Ibid. p. m. 893.

δ. *Verrucosæ*, quas etsi ALEXANDER VERONENSIS apud FORESTUM (*a*) ad condylomata relatas velit, ad veras tamen illas refert G. E. STAHLIUS. (*b*) Longæ nempe sunt, verrucisque similes. Huc vero etiam pertinent hæmorrhoides.

ε. *Saccatæ* I. C. A. THEDENII. (*c*) „ Auctores (inquit ille) notitiam nobis hæmorrhoidum cæcarum cum dolentium, tum turgentium reliquerunt; sed quas ego saccatas voco, de his nihil, quod sciam, apud istos exstat; nisi forte eas huc referre quis volet, quarum PLATNERUS (*d*) meminit. „ *Saccatæ* hæmorrhoides mihi sunt ea intestini recti intumescentia, ubi a sanguine hæmorrhoidali vena hæmorrhoidalis interna usque adeo distenditur, ut saccos jam parvos, jam majusculos efformet, qui interdum, quemadmodum hæmorrhoides cæcæ ani Orificium vel undique vel uno tantum ex Latere obsidentes cum levamine crepant; interdum vero non crepantes evadunt prægrandes cum variis gravibus, ac non abigendis incommodis & chlorotico quasi „ ægro-

(*a*) L. c. schol. ad Obs. 3.

(*b*) Colleg. casual. magn. casu 16. p. 191.

(*c*) Neue Bemerk. und Erfahrung. zur Bereicherung der Wundarzney. 1. Theil. 4. Abschnitt p. 59.

(*d*) Einleitung in die Chirurgie 2. Theil. §. 1056. sqq.

„ ægrorum misere degentium habitu; nam „ stagnans hic sanguis putrescere, ac putridi „ quid resorberi, omnibusque his incommo- „ dis occasionem præbere potest.“ Exempla harum saccatarum hæmorrhoidum ab Auctore visa inferius *(a)* in medium adferentur.

b) Symptomata porro hæmorrhoidalibus varicibus vel nulla insignia juncta sunt, præter aliquam tensionem, & leviora quædam alia incommoda, vel vero gravia superveniunt, ac vel maxime inflammatio admodum dolorifica, unde hæmorrhoides cæcæ sunt rursus.

α. *Turgentes*, de quibus HAMBEGERUS *(b)* „ hæmorrhoides (ait) cæcæ turgentes, „ vel indolentes consistunt in vesiculis san- „ guine plenis, circa limbum ani externum „ plerumque conspicuis, quæ nec inflammatæ „ nec per se dolorificæ sunt; nisi quod sub „ alvi excretione tensivas molestias produ- „ cant, eoque majores, quo recentiores sunt „ hæ vesiculæ“ lividæ, tactuque molles.

β. *Tumentes* vero, & intensiori in gradu *furentes* etiam dictæ, sunt, quas insignis dolor (subinde intolerabilis) comitatur, præsertim ubi simul vehemens juncta est inflammatio cum varicum duritie, quo in Casu fu-
rentes

(a) Vide §. 117. β.
(b) Diss. cit. §. 51.

rentes id genus hæmorrhoides ad tumores inflammatorios, ac ad veros furunculos referunt ALBERTI (*a*) ac STAHLIUS. (*b*)

C. *Fluentes hæmorrhoides* demum sunt ipsa spontanea ani hæmorrhagia actu procedens. „Dicimur fluxum hæmorrhoidum habere, inquit H. F. DELIUS. (*c*) dum „cum majori, minorive, aut nullo sæpe „dolore plerumque sub alvi egestione (utut etiam sæpe sine hac) sanguis ex ano „prodit — qui haud raro dejectionis tantum tempore sub ultimis nixibus vel in guttis aliquot, vel striis cruentis interfeces, „alias vero purus etiam sanguis citra ullos „nixus, & inopinate erumpit, ut in indusiis „tantum observetur, aliquando autem tam „ubertim, ut pro illo excipiendo subjectis „linteis opus sit.“ Permirum autem est hæmorrhoides, referente I. STORCHIO, (*d*) quarum in vita non nisi molimina aderant, a morte fluxisse viro cuidam ex cachexia phthisico, idque ad sepulturam usque. Ceteroquin vero fluentium quoque hæmorrhoidum complura sunt genera, ab indole nempe, & copia profluentis humoris pendentia. Idcirco.

a) In-

(*a*) Diss. cit. §. 14. p. 17.

(*b*) Dis. cit. Cap. 9. p. 25. sq.

(*c*) Fränck. Samml. 7. Band 42. St. Nro. 1. p. 381. sq.

(*d*) Obs. clin. ann. 3. Junii Nro. 4. p. 375.

a) Indoles fluxus ſi ſpectetur, ſunt

1. *Rubræ* hæmorrhoides, dum earum fluxu ſanguinis cruor excernitur, quod potiſſimum evenire conſuevit.

2. *Albæ* autem hæmorrhoides vocantur, dum humor quidam albicans ano excernitur. De his alibi (*a*) ſeorſim agetur.

b) Copia vero fluxus ſpectata, ſunt

1. *Parcæ* hæmorrhoides, vel quod minori quam alias copia procedant, vel quod plethoram non ſatis imminuant nec ſymptomata levent.

2. *Moderatæ* vero illæ dicuntur, quæ ſine ſenſibili virium imminutione, & cum euphoria ſymptomatumque, ſi qua præceſſere, levamine prorumpunt. Denique.

3. *Nimiæ* ſunt, quæ ſublato per fluxum impetuoſum, vel diuturnum, vel crebrum inter humores ac vaſa æquilibrio functionum inſignem poſt ſe trahunt læſionem, ſummam nempe virium debilitatem, cum ſani prius coloris mutatione in pallidum, ac ſubictericum, quæ ſunt propria nimii fluxus hæmorrhoi-

(*a*) Vid. hiſtor. hæmorrhoid. albar. §. 1. & 2. II. B.

hoidalis criteria (*a*) ſine queis iſte, etſi liberalis fuerit, nimius dici non debet. Utriusque exempla varia inferius (*b*) dabuntur, & ſane plurimum intereſt, fluxum hæmorrhoidalem nimium a liberaliori diſcernere, ne in medela aberretur, eumque non e copia ſanguinis excreti, ſed ex effectibus metiri; fallit enim copia, quæ eadem in uno nimia; in alio mediocris ab effectu cenſenda eſt. Hinc ſcite E. RUDIUS. (*c*) „qui dejectiones non „penes virtutem; ſed penes copiam menſurant, patientes in maxima diſcrimina deducunt, dum ante tempus eas ſupprimere „aggrediuntur; quandoque enim exeunt. 4. „& 5 ℔ ſine virium detrimento, nonnunquam neque duæ ſine maximo nocumento „excernuntur.“ Ceterum notante F. HOFFMANO (*d*) „ſanguis in nimio hoc profluvio ater plerumque in principio excernitur, valdeque grumoſus, interdum etiam „in fruſta, quæ palmam manus æquant, „coactus e varicoſis vaſis evacuatur; „poſtea ſequitur rubicundus, & demum „admodum ſeroſus quandoque pituitoſus, „ſive mucus albuminis ovi ſpeciem habens. „Copia

(*a*) L. Riverii Prax. med. L. 10. C. 10. HOFFMANN. med. rat. ſyst. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. theſ. path. §. 1.

(*b*) Vide §. 49. Nro. 2.

(*c*) Art. med. L. 2. C. 35.

(*d*) L. c. §. 3.

„Copia ſanguinis excreti nonnunquam op-
„pido magna.“ Plerumque autem nimium hæmorrhoidum fluxum præcedunt varia ſymptomata ſpaſmodica, teſtibus ALBERTIO (*a*) ac HOFFMANNO (*b*) ut ſunt horrores, pulſus contractus, dolores, flatulentia, [illegible]a pallida, &c. quæ a liberali fluxu abſunt.

§. VII.

IV. *Typus* porro *morbi* varius eſſe ſolet, ita tamen, ut ad bina ſeſe genera reduci patiatur, quorum conſtituunt unum

1. *Anomalæ hæmorrhoides* quæ a duplici ſanguinis niſu proveniunt, nimirum vel directo verſus annum, attamen aut exorbitante, aut inſufficiente ad moderatum, pacatumque fluxum producendum, vel regurgitatorio, eoque aut laterali devio, aut retrogrado ſurſum in abdomen, thoracem, caput, &c. Ac proinde anomalæ hæmorrhoides ſunt, quæ vel fluxum inter morboſa ſymptomata moliendo hunc aut nunquam, aut ægre admodum (i. e. parcum, rarum, vagum,) aut etiam nimium (ubertate, frequentia vel diuturnitate) inducunt, vel ob regurgitantem a va-

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidib. excedentibus. §. 11, ſq. Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. p. 194. ſqq.
(*b*) L. c. §. 2.

a vaſis ani alias in partes ſanguinem harum functiones lædunt. Hæmorrhoidum anomalarum doctrinam prolixa diſſertatione complexus eſt M. ALBERTI; (*a*) exempla vero illarum prorſus varia paſſim deinceps (*b*) occurent. Alterum porro typicarum hæmorrhoidum genus conſtituunt.

2. *Regulares hæmorrhoides* i. e. quæ debito tempore, juſta copia ex ani vaſis fluunt ſine inſigni moleſtia, imo cum euphoria. Hujus quoque commatis exempla deinceps (*c*) occurrent.

§. VIII.

V. CAUSA item hæmorrhoidum genera duo ſuppeditat, cujus intuitu ſunt illæ.

1. *Protopathicæ*, quæ tantum modo ex ſex rebus non naturalibus progignuntur citra ullum alium præſentem, prægreſſumve morbum, cui imputari poſſent. Hujuſmodi ſunt hæmorrhoides ab ingeſtis variis, (*d*) a nixibus (*e*) motu (*f*) &c. concitatæ. Contra ea

2. *Deu-*

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidum anomalis in Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. p. 307. ſqq.
(*b*) Vide §. 53. I. II. Nro. 8. III. B. Nro. 1. §. 55.
(*c*) Vide §. 49. Nro 3.
(*d*) Vide §. 19.
(*e*) Vide §. 20.
(*f*) Vide §. 26.

2. *Deuteropathicæ* morbis aliis præsentibus, aut prægressis velut effectus debentur, cujusmodi sunt, quas alvi fluxus (*a*), febres (*b*), atra bilis (*c*), hydrops (*d*), scorbutus (*e*), &c. effecerunt. Harum rursus aliæ sunt

a) *Criticæ*, quæ morbum, cui superveniunt, solvunt (*f*); aliæ

b) *Symptomaticæ*, quæ morbum supervenientes augent, & periculosiorem reddunt. Solide hoc argumentum M. ALBERTI (*g*) pertractavit.

§. IX.

VI. STATUS denique hujus morbi denuo duplex esse potest, videlicet hæmorrhoides

1. *Solitariæ*, quæ hominem ab omni alio morbo liberum detinent.

2. *Com-*

(*a*) Vide §. 23. a) §. 19. d)
(*b*) Vide §. 28.
(*c*) Vide §. 18. a)
(*d*) Vide §. 18. c)
(*e*) Vide §. 18. d)
(*f*) Vide §. 53. III. A. Nro. 2. a) seqq.
(*g*) Diss. de hæmorrhoidib. symptomat. & perniciosis. Resp. F. R. HEIDEGGER. 4. Halæ 1726.

2. *Complicatæ* cum alio morbo, ſive dum deuteropathicæ ſunt, ſive dum & iſte, & ille ex communi cauſa ſimul naſcuntur, aut dum unus horum morborum alterius eſt ſymptoma non niſi epigenomenon, quin ullo ſibi nexu copulentur. Et vero haud rarum eſt, hæmorrhoides cum aliis complicari morbis, iis, quos modo dixi, modis. Frequentiores horum morborum ſunt

a) Alvi fluxus (*a*).

b) Leucorrhæa (*b*).

c) Lithiaſis (*c*).

d) Artuum dolores (*d*), &c. Podagræ cum lithiaſi renum & hæmorrhoidibus anomalis in Jll. quodam ſene obſervatæ caſum videre eſt apud E. G. BALDINGERUM (*e*).

CAPUT

(*a*) Vide §. 43. a) §. 51. B. a. Nro. 1.

(*b*) J. STORCH. Frax. med. T. 2. d. 2. p. 181.

(*c*) M. ALBERTI. Diſs. de conſenſu calculi cum hæmorrhoidib. externis, et Diſs. de hæmorrhoidum conſenſu cum calculo et podagra in Tract. de hæmorrhoidib. P. 2. p. 110. ſqq.

(*d*) Vide §. 33. c)

(*e*) Neu. Magazin für Aerzte. 6. Band. 5 St. p. 443.

CAPUT III.

PROEGUMENAE CAUSAE.

§. X.

Aetas hæmorrhoidibus obnoxia est vel maxime *adulta*, ac vegeta: unde illas etiam HIPPOCRATES (*a*) inter virilis ætatis morbos retulit; ubi enim adolescentiæ juventutisque morbos percensuisset, subdit: „his vero, qui „hanc ætatem superarunt, crebri anhelitus, „morbi laterales, pulmonum inflammationes, „lethargi, phrenitides, febres ardentes, diu„turna alvi profluvia, choleræ, intestinorum „difficultates & levitates, sanguinis per ora „venarum, quæ in ano sunt, profusio, hæ„morrhoides Græcis dictæ" quas ante pubertatem non accidere alibi (*b*) quoque asserit. Si HEURNIUS (*c*) audiatur, homines ab anno ætatis 35to ad 64um in hæmorrhoides pronos esse enunciat. Interea tamen haud pauca prostant observata hæmorrhoidum etiam infra hanc ætatem, imo in tenerrima quoque ætate jam visarum. Enim vero nihil ut dicam de annis, 24to & 18vo, qua ætate duo apud

I.

(*a*) Sect. 3. Aphor. 30.

(*b*) Coacor. Nro. 512.

(*c*) Comment. in HIPPOCR. aphor. cit.

1. S. STORCHIUM. (*a*) Juvenes hæmorrhoidarii facti sunt, certe 16 vel 17 annorum erat Juvenis SALOMONIS (*b*)

—	—	—	puella	ROSTII. (*c*)
15	—	—	puer	BEHRII. (*d*)
14	—	—	puer	STORCHII. (*e*)

qui ad 20 annum quo tempore opem petiit, fluxum hæmorrhoidum cum colica patiebatur.

13	annor.	erat	puer	MATERNII. (*f*)
12	—	—	—	ETTMULLERI. (*g*)
11	—	—	—	SCHLIERBACHII. (*h*)
10½	—	—	puella	STORCHII. (*i*)
9	—	—	puer	ALBERTI. (*k*)
9	—	—	—	LENTILII. (*l*)
9	—	—	—	BURGHARTI. (*m*)

(*a*) Obs. clin. ann. 1. April. d. 4. Nro. 3. p. 88. sq. & ann. 2. Jul. d. 2. Nro. 10. p. 303. sqq.
(*b*) Vide §. 115. Nro. 1.
(*c*) Vide §. 29. a) β.
(*d*) Vide §. 15.
(*e*) L. c. ann. 5. May. d. 4. p. 135.
(*f*) Vid. hist. hæmorrhoid. vesicæ. §. 23.
(*g*) Vide §. 63. d)
(*h*) Vide §. 56
(*i*) Von Weiberkrankh. 2. Band. Casu. 205. p. 603.
(*k*) Vide §. 15.
(*l*) Ibidem.
(*m*) Vide §. 55. Nro. 9. b)

8 annor. erat puer FISCHERI. (*a*)
8 — — — FRANCI (*b*), largum hæmorrhoidum fluxum æstate nactus, dein vero trimestri quartana autumnali correptus.

8 annor. erat puella ALBERTI (*c*),
8 — erat puer S. SCHULTZII (*d*), sanguinem ano aliquoties sine ullo uspiam dolore, aut functionum læsione excernens, nisi quod interdum copiose sudaret, & sæpe narium pateretur hæmorrhagiam cum non multo p. n. calore, qui sedata hæmorrhagia etiam sedabatur. Inspecto podice tumentes ejus venæ, ac sanguinem stillantes visebantur. Duravit id per aliquod æstivas hebdomadas; at 12mo anno puer vegetus erat. Meminit Auctor & alius pueri junioris idem sine ullo detrimento passi. Haud secius

8 annorum puella M. B. VALENTINI (*e*) omni pene mense hæmorrhoides innoxie fluxere. Perinde vix

7 annorum erat puer C. F. PAULINI (*f*) ex hereditaria labe valde spleneticus, cui post præ-

---

(*a*) Vide §. 15.
(*b*) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 4. Obs. 5.
(*c*) Vide §. 53. III. B. Nro. 2.
(*d*) Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 8. Obs. 22.
(*e*) Ibid. dec. 2. ann. 4. Obs. 97.
(*f*) Ibid. ann. 5. app. p. 52. & Obs. phys. med. Cent. 2. Obs. 92.

prævios lancinantes ventris dolores hæmorrhoides primum crefcente luna fluxere, poftea vero citra dolorem jam in prima, jam ultima lunæ quadra, interdum etiam in plenilunio, quovis tamen menfe per unum alterumve diem cum euphoria ac hilaritate, idque ultra 20. hebdomadas. Perinde

7. annor. erat puella RIEDLINI. (*a*)
7. — — & puer WAHRENDORFFII. (*b*)
6. — — puer ALBRECHTI. (*c*)
6. — — — MÜLLERI. (*d*)
6. — — — I. C. GRIMMII. (*e*)
cui fæpius hæmorrhoides fine ullo fymptomate fluxere. Et

6to anno ætatis jam I. C. GOETZII (*f*) vir hæmorrhoidum fluxum fat crebrum, & uberem nactus eft, præfertim a majore vel corporis vel animi mortu; quem tamen non tam remediis quam provido regimine incolumen fervavit. Porro

5to

(*a*) Vide §. 15.
(*b*) Annal. Wratisl. Tent. 37. A. 1726. Jul. d. 4. Art. 18. p. 137. fqq.
(*c*) Vide §. 23. a)
(*d*) Vide §. 84. c)
(*e*) Mifcel. nat. cur. Cent. 9. Obf. 92.
(*f*) Acta natur. cur. Vol. 2. Obf. 186.

5to anno ætatis puer HOFFMANNI (*a*) fluxum hunc adeptus eſt, et

4. ½. anno puer vratislavienſium ſtranguriam primum hæmorrhoidalem contraxit, quam deinceps fluxus eſt conſecutus. (*b*)

4. annor. erat puer HOLDEFREINDII (*c*)
4. — — — VOGELII (*d*)
4. — — — HOFFMANNI (*e*)
qui „cum ageret 4. annum, binis vicibus „ſanguinem per alvum excrevit, & poſtea per „duos annos conqueſtus eſt de dolore in „dextro hypochondrio gravativo, ſanus de „cetero, & floridiſſimus: 7mo ætatis anno „corripitur variolis, ſuccedebat febris inter„mittens erratica, & tandem lenta, a qua non „poterat liberari, ſed convulſione graviſſima „accedente moriebatur.“

4. annor. erat puer I. M. WOLFFII (*f*) patre hæmorrhoidario genitus, qui, „4to ætatis „anno

---

(*a*) Vide §. 15.
(*b*) Vide §. 45.
(*c*) Vide §. 15.
(*d*) Vide §. 95. c)
(*e*) Diſſ. de morbis incongruis. §. 4. op. ſupp. 2. P. 1. p. 617.
(*f*) Commerc. Nor. T. 10. A. 1740. Hebd. 34. Nro. 2. p. 269.

„anno hæmorrhoidalem fluxum ſingulis men-„ſibus ordinarie recurrentem pati cœpit, & „talem ordinem per integrum annum fluxus „absque multis incommodis ſervavit. Deinde „per ſemeſtre profluxus ille cruoris ſua ſpon-„te deſiit; præterlapſo autem iſto tempore „iterum obſervabatur, & adhuc dum in puero „vegeto ſingulis menſibus revertitur.“ Porro

3. annor. erat puella BERDOTI (*a*)
3. — — — HOFFMANNI (*b*)
3. — — puer HOLDEFREINDII (*c*)
3. — — — WAHRENDORFFII (*d*)
3. — — — C. M. ADOLPHI (*e*),

„qui 3um annum agens hæmorrhoidalibus paſ-„ſionibus & fluxibus primum vexatus eſt, cer-„tisque temporibus, ac ſtatis jam per 3 an-„nos experitur eos.“

2. annorum erat puer FROMMANNI (*f*), „tibicinis filius, in quo „ ego (inquit Auc-„tor) . . hæmorrhoides & fluentes, & cæ-„cas hic obſervavi. Laborabat ille per aliquot „dies

(*a*) Vide §. 53. III. B. Nro. 2.
(*b*) Vide §. 21.
(*c*) Vide §. 15.
(*d*) Vide §. 53. III. B. Nro. 2.
(*e*) Miſc. nat. cur. Cent. 7. Obſ. 36.
(*f*) Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. probl. 26. p. 125. ſeqq.

„dies materiæ acrioris profluvio, quod do-
„mesticis domestici sedare laborarant. Tan-
„dem autem purus sanguis promanavit, &
„insimul intumescentia quasi vesicæ cujusdam
„minoris ex ano prodeuntis, sed brevi in
„anum redeuntis, ibi fuit notata . . . Ego
„ . . . vesperi vocatus dormientem offendo
„puellum, sed ubi evigilarat, tussi primum
„inde vomitu torquebatur, quo in connatu
„purus sanguis ex inferioribus quantitate fe-
„re cochlearis minoris promanabat, eoque
„ipso momento subito vesica quædam cruore
„plena atro-rubei coloris ad tactum dura,
„quæ tamen digito non nihil cedebat, quan-
„titate, & colore fere maturrimi pruni ex in-
„feriori gutture emergebat, quam facile manu
„mater reprimebat. Quo facto infans somno
„iterum corripiebatur; sed hoc tenuo excusso
„eandem, quam prius, agebat natura me præ-
„sente tragœdiam. Huic quod medicamenta
„alia respueret, liquoris stiptici guttulas ali-
„quot cum cerevisia exhibendas intro, extra
„vero cataplasma ex herbis adstringentibus
„in aqua ferrata decoctis præscribo. Ex ho-
„rum usu semel admisso mox malum illud re-
„misit, manente tamen, quia mater usum li-
„quoris illius neglexerat, fluxu priore, repe-
„tito autem liquoris usu profluvium conti-
„nuare desiit."

1 ½ anni fuit puella ALISCHERI (*a*) puerque RIEDLINI. (*b*)

1. anni erat infans HEISTERI (*c*) & alius ejusdem ætatis apud STORCHIUM (*d*), cui dentitionis tempore varix hæmorrhoidalis in ano tumuit, cum febre, tuſſi, alvo clauſa, &c. Meminit ille (*e*) alius etiam infantis 20. hebdomadum, diarrhœam aliquot dierum cum teneſmo paſſi, cui ſemper aliquid ſanguinis ſuccedebat, donec etiam hæmorrhoidale tuberculum fuiſſet enatum. Sic etiam R. A. VOGELII (*f*) ſanus infans ac plethoricus, vix quadrimeſtris, ſubito in ani hæmorrhagiam incidens, die 1mo ſugebat, nec ullo dolore affici videbatur, cum nec inquietus fuerit, nec ejularit; utut interdum leviter convelleretur; die autem 2do jam ſugebat ægrius, hæmorrhagia fuit crebrior uberiorque, abdomen intumuit; vomuit aliquoties bilem, & ubera prorſus reſpuebat, ſub veſperam obiit, poſt

(*a*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. albar. §. 2. II. B. Nro. 1. b)

(*b*) Vide §. 15.

(*c*) Vide §. 63. d)

(*d*) Obſ. clin. ann. 4. Decembr. Cl. 3. Nro. 8. f) p. 614.

(*e*) Ibid. ann. 3. Auguſt. Cl. 3. Nro. 13. p. 504.

(*f*) Academ. kleine Schriften, pathol. pract. und chirurg. Inhalts. 1. Samml. Nro. 2. §. 14. p. 69.

post spumam horis aliquot ante mortem circa os collectam, levesque obortas cum stertore convulsiones. Toto hoc biduo nil alvo secum reddidit. Referebant parentes aliam quoque jam prolem se eodem ex morbo intra idem tempus amisisse. Demum & GOETZII (*a*) sartor a prima pueritia ad provectam usque ætatem hæmorrhoidum fluxum patiebatur. Plures ejusdem argumenti historias D. M. MATTHIAE (*b*) ac I. STORCHIUS (*c*) collegerunt, multaque de juniorum hæmorrhoidibus M. ALBERTI (*d*) est commentatus. Numerosa itaque hæc exempla ignorasse omnino videtur A. HAENIUS (*e*) quærens: *an infantes soleant hæmorrhoidibus laborare?* „Ita „nobis (reponit ipse) vetulæ custodes jurant, „matresque matronæ; facto vero accuratio„re examine constat, tenello in corpusculo „finem Recti laxari sæpius, ejusque relaxati „plicam referre tumorem, quem falso hæmorr„hoida appellitent; vel etiam tumorem hunc „& pressum, & ani strictura veluti suffocatum „speciem gerere corpusculi profundè rubri, „aut lividi, quod hæmorrhoidis appellatione „per-

---

(*a*) Vide §. 82.

(*b*) Obs. med. Nro. 14.

(*c*) Von Kinderkrankh. T. 3. p. 482. sqq.

(*d*) Diss. de hæmorrhoidib. juniorum. Resp. E. F. FUCHS. 4. Halæ 1727.

(*e*) L. c. cap. 5. §. 10. p. 82.

„perperam insigniatur. Inexperta manu data „infantibus enemata, pessimus (isque fre-„quens tamen) mos suppositoriis ex calidiore „semine sacharo involuto eosdem assiduo tor-„quendi; ani tumores, excoriationes; imo „sanguinis fluxum excitare quidem possunt; „at vero ideo hæmorrhoides aut non sunt, „aut, si sint, ut per infortunium natæ curan-„dæ sunt. Posse autem contingere ut infanti „fluxus hæmorrhoidalis sponte natura nasca-„tur, inficias haud ivero . . . modo mihi „concedatur, haud minus id in natura mon-„strosum esse, quam si recens natæ puellæ men-„ses fluant, cujus rei quoque exempla enar-„rantur.„ Provocat dein ad HIPPOCRATEM hæmorrhoidas ante pubertatem contingere negantem, ut paulo superius vidimus, idque ob veram plethoram hacce in ætate rarissimam, utut spuria sæpius accidat; &, si nihilo minus tale quid eveniat, non tam ex ano: quam naribus potius hæmorrhagia solvi: „unde (inquit) necessario consequitur id, „ut licet de prosapia genitus sit infans, cui „ab ævo immemorabili hæmorrhois familia-„ris; tamen tempus pubertatis requirátur, „antequam vere appareat.„ Interea captioso HAEN sua in quæstione utitur infantis vocabulo; vel enim de tenerrima tantum impuberum ætate sese intelligi vult, vel de toto usque ad pubertatem ipsam tempore; si prius, utique res est longe rarissima, ac pro monstro habenda, cujus paucissima exstant observata; sin posterius, certe actum agit, rem

rati-

ratiunculis negare volens (id eſt paulo majorem puerili & adolescente in ætate, ante pubertatem licet, hæmorrhoidum frequentiam), pro cujus veritate adeo numeroſa jam exſtant obſervata. Sed qui poſſit ille pro divitatem ad hæmorrhoides juniori in ætate concedere, qui eam ne in adulta quidem, cui illa propria eſt, eo usque admittere voluit quo usque vel ipſa natura eandem induxit?

§. XI.

2. SEXUS *masculus* præ ſequiori multo ſæpius cum hæmorrhoidalibus malis conflictatur, haud tamen eatenus iſte ab iis immunis eſt, ut vel nunquam vel rariſſime illis laboret. Nam etſi feminæ plethoram ob catamenialem ſuum fluxum haud ita facile colligant, & hæmorrhoidalis quoque ſanguis per uterum cum catameniali facilem nanciſcatur exitum; tamen non ita paucæ vel raræ ſunt hæmorrhoidum in feminis cauſæ ſingulares, a quibus illæ ipſas affligunt, ut ſunt: hereditaria labes, catamenia ſuppreſſa, vel per ætatem deficientia, venus nimia, præſertim vero labes ſyphilitica, &c. Ut recte monuit M. ALBERTI (*a*), idque vel maxime in plethoricis, lau-

(*a*) Diſſ. de morbis feminarum virilibus (Reſp. A. WEGENER. 4to. Halæ 1638. §. 6. 7. p. 21. ſqq.

lauteque ac otiose viventibus. Trium hicce Auctor (*a*) hujusmodi feminarum meminit, quæ ex hactenus enumeratis peculiaribus causis hæmorrhoides nactæ sunt prima illustris conditionis sanguineo — cholerica, juvenis, nuptui data, lauteque vivens præter catamenia larga hæmorrhoides quoque per intervalla jam serpiginosas, jam cæcas, jam fluentes patiebatur: altera itidem nupta, 20. annorum præter anomalum mensium fluxum modo leucorrhœam, modo hac cessante hæmorrhoides experiebatur: tertia quoque de stemate, ac 22. annorum alternis vicibus anomalos menses, hæmorrhoidesque habuit. Virginem quoque novit M. SCHURIGIUS (*β*) cui cum catameniis hæmorrhoides quoque semper ubertim fluebant. Perinde R. LENTILIUS (*b*) matronam novit, cui præter legitima catamenia interdum & hæmorrhoides usque adeo fluebant, ut remediis cohiberi debuerint. Et D. SENNERTUS „novit ipse nobilem feminam cor„poris constitutione sanguineam, affectio„ni tamen hypochondriacæ obnoxiam, quæ sin„gulis mensibus ordinarie, & quidem die „post menstruum fluxum 14to. hæmorrhoides „patiebatur.“ Ita etiam LEONORAM Galliæ „Reginam hæmorrhoidibus juxta ac mensibus „obnoxiam fuisse testis“ est I. FERNELIUS „idem-

---

(*a*) Diss. de hæmorrhoidib. juniorum. §. 4. p. 17.
(*b*) Misc. nat. cur. dec. 3. ann 5. append. p. 99.
(*β*) Litholog. Cap. 2. §. 65. p. 232.

(*a*) idemque experta eſt WEDELII (*b*) mulier. Plura huc facientia, ſuis deinceps occurent locis. (*c*) Ceteris autem paribus hæmorrhoides non immerito viriles ad morbos ab HIPPOCRATE (*d*) referuntur dicente: „viris „autem inteſtinorum difficultates, & alvi pro-„fluvia, febres algidæ, & hybernæ diuturnæ, „puſtulæ multæ nocturnæ, epinyctides dic-„tæ, & ſanguinis profluvia, per ora vena-„rum, quæ in ano ſunt, hæmorrhoides vo-„cantur.

§. XII.

3. TEMPERIES, *ſanguinea*, *cholerica*, *melancholica*, vel ex his conflata, *ſanguineo-cholerica*, vel *ſanguineo-melancholica*, &c. Teſte enim G. E. STAHLIO (*e*) „ſubjec-„tis accidere ſolet facilius hic fluxus ſangui-„neo-cholericis, & ſanguineo-melancholicis „plethora affectis" videlicet ob ſanguinis qua copiam, qua lentorem, præſertim relate ad viſcera abdominalia. Veritas hujus cauſæ ex innumeris paſſim hujuſce libri caſibus elu-ceſcet.

§. XIII.

(*a*) Conſil. med. 41.
(*b*) Vide §. 142. d)
(*c*) Vide §. 29. a) β. γ.
(*d*) De aere, locis & aquis. p. m. 281.
(*e*) Diſſ. de hæmorrhoid. internar. motu (4to. Halæ 1698. Reſp. I. D. COHLIO.) Cap. I. p. 5

§. XIII.

4 VENARUM *hæmorrhoidalium longitudo ſitus perpendicularis*, *laxitas*, *Capacitas* major, Longitudo, ſitusque ad perpendiculum nativa ſemper ſunt in homine, ac magnopere ad prodividatem in hæmorrhoides faciunt; namque I. B. MORGAGNIO, (*a*) recte notante ſanguis in vena hæmorrhoidali interna præprimis facillime ſtagnare poteſt, propter „maximam, quæ inter ceteras illas „venas huic uni peculiaris eſt, longitudinem, „ut multo ex hac quam ex illis difficilius ſit „ſanguinem promoveri furſum, præſertim, „ut humani corporis requirit ſitus: quæ una „haud dubie ex cauſis eſt, quare alia animan„tia hæmorrhoidibus non ſint obnoxia.“ Multo ante id jam ſuſpicatus eſt I. BOHNIUS (*b*) cujus verba non pigebit hic attexere. „Præmonere volo (inquit ille,) venæ huic „ſedali internæ talem contigiſſe per naturam „conformationem, quæ ad ejuſmodi ſtagna„tionem ſanguinis inflativam magis diſpoſi„ta videtur. Scilicet, primo perpendicula„rem magis ſitum, ſeu aſcenſum a podice „verſus communem alveum, cujus intuitu „per venam hanc ad perpendiculum tardius, „ac

(*a*) De ſedibus, & cauſis morbor. Epiſt. 32. Nro. 10.

(*b*) Diſſ. de hæmorrhoidib. cæcis (4to. Lipſiæ 1794. Reſp. I. I. HERING.) §. 16. 17.

„ac difficilius ſine dubio elevatur ſanguis, pe-
„rinde circiter, ac venas crurum præ aliis
„frequentius in varices explicari palam eſt.
„Deinde ipſa compages inteſtini recti; in qua
„illa radices figit, adeo laxa eſt, ut ſibi
„relicta ſanguinis per hanc motum naturalem
„minus; ac aliæ firmioris texturæ partes (v.
„g. muſculi) juvare queat. Quam laxitatem
„intrinſecam tertio non parum auget humi-
„ditatum frequentior, ac uberior affluxus
„(i. e. receptivitati ejus adæquatus,) & per
„quem leviores ejus læſiones ſæpius in gra-
„viora mala abeunt. Imo quarto venæ hu-
„jus extremitates, quia non tam in pro-
„fundo ſubſtantiæ inteſtini reconduntur, quam
„prominent, & tenui ſaltem atque tenſili
„admodum tunica obvelantur, facilius diſ-
„tenduntur, atque lacerantur, perinde circiter;
„ac narium v. g. venulas præ aliarum parti-
„um vaſis ſanguinem fundere novimus. De
„cetero nec improbabile eſt, hanc confor-
„mationem omnibus hominibus communem
„ſecundum individua aliquantum variare, &
„ad ſuſtinendas hæmorrhoides cæcas hæc
„præ aliis magis determinari, ita, ut non
„omnes a partu difficili eas experiantur; aliæ
„contra in facili quoque & fere ſemper —
„Qualem ſimilemve conformationem pecu-
„liarem cauſam quoque puto, quod familiis
„quibusdam harumve pluribus individuis,
„hæmorrhoidibus fluentibus æque, ac furen-
„tibus laborare quaſi hereditarium obſervetur
„— licet forſan communis hæc familiarum
„in

„in hunc affectum propenſio etiam aliquando „identitatem humoralem agnoſcat.“ Hæc ille. Si vero jam ad hanc nativam venæ internæ hæmorrhoidalis longitudinem, ſitumque perpendicularem ſimul acceſſerit ſeu nativa pariter, ſeu aliunde effecta laxitas, & capacitas, augebitur columnæ ſanguinis, ibidem pondus, & difficultas contra directionem gravitatis motus, unde ſtagnatio, accumulatio ſanguinis, venæque in varices diſtenſio ac ruptura inevitabilis. De ſolito majori; nativa tamen hujus venæ amplitudine proſtat apud CABROLLIUM (*a*) obſervatio in juvene quodam, cui duo fuere lienes cum propriis cuique venis, & arteriis; maxima fuit hæmorrhoidalis vena medio ex liene exiens. In vita ſemper hilaris erat juvenis, nunquam triſtis.

§. XIV.

5. PLETHORA *vera ſpuria*; ab utraque enim vaſa venoſa hæmorrhoidalia juſto magis dilatantur, varicoſa fiunt, rumpunturque. Situs autem & fabrica harum venarum in cauſa eſt, cur illis præ aliis a ſanguine vis inferatur, ut paulo ante dictum fuit. Quod ſi vero jam aliquando hæ venæ vim a plethora perpeſſæ ſunt, laxioresque redditæ; facilius etiam deinde a ſanguine vel maſſa, vel

(*a*) Obſerv. anat. 15.

vel volumine aucto superantur; atque sic dispositum ad hæmorrhoides corpus efficitur magis. Cavendus tamen quorundam est error, ne cum illis omnes hæmorrhoides a plethora repetamus, atque sic perperam omnem illarum curationem ad plethoram minuendam præprimis per sanguinis missiones dirigamus; haud pauci enim hodie sunt pathologi, qui non abs re hæmorrhoides crebrius a dyscrasia humorum; quam plethora oboriri contendunt. Sic I. A. WEDELIUS (*a*) „plethora — aliquando (ait) juncta videtur, „rarius tamen, quam quidam existimant, & „si adest, cacochymica, adeoque spuria ma„gis deprehenditur.“ Verum enim vero Auctor hic, & BOHNIUS, (*b*) contrariam rursus in partem impingunt, dum vix unquam plethoræ veræ locum hic dandum esse censent. Oriri enim multo sæpius, ac illis quidem videtur, ex plethora hæmorrhoides nemo facile inficiabitur, qui secum reputaverit, nasci eas toties in corporibus sanguineæ temperiei, laute, atque simul in otio viventibus, feminis præsertim, parcius simul menstruantibus, neque in bene multis enormem hæmorrhoidum fluxum & quidem per intervalla recursantem (*c*) citra sensibilem noxam toleratum iri, nisi super-

fluæ

(*a*) Diss. de hæmorrhoidib. cæcis (4to. Jenæ 1732. Resp. I. DIELERO) §. 20. p. 12.

(*b*) Diss. cit. §. 22.

(*c*) Vide §. 29. a) β. γ.

fluæ ſanguinis boni copiæ deberetur; quid quod cum euphoria feratur? Accidit utique interdum, ut ipſa plethora vera dyſcraſiam ſibi demum humorum aſſociet, velut accidit apud F. HOFFMANNUM (*c*) Comiti cuidam robuſto, ac ſanguineo, nullum fere unquam ante morbum experto, donec ingraveſcente ætate lauta ei, & vinoſa in otio diæta & neglectæ Væ. Sect. hæmorrhoidum fluxum conſciviſſent, ſingulis fere menſibus inſigni cum euphoria per multos annos revertentem. Tandem hyeme quadam a perfrigerato vehementer corpore hæmorrhoides cæcas ardentes, dolentesque nactus idoneis remediis convaluit quidem; at circa veris æquinoctium in trimeſtrem fere illarum incidit fluxum copioſiſſimum. Supervenit inſuper dolorifica ophthalmia. quam perinde ſanatam exceperunt ſucceſive crebræ pectoris ventrisque tenſiones, preſſorii, & gravativi in oſſe ſacro dolores, ſæpius ad femora, pedesque extenſi, frequens micturitio, anorexia ac dyſpepſia. Quæ omnia ſatis docent, ſanguinem hocce in corpore copia tantum primum, deinde etiam lentore peccaſſe. Sed cum a plethora hæmorrhoides naſci non ſit ambiguum; paradoxum tamen videri debet, eas ab inopia humorum bonorum naſci poſſe, id, quod H. F. DELIUS (*a*) tuetur, quod videli-

(*a*) Conſult. & reſp. med. cent. 2. Caſ. 26.

(*b*) Fränk. Samml. 7. Band. 42. St. 1. Abſchnitt. p. 493.

delicet vacuæ arteriæ magis ſeſe contrahendo ſanguinem debiles in venas compellant, eumque ibi ſtagnare oporteat. Sed vereor, ut opinio hæc defendi poſſit; nam etsi v. g. hydropicis hecticisque exhauſtis hæmorrhoides aliquando accidant, eas tamen non tam àb inopia; quam acri humorum tenuitate naſci exiſtimo.

§. XV.

6. HÆREDITARIA *labes*. „Hæc ſi ullibi, „certe in hæmorrhoidali negotio manifeſto „deprehendi ſolet, inquit M. ALBERTI (*a*); „qui hoc argumentum alias etiam fuſe per-„tractavit (*b*)." Radicalis hujus labis cauſa nondum ingenio humano perſpecta eſt; forte præter temperiem ad hæmorrhoides idoneam ſoboles a parentibus & venarum arteriarumque aptiſſimam ad eas fabricam cùm ſanguine itidem apto, & latente quodam ſyſtematis nervoſi Charactere, &c. accipit. Quidquid illud ſit, quod CREATOR oculorum, ac mentis humanæ aciei ſubduxit, a poſteriori certe hæmorrhoides gentilitias dari ſatis ſuperque conſtat. Sic non nemo apud J. SCHENKIUM (*c*) „Comites novimus (ait) „cer-

(*a*) Diſs. de fluxus hæmorrhoidalis provocatione (4to. Halæ 1719. Reſp. A. HERRMANN) theſi 4ta.

(*b*) Diſs. de hæmorrhoidib. hæreditar. (4to. ibid. 1727. Reſp. F. G. MEYENBERG.)

(*c*) Obſ. med. L. 3. P. 1. Obſ. 155.

„certæ familiæ, qui ex ordine hæmorrhoidi-
„bus laborant, & tamen læti vivunt, discur-
„runt, inquieteque ſe gerunt, quo citius
„tum ab iis liberentur, venis ad excretionem
„ſtimulatis, irritatisque." Et M. ALBERTI
(*a*) „hic loci adhuc vivit (ait) juvenis qui-
„dam virilitati jam propinquus, qui a patre
„hæmorrhoidibus cæcis valde afflicto genitus
„erat, a teneris annis parco licet hæmorrhoi-
„dali fluxu & ſucceſſu, multo vero motu,
„& molimine hæmorrhoidali ſimilem cæcum
„ſtatum hæmorrhoidum præſentante, laborat
„ita frequenti, & urgente, ut quot annis
„pluribus vicibus talem afflictionem patiatur,
„quæ rarius, interim tamen aliquando, ad
„actualem perveniunt eruptionem. Eſt vero
„in hoc Subjecto ſtatus hæmorrhoidalis ita
„intricatus, contumax, rebellis, arduus,
„immoderatus, & doloroſus, ut interdum
„internæ, & externæ inflammatoriæ commo-
„tiones, & conſecutiones obtigerint: quam
„ob rem hoc individium exacta diætæ ac re-
„giminis ratione frui debet. Huic caſui . . .
„alterum ad latus ponimus. Pater podagri-
„cus, nephriticus, & hæmorrhoidarius in
„populoſa urbe celebri in officio conſtitutus,
„cum matre ſanguineo - cholerici tempera-
„menti, & largo ſubinde menſium ac hæmorr-
„hoidum fluxu prædita, genuit filiam, quæ
„ſvo

(*a*) L. c. §. 3. p. 14. ſqq.

„8vo ætatis anno motus hæmorrhoidales, „poſtea vero præmaturam menſium, & ac„tualem hæmorrhoidum eruptionem experta „fuerat. Hæc multas calamitates ab irregu„lari hæmorrhoidum ſucceſſu paſſa eſt, & „dum in matrimonium tranſiit, peperit pau„cos infantes vivos, & integros; multis „vero abactionibus defatigata fuit. Infan„tes ipſi, qui adhuc ſuperſtites, & jam ali„quot annos circumegerunt, varios hæmorr„hoidales inſultus patiuntur." Duos quoque germanos ex hæreditariis hæmorrhoidibus hydropicos V. RIEDLINUS (*a*) curandos habuit, quorum unus hæmorrhoides in liberos quoque ita propagavit, ut sesquiennis puer ex uberi earum fluxu ultimo ſemeſtri ingruente obierit, & puella ſeptennis per bene longum tempus poſt ſingulas 6. vel 7. hebdomadas tantum ano ſanguinis emiſerit, quantum adultæ virgines per catamenia effundunt. Ad horum porro numerum addenda venit ALBERTII (*b*) femina cum duobus juvenibus, BEHRENSII (*c*) ſtudioſus, BOERHAVII (*d*) Marchio, CNOEFFELII (*e*) Rex Poloniæ, FRITSCHIUS ipſe (*f*), HEISTERI (*g*) Magnas, HOFF-

(*a*) Lin. med. ann. 4. Novembr. 21ma. p. 963.
(*b*) Vide §. 53. Nro. 1. & §. 115. Nro. 3.
(*c*) Vide §. 51. B. a. Nro. 1. δ.
(*d*) Vide §. 55. Nro. 9. e).
(*e*) Vide §. 53. II. Nro. 6.
(*f*) Vide §. 75. b)
(*g*) Vide §. 84. b)

HOFFMANNI (*a*) Judæus, LOEWII (*b*) Pharmacopæus, ROLLII (*c*) Sartor, &c. qui omnes hæmorrhoidum heredes fuere. Hujusmodi autem gentilitiæ hæmorrhoides ſæpe admodum juniori jam in ætate ſeſe per molimina, vel varices, vel ipſum quoque fluxum exſerunt, ita, ut raro impuberum hæmorrhoides aliunde, quam ex hæreditaria labe ortum ducant. Certe quorum hactenus hiſtoriæ datæ ſunt, ii plerique fuere ex ipſa proſapia hæmorrhoidarii, uti & puella puerque ALBERTII (*d*), tum juvenis SALOMMONIS (*e*), pueri WAHRENDORFFII (*f*), duo & unus WOLFFII (*g*) apud M. ALBERTI (*h*) hæmorrhoidaria quædam „femina . . . inter „plures liberos adhuc vivos etiam puerum „indulgentius educatum, & multo victu ſaginatum ſanum & integrum aſſervat, qui „tamen paulo quietioris eſt indolis. Hic jam „ferme a 2. annis ſua quidem ſponte verno „& æſtivo maxime tempore menſtrua plane „periodo prævio colico dolore conſpicuum „hæ-

---

(*a*) Vide §. 65.

(*b*) Vide §. 55. Nro. 14.

(*c*) Ibid. Nro. 11.

(*d*) Vide §. 53. III. B. Nro. 2.

(*e*) Vide §. 115. Nro. 1.

(*f*) Vide §. 10. & 53. III. B. Nro. 2.

(*g*) Vide §. 10.

(*h*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obſ. 217.

„hæmorrhoidalem fluxum per triduum durantem expertus erat, quo peracto, nihil inde adversi senserat, sed adhuc bona valetudine gaudet. Interea in hoc puerulo notandum est, quod ipse a teneris multo oppletus fuerit victu, & adhuc voraci distinctus sit appetitu; deinde quod mediocri afflictione verminosa laboraverit, quæ tamen parum molestiæ ipsi unquam facessit, ita ut ex vermibus menstruum hunc sanguinis fluxum deducere, velle non quidem rationi & veritati, quod rare mihi videatur. Porro hic puer quoad externum conspectum paulo palidior & turgidior comparet; interim ipsius parens integra gaudet sanitate, neque ulla eminet qualitate, ex qua per hæreditatem hæmorrhoidales motus ex patre in hunc natum propagari potuerint; neque mater illo tempore, quo hic puer genitus fuerat, hæmorrhoidales senserat conatus: at enim vero hujus matris parens & mater . . . . hæmorrhoidali laboraverant profluvio; ut nihilominus hujus incongrui fluxus in hoc puero ratio in hæreditaria dispositione satis conspicue hæreat." Memoria quoque dignum casum refert G. BEHR (*a*): „viri . . . in officio Regio constituti filius unicus . . . annum tunc agens 15um a patre plethorico, & colica hæmorrhoidali nonnunquam di-

„ve-

(*a*) Select. med. Francof. T. 2. V. 4. art. 3. p. 277.

„vexato, nullo vero hæmorrhoidali fluxu „hactenus affecto genitus (menſe Januario „anni . . . 1739. in patre prima vice emica- „bant hæmorrhoides, luculento teſtimonio „in filium hæreditario quaſi jure transiiſſe „easdem) ante 4 annos, menſe nempe Mar- „tio 1736. paulo poſt æquinoctium vernale, „perſentiſcebat dolores exquiſitiſſimos capitis: „quam ob cauſam ☿es temperantes antispas- „modici in uſum vocabantur; quo factum „eſt, ut ſubſequente narium hæmorrhagia lar- „giori dolores cum omnium ſymptomatum „remiſſione ſolverentur. Poſt trium circiter „ſeptimanarum decurſum cephalalgia recru- „deſcebat, & una cum tenſione, atque infla- „tione hypochondriorum, dorſique doloribus „denuo invadebat: ac propterea ☿es ante „dicti temperantes antispasmodici denuo & „quidem cum euphoria adhibebantur. Et „ecce! cum alvum deponeret, ſanguinis pri- „mum grumoſi deinde floridi portionem ad „unius præter propter unciæ quantitatem tri- „bus vicibus ſemper excrevit. Interim ſym- „ptomata omnia puerum relinquebant, atque „factum tandem eſt, ut longe vegetior, atque „alacrior inde redderetur. Ejusmodi acceſſum „denuo eſt paſſus, & quidem circa Solſtitium „æſtivum, deinde menſe Septembri poſt æqui- „noctium autumnale. Poſt hæc vero excre- „tiones tales hæmorrhoidales penitus ceſſa- „runt. Mecum interea penſitans caſum præ- „ſentem, eumque majorem, atque exactiorem „mereri attentionem exiſtimans, puerum . . .

„ut

„ut non ſolum tempus eruptionis (inſtabat „enim æquinoctium vernale), ſed etiam quot „dies duraturus, quandoque terminum ſuum „fluxus abſoluturus eſſet, probe obſervaret „admonui; quam ad monitionem haud negle- „xit in calendario enim optime omnia adno- „tavit, mihique Schedulam die 7. Februarii „1738. ſequentem tradidit:

Anno 1737.

die	27.	Mart.	initium hæmorrhoidum,
	30.	. . .	finis,
	11,	Julii	initium,
	13.	. . .	finis (ſat largiter),
	29.	Sept.	initium,
	1.	Oct.	finis (iterum largiter),
	7.	. . .	cœpit &
	8.	. . .	deſiit fluxus,
	3.	Nov.	initium,
	5.	. . .	finis,
	16.	. . .	initium,
	21.	. . .	finis,
	16.	Dec.	initium,
	21.	. . .	finis (iterum ſat largiter).

„Fluxum ſemper anteceſſere hypochondrio- „rum inflationes, dorſique dolores, quos „nonnunquam (non tamen ſemper) ſanguinis „grumoſi portio deinde ſanguis ſubſecutus „eſt floridus, nunc parcior, nunc largior; „unciarum autem trium quantitatem vix ſu- „peravit. Præterea eſt monendum, puerum „dictum poſt hanc excretionem hæmorrhoida-

„lem

„lem neque cephalalgia laboraſſe, neque a „narium hæmorrhagia amplius eſſe divexatum, „alvum quoque ſemper fuiſſe liberam. Cæ- „terum quod diætam hæmorrhoidarii noſtri „junioris attinet, quantum ſcio, vitæ genus „non lautum eſt, multo minus vinoſum vel „ſpirituoſum; contra cereviſia ſecundaria pro „potu ordinario ipſi ſemper fuit: nec multum „ſedendo, ſed potius ambulando vitam tranſ- „egit. Præterea utut annus tam 1736. „quam 1737. hic locorum fuerit morbidus, imo „multis exitialis, ſiquidem (A. 1736. dyſente- „ria, An. vero 1737. febres intermittentes tam „3næ quam quotidianæ epidemice graſſaban- „tur noſter tamen juvenis hæmorrhoidarius ab „omnibus hic locorum epidemice graſſanti- „bus morbis ſalvus, ac incolumis permanſit.“ Haud abſimilem caſum I. R. S. HOLDEFREÜND (*a*) refert de puero, cui robuſtis ſanisque parentibus, ordinatum tamen hæmorrhoi- dum fluxum paſſis, genito, & nondum 4tum ætatis annum ingreſſo idem fluxus accidit, fere 8va quaque hebdomade rediens, ut plurimum moderatus, quandoque tamen copioſus ac debilitans, cum quo 6um ætatis annum attigit ſub optima valetudine, roſeo- que faciei colore. Quid autem ulterior attu- lerit ætas, ignoratur. Vidit & R. LENTILIUS (*b*) novenni puero pallido, macroque, cu- jus

(*a*) Erzählungen merkwürd. Kranken - Geſchich- ten im Anhange 3ter. Vorfall. p. 103.

(*b*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 9. obſ. 124. ann. 5. app. p. 99.

jus pater ſat diu nimium hæmorrhoidum fluxum cum debilitate perpeſſus eſt — jam aliquoties hæmorrhoides fluxiſſe. F. HOFFMANNUS (*a*) perinde novit, „adoleſcentem „Halberſtadienſem civem, qui patre natus eſt „hypochondriaco, & hæmorrhoidali fluxui aſ„ſueto, qui omni menſis ſpatio hæmorrhoi„des large fluentes non ſine noxa experitur, „in cute ſimul apparentibus maculis, vulgo „Leberflecken, quæ diſparuere accedente flu„xu hæmorrhoidali.“ Simili etiam hæreditario fluxu ejus (*b*) „puer ex illuſtri familia „5to ætatis anno, & repetitis vicibus fuit „correptus“ I. B. FISCHERUS apud A. E. „BÜCHNERUM (*c*) vidit puerum patre hæmorr„hoidario natum octennem, hæmorrhoidum „fluxu ita laborantem, ut ſub qualibet alvo „egeſſerit ſanguinis cochlear parvum ſine „moleſtia, niſi quod temporis proceſſu ſeg„nis ac pallidus evaſerit. Fluxus idoneis „licet remediis adhibitis, duravit per 6. recur„ſus a Februario uſque ad Aprilem. Ubi autem in id genus ætate ſiſtema vaſorum hæmorrhoidalium nondum pro eo, ac pareſſet, evolutum eſt, ſolet hæreditaria illa ad hoc malum diſpoſitio ſanguinem ad alias partes cogere, & evacuare. Illuſtre hujus

(*a*) Diſs. cit. l. c.

(*b*) Diſſ. de affect. hæredit. §. 6. op. ſuppl. 2. P. I. p. 552.

(*c*) Miſc. phys. med. A. 1728. Marr. cl. 2. art. 4. p. 910.

hujus rei exemplum dat STHALIUS (*a*) „illuſtris „vir, qui hæmorrhoidum commode ſuccedente „fluxu valetudinem ſatis proſperam a pluri„bus annis ſuſtentavit, intercedentibus autem „aliquibus hæmorrhoidum interverſionibus „& alia inſignia incommoda emergentia ex„pertus eſt, & pedum notabilem inflationem „pervicacem etiam, atque ſtabilem, filium „genuit, qui florida adhuc adoleſcentia 15 „ad 18 annorum uti facie illuſtrem parentem „eximie exprimit, ita peculiare hæmorrhoi„dariæ ſanguineæ excretionis hæreditariæ ſym„bolum exhibet, frequentem præter modum „(& per æſtatem vix non quotidianam) na„rium hæmorrhagiam; notabili vero magis, „& quantum nos ſciamus, rariori exemplo, „licet non pariter frequentem, certe tamen „per æſtatem ſibi non infrequentem, ſince„ram exſudationem guttarum forma ſanguinis „e poris crurum; integra, ſana, & prorſus „illibata de reliquo cute. Quando vero hæc „inprimis evacuatio & fere poſt hanc illa „per nares, præter ſolitum ceſſant, acutis „febrilibus inſultibus cum inflamatoriæ in„dolis ſignis prompte corripitur.“ Hujus denique etiam loci eſſent, (modo vera res foret) hæreditariæ Judæorum hæmorrhoides, in ſempiternum illis opprobrium, pœnamque ob

(*a*) Diſſ. de hæredit. diſpoſit. ad varios affectus (4to Halæ 1706. Reſp. I. BURGHARD) §. 47. p. 32.

ob CHRISTUM neci datum, cujus ſanguinis ſeſe reos fecere, inflictæ, haud ſecius ac Philiſtæi olim ob arcam Domini retentam iisdem ſunt mulctati; qua de re multa in unum erudite collegit ex variis I. C. FROMMANNUS. (*a*) Neque etiam hinc excludenda eſt hæreditaria ad hæmorrhoides diſpoſitio, quam proles a parentibus etſi manifeſte non hæmorrhoidariis, podagricis tamen ac hypochondriacis accipiunt, qui ſæpiſſime proles hæmorrhoidarias progignere ſolent. Sane juvenis ALBERTI (*b*) patre hypochondriaco; podagrico GOHLII (*c*) prognatus eſt, & vratislavienſium (*d*) juveni podagricus pater, mater calculoſa obtigit.

§. XVI.

7. PASSIO *hypochondriaca hyſterica* feraces admodum ſunt hæmorrhoidum, idque vel maxime ob crebros abdominis ſpaſmos, à queis ſanguinis per inferiores venas ſurſum refluxus remoram inſignem patitur, ac proinde in his venis congeritur, eas diſtendit in varices, ac demum rumpit. Cauſam

---

(*a*) L. c. P. I. probl. 33. 34. p. 145. ſqq.
(*b*) Vide §. 33. c) β.
(*c*) Vide §. 47. c)
(*d*) Vide §. 55. Nro. 5.

ſam hanc medicis enixe inculcat POMME; (*a*) & quid mirum? cum QUARINONIUS (*b*) literis prodiderit, ſæpe ſe in hypochondriacis meſenterii venas uſque adeo reperiſſe dilatatas, ut inteſtina potius; quam venæ eſſe crederentur. Symptomaticæ tunc utplurimum ac plus lædentes, nedum levantes, ſunt hæmorrhoides qualium exemplum luculentum F. HOFFMANNUS (*c*) commemorat in viro 40. annorum, melancholicæ temperici, qui ex vita ſedentaria continuisque lucubrationibus contraxit inde jam a 20 annis malum hypochondriacum, quod primum præcordiorum anxietates, compreſſionem pectoris ac diaphragmatis, inflativum hypohondrii lævi dolorem, contumacem alvi adſtrictionem & inſignem animi angorem attulit; ante 10 annos acceſſit hæmorrhoidum fluxus, ſæpiusque abhinc rediit, nullo emolumento; quin potius antiqua mala novis auxit, nempe cordis palpitatione, doloribus capitis, cervicis, ac demum etiam podagricis. Ingruente horrida tempeſtate cum ſeptemtrionalibus potiſſimum ventis omnia mire exacerbata videre fuit, & artubus extremis, qui ſuccis alias turgebant, hor-

---

(*a*) Von den hyſter. u. hypoch. Nervenkrankheiten. p. 214. ſqq.

(*b*) Conſult. 584.

(*c*) Med. rat. ſyl. T. 4. P. 3. S. 1. C. 6. Obſ. 5.

horrentibus, detumescentibusque cum disparitione vasorum certum fiebat, imminere paroxysmum, cujus symptomata protinus iterum remittebant ad redeuntem artubus dictis nativum colorem. Dolentibus autem artubus externis caput, ac pectus dolore vocabant; quod si dolor extrema deserebat, caput, pectusque graviter impetebat. Appetitus nihilominus adhuc vigebat, imo sæpius fere immodicus erat.

§. XVII.

8. TUMORES *abdominales* quatenus vel venas comprimendo, sanguinis per eas refluxum remorantur, illeque in iis restitans illas in varices elevat (*a*), vel arteriosum sanguinem haud ea, qua par esset, copia transmittendo ejus ad hæmorrhoidales arterias uberiorem affluxum causant, &c. Huc itaque referendi sunt tumores.

a) *Intestinorum* vel flatulenti, vel stercorei vel verminosi, &c. de quibus alibi (*b*) singillatim agetur.

b) *Uteri* præsertim fœtu gravidi, de quo perinde pluribus dicetur inferius (*c*)

c)

(*a*) C. G. LUDWIG, Adversar. med. pract. Vol. 2. P. 3. Diff. 1. p. 388.

(*b*) Vide §. 21. 23. b)

(*c*) Vide §. 24.

c) *Renum* ſcirrhoſi, purulenti, aquoſi &c. P. A. BOEHMERUS (*a*) „vidimus (inquit) „in ſeptuagenario nimio hæmorrhoidum flu- „xu extenuato; & mortuo ſpecialem renum „Hydropem. Ren dexter ponderabat ℔ ij „cum dimidia, ſiniſter ℔ ij. Membrana re- „num adipoſa indurata erat ac ſero flaveſcente „urinam redolente referta; interior vero ſub- „ſtantia penitus fere veſicularis eundem li- „quorem continebat. Veſiculæ inæqualis „figuræ & magnitudinis reperiebantur, maxi- „maque pars ſubſtantiæ renalis partim cor- „ticalis, partim vero medularis deleta.“

d) *Hepatis* infarctus, ſcirrhus, &c. unde ſymptomaticæ ut plurimum hæmorrhoides accidunt.

§. XVIII.

9. CACHEXIAE variæ haud raro ita ſo- lidis fluidiſque vel vitium vel motum anoma- lum conſciſcunt, ut inde corpus ad hæmorr- hoides reddatur proclive. Huc vel maxime faciunt.

a) *Atrabilis*; nam GALENO (*b*) teſte „quorum ſuccus malus melancholicus fuerit, „— ni-

(*a*) Obſerv. anatom. rar. facic. 2. in præfat. Obs. 4. fol. 6.

(*b*) De ſuccor. bonitate & vitio Cap. 14.

„— nigras plerisque varices, & hæmorrhoi-„das attulit, hujusce modi succus:" quemadmodum id HOFFMANNI (c) secretario accidit

b) *Lithiasis.* Hanc inter, & calculum magnam intercedere affinitatem, ita ut alterum ab altero facile nascatur, docte omnino demonstravit M. ALBERTI, (b) & singularem hujus commatis casum I. STORCH (c) commemorat. Cholerico - melancholicus 70 annorum multis ab annis calculosas affectiones perpessus Martio mense 1727. nactus est in femore ulcus humidum pruriens, ardensque cum materia alba calcarea ei adhærescente; quo nato imunis evasit ab incommodis calculi. Præscriptum:

℞ ♁ conchar ppt. d. j. ß
— antispasm. d. ß. M. div. in doses sex M. & V. ex aqua sumendas.
℞ ♁ C. C. usti ℥ß
— sem. lycop. d. ij. M.

D. pro conspergendo ulcere. Die 12. femore pene jam siccato inflammabatur scrotum, omisso ergo femore jussus est æger ♁em scroto inspergere, simulque unq. lithar-

(a) Vide §. 53. I.
(b) Diss. cit ad §. 9. c)
(c) Obs. clin. ann. 5. Octobr. cl. 4. p. 230.

lithargirii adhibere. Scroto sic etiam 18vo relevato fluxere hæmorrhoides. Ad evehendam abhinc fluxionis materiam datum 25to die catharticum e pillularum de succin. CRAT. BECHER. purg. āā ℈ß. unde toto anno sub leni e femore fluxione senex sic satis sanus vixit.

c) *Hydropes* varii, qui symptomaticas, ac plerumque funestas hæmorrhoides (*a*) producere solent, nisi forte ab harum suppressione illi orti sint, qui fluxu reverso sanantur. (*b*)

d) *Scorbutus* quoque ingravescens haud raro symptomaticas, & ut plurimum ominosas hæmorrhoides (*c*) causare consuevit.

e) *Pyoses*, seu cachexia purulenta ab ulceribus internis, externisve, resorptione puris in sanguinis massam, enata: unde toties in tabidis hæmorrhoides symptomaticæ, & exitium plerumque comminantes.

(*a*) Vide §. 53. III. B. Nro. 4.
(*b*) Vide §. 53. III. A. Nro. 2. i)
(*c*) Vide §. 53. III. B. Nro. 2.

CAPUT IV.

PROCATARCTICÆ CAUSÆ.

§. XIX.

1. INGESTA varia ita natura ſua comparata ſunt, ut facile morbum hæmorrhoidalem acceſſant, & præprimis

a) *Calida*, acria, rarefacientia ſanguinem, vel maxime ſpirituoſa, ut vina generoſa præſertim Hungarica, aliaque potulenta inebriantia, quod plethoram ſpuriam (*a*) producant. Sic a vino aliisque inebriantibus liquidis in hæmorrhoides incidit HENCKELII (*b*) ebrioſus, vir apud DE LA METHRIE (*c*), puer MÜLLERII (*d*), STAHLII (*e*) aulicus, ac TRUMPHII (*f*) homo. In iis autem, qui morbo huic jam ante exſtitere obnoxii, ab id genus potibus hæmorrhoides crebrius uberiusque fluere obſervantur, velut in HERMANNI

(*a*) Vide §. 14.
(*b*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. Veſicæ. §. 18. B. Nro. 3.
(*c*) Vide §. 91.
(*d*) Vide §. 84. c)
(*e*) Vide §. 75. c)
(*f*) Vide §. 53. III. A. Nro. 2. l)

NI (*a*) viro; imo in immodicum inde fluxum prolapsi sunt, CORNARII (*b*) nobilis & PEZOLDI (*c*) Eques. Ac tanto quoque magis hæmorrhoides a vino progignuntur, si illud mangonio vitiatum spasmos intestinorum sanguinis per venas hæmorrhoidales refluentis cursum remorantes accersiverit. Sic apud J. D. GOHLIUM (*d*) vir hæmorrhoidibus albis obnoxius quoties in potu excederet, anorexia, & nauseosa cardialgia plectebatur, multumque muci albicantis sine ullo sanguinis vestigio cum tenesmo egerebat. Magonisatum autem vinum si quando bibit, mox, capitis, & spasmodico lævi hypochondrii dolore corripiebatur, &c.

b) *Solventia* ab iis, quibus tenuior est sanguis, usurpata, præsertim aquæ soteriæ ac ☿lia. Sic ab imprudenti ▽æ Pyrmontanæ potu HOFFMANNI (*e*) æger ex profuso hæmorrhoidum fluxu interiit. Erat is 63. ætatis annum egressus; pleno ac robusto corpore, a multis annis liberalem & fere menstruum hæmorrhoidum fluxum cum lucro valetudinis pati

---

(*a*) Vide §. 59. b)
(*b*) Vide §. 95. d)
(*c*) Vide §. 59. b)
(*d*) Act. med. Berolin. dec. I. vol. 4. sect. I. Nro. 4. p. 54.
(*e*) Med. rat. syst. T. 4. P. 2. S. I. C. 4. Obs. I.

pati ſolitus, quo a diuturno tacita cum ira mærore ſuppreſſo cum faciem ante floridam flaveſcere, ac flacceſcere cum oculorum intumeſcentia videret, cachexiæ metu Pyrmontanas acidulas ex fonte ingenti copia, at ſine idoneo ſub uſu earum, deincepsque regimine, hauſit, a queis effuſiſſima ſecuta eſt ani hæmorrhagia, nec nitroſis pulveribus, nec BECHERI pillulis compeſcenda; ſed pedes oedematoſi facti, venter intumuit, collapſæ vires, diſpnæaque afflixit, & ſuperioribus artubus contabeſcentibus demum æger obiit. Haud ſecius civis apud POMME (*a*) ex ira poſt ☿ii uſum in immodicum hæmorrhoidum fluxum prolapſus eſt.

c) *Emmenagoga* quatenus ſanguinem ad iliaca vaſa & organa in pelvi locata uberius determinant ſicque hæmorrhoidalium vaſorum infarctum cauſant, in viris ob uterinorum vaſorum abſentiam, in feminis vero, dum utero gerunt. J. STORCH (*b*) curandam habuit mulierem juvenem cholericam in abſentia viri ab alio ingravidatam, quæ cum ad excutiendum per catamenia fœtum largas balſami 🜍 doſes & frigidum ſabinæ in aqua infuſum uſurpaſſet, non modo menſes (at illæ-

ſo,

(*a*) Vide §. 133. b)

(*b*) L. c. ann. 7. Febr. cl. 2. p. 41. ſq. & von Krankh. der Weiber. T. 3. Caſ. 109. p.489. ſqq.

so, & justo dein tempore edito fœtu) inde nacta est, sed etiam hæmorrhoides tumentes æque, ac fluentes cum vehementi tenesmo, ac dolore, alvo rara, dura & ad syncopen usque dolorifica, ventrisque meteorismo. Mensibus autem deinceps non reversis eo acrius hæmorrhoides afflixere, quoad peperisset. Dignum etiam lectu casum H. F. DELIUS (*a*) suppeditat de robusto milite 24. annorum, nec narium hæmorrhagias, nec hæmoptoen, nec ullas sanguinis ebullitiones, nec spasmos abdominis perpesso, qui post multos concubitus insuper jusculo emmenagogo, quod puellæ ejus ad pessumdandos fœtus sibi pararunt, epoto in tantam abdominis incidit inflationem, ut ilia timuerit crepatura. Sumto emetico sæpius quidem, & cum euphoria vomuit; sed ex illo tempore vomitus interdum recurrebant, angustiis præsertim a flatulentia recrudescentibus. Variis ab hinc aliis remediis usus est, sine levamine, quod veram mali causam reticuerit, variisque toto inde anno cum malis conflictatus est, frequentibus nempe cardialgiis, flatulentiis, tenesmo, & stranguria interdum, atque affectibus lipothymicis. Cibi assumpti vel modicum ...us frumenti motus hos exacerbabant. Lapso ita anno Auctorem consuluit luridus aspectu cum abdomine tumido, retulitque se ante semestre

(*a*) Amænit. med. dec. 3. Cas. 6. p. 210.

ſtre bis moleſtiſſimo tenesmo correptum ſcybala ſtriis cruoris permixta egeſſiſſe, & ubi diu celatam aliis morbi cauſam illi apperuiſſet, præbuit Auctor elixir viscerale ex gumm. reſolv. & extractis amaris cum ſemivinoſo menſtruo paratum, anim. rhab. eſſ. cascarill. millefol. Ω ⦶ dulc. Ab his blanda alvus & crebri ructus levantes, mitior teneſmus, atque a prandio anguſtiæ pauciores, levioresque; verſus veſperam autem plerumque paroxismus hæmorrhoidalis recurrebat impetuoſiori ad loca hæmorrhoidalia congeſtione, colicis doloribus & atrocibus circa os ſacrum ſpaſmis. Jungebantur ſonora abdominis murmura, & quoties iſtud manu paulisper comprimebatur, flatus obſervabatur, ex uno clauſtro in aliud cum ſtrepitu migrare, juſſus eſt priorem mixturam iterare, & ad gtt. 50 ter in dies capere, in paroxismo autem ſaturatum millefolii decoctum calide haurire. Cereviſia parcius conceſſa, & 𝒮ui frumenti ſuffecta ∇a meliſſæ vinoſa. His pedetentim ita eſt emendatus, ut citra inſigne incommodum equo rurſus uti potuerit.

d) *Cathartica* præprimis draſtica. Eorum enim ſpecifica vis agendi humores uberius ad inferiorum partium vaſa determinat, ſimulque homo tempore dejectionum crebros edit nixus ad alvum egerendam, eoque vehementiores, quo cathartici ſtimulus acrior fuerit, ſub queis compreſſio venarum abdominalium efficitur, ſicque ſanguinis per eas refluxus

ratar-

retardatur, ac ſanguis ibidem congeſtus ex arteriis illas in varices diſtendit, rumpitque; quod eo promtius accidit, ſi purgans fuerit draſticum, & ſpasmos abdominales eodem tempore concitaverit, a queis venarum tanto major efficitur compreſſio. Sic BIERLINGII (*a*) mercator a draſtico cathartico cæcas nactus eſt hæmorrhoides, nimium vero a catharticis fluxerunt militi HOFFMANNI (*b*) ac figulo SPINDLERI (*c*). In diſpoſitis autem vel habituali in morbo ſola ſæpe eccoprotica, vel non usque adeo ſaltem draſtica ſufficiunt ad proritandum hæmorrhoidum fluxum. „Novi„mus, inquit STAHLIUS (*d*) virum ſangui„neum leviter melancholici ſtatus, plethori„cum, qui cum prius & ſponte nunquam ſen„ſerit hæmorrhoidum fluxum, tricenaria cir„citer ætate, quotiescunque purgans aliquod „paulo largiore doſi aut efficacia aſſumeret, „ſtatim ſanguinem una, & quidem absque „dolore, aut alio incommodo excernere ſue„vit.“ Perinde apud C. T. BIERLINGIUM (*e*) illuſtris perſona 50 annis major, ſanguineo-cholerica, ſaniſſima, prophilactice quotannis ante

(*a*) Vide §. 126. c) β

(*b*) Vide §. 95. a)

(*c*) Vide §. 119. Nro. 4.

(*d*) Diſſ. de hæmorrhoidum internar. motu, cap. 4. p. 21.

(*e*) Adverſar. curioſor. Cent. 1. Obſ. 21. p. 41.

ante quodvis æquinoctium ſumens catharticum jam ex ſola pulpa Caſſiæ; jam cum pulpa tamarindorum, ſyrupo Cich. c. rheo, & guttis aliquot eſs. ♂ ☿ satæ ZWELF. in infuſo Sennæ ſine coctione, & expreſſione poſt quamlibet purgationem patiebatur 5 ad 9 dies ſub alvi depoſitione fluxum hæmorrhoidum ſatis uberem, ut in dies ſanguinis ℥viij vel jx redderet, indeque inteſtini recti prolapſum, at ſine ulla virium jactura. Imo aliqua ex catharticis ob idioſyncraſiam peculiarem nonnulli haud ferunt, quin ocijus hæmorrhoides inde aut fluant, aut tumeant. Ita „lanius „Ulmenſia, narrat I. SCULTETUS (*a*) . . . „a diuturnis hæmorrhoidibus cannula, & ſtilo . . . tandem liberatus toties recidivam „paſſus eſt, quoties medicamentum purgans, „quod ingrederentur vel folia ſennæ, vel „ſcamonium ore aſſumſit. Quapropter . . . „ægrotanti interdiximus uſum ſennatorum, & „ſcamoniatorum, qui inde acerbo ab hæmorrhoidum dolore per multos annos immunis „ſaluberrime vixit." Hujus quoque loci ſunt acriora clysmata crebrius injecta, ut quæ non modo motum periſtalticum adaugent; ſed & majorem ſtimulo ſuo humorum ad hæmorrhoidalia vaſa affluxum alliciant, notantibus id & I. WALÆO (*b*) & HOFFMANNO apud L. SCHOL-

---

(*a*) Armamentar. chirurg. Obſ. 76.
(*b*) Method. medendi. p. m. 120.

SCHOLZIUM, (*a*) queis suffragatur observatio F. DECKERI (*b*) de muliere ad 38 annos nata; melancholica, alvum fere semper adstrictam habente, præsertim post catharticum, qua restitante variarum partium doloribus affligebatur, alvi egestione semper mitescentibus. Postquam autem consilio medici alvum crebris enematibus solicitasset, natura iis ita assuevit, ut sine iis nunquam alvus solveretur, demumque magnus consequeretur hæmorrhoidum fluxus. Accitus Auctor enematibus suffecit sequentem haustum catarticum.

℞ Cass. sistul recent. extract. ℥β.
Mannæ calabr.
Syrup. rosar. solut āā d. v.
▽æ chichor. q. s. M. F. haustus.

Ter inde sine dolore alvus mota, & post biduum sponte semel soluta. Ab hinc vero restitans denuo alvus eodem semper haustu leniter solvebatur, & 4ta ejus assumtione hæmorrhoidum quoque fluxus est percuratus.

e) *Aloe*, & remedia eam continentia vel crebro, vel dosi liberali usurpata. Quem admodum enim cantharides in vias urophoras, ☿us in salivales glandulas, &c. specifice agunt; ita etiam aloe omnium ætatum, ac medico-

(*a*) Consil. 173.

(*b*) Exercit. med. pract. Cap. 6. p. m. 450.

medicorum teſtimonio primariam a creatore nacta eſt efficaciam, ſanguinem ad hæmorthoïdalia vaſa uberius determinandi, alvumque ſolvendi; utut nonnulli eam ab hac vi abſolvere ſint adniſi: (*a*) conſtans tamen experientia nullum amplius dubio reliquit locum. Certe G. FALLOPIUS (*b*) affirmat millies quaſi viſum a ſe fuiſſe, uſu aloes reſerari hæmorrhoides, ita ut e 100. illa utentibus 90 ſint futuri, qui hæmorrhoides inde adipiſcantur. Hinc multis etiam in locis, ubi remediorum aloeticorum uſus invaluit, hæmorrhoides velut endemiæ obſervantur, R. FONSECA, (*c*) „hæmorrhoides (ait) ſunt morbi „regionales, & endemii; frequentiſſimi venetiis, Patavii,& locis circum vicinis, quarum „cauſæ multiplices eſſe videntur, prima eſt „— frequentiſſimus uſus pillularum aloes 2da. „tumores lienis, qui & ipſi quoque frequentes ſunt in his locis; 3a. multiplex uſus medicamentorum purgantium, clyſterium, & ſuppoſitoriorum; 4a attritio partium illarum" a deteſtando ne Italis familiari crimine ſodomitico? „Ex eadem ratione a medico apud Hamburgenſes aliquamdiu commorato audivimus" inquit STAHLIUS. (*d*) „familiares ibi locorum ob-

(*a*) FROMANN — l. c. P. I. probl. 23. p. 104. ſqq.

(*b*) De ſimpl. purgant. facult. Cap. 32.

(*c*) Conſult. med. T. I. Conſ. 27. p. m. 182. ſq. 186.

(*d*) Diſſ. de motu ſanguinis hæmorrhoidali, & hæmorrhoidibus externis. Cap. 7. p. 20.

„obſervari hæmorrhoides ob valde familiarem „uſum elixirii proprietatis" &c. Porro G. V. WEDELIUS (*a*) „ab uſu adulto (ait) pillularum „Francofurtenſium 4a. fere pars eorum, qui „iis uſi ſunt, obſervata fuit hæmorrhoidi„bus correpta. Experiri id quivis poteſt, „ſi continuare uſum ejuſdem (aloes) per ali„quot dies ſuſtineat, teneſmum ſaltem hæ„morrhoidalem excitari" id quod G. E. STAHLIUS (*b*) etiam bona fide teſtatur „quod „nempe homines aliquot deprehenderit, qui „non adeo æque ab ulla aliqua prægreſſa „conſuetudine hæmorrhagialium aut artifi„cialium ſanguinis ventilationum prædiſpoſiti, „ſed ſolum a paulo agiliori vitæ genere ad „paulo ſegnius tranſgreſſi, luculentis valde „hæmorrhoidalibus motibus infeſtari cæpe„runt, nulla alia cauſa apparente, niſi quod „pillularum francofurtenſium uſui temere aſ„ſueviſſent." Hoc ipſum etiam C. F. PAULLINI. (*c*) binis in ægris obſervavit, & WEBERI (*d*) quadragenarius aloeticorum cum carminativis uſu hæmorrhoidum fluxum ad aſcitem uſque nimium ſibi cauſavit, ſic etiam I. CALVINUS (referente BEZA in ejus vita) partim ex vocis contentione; partim (quod) ſe-

ro

(*a*) Amænit. Mater. med. L. 2. S. 1. Cap. 6. p. 257.

(*b*) Diſſ. de hæmorrhoid. internar. motu. Cap. 4. p. 20.

(*c*) Vide §. 82. 95. a)

(*d*) Vide §. 93.

ro nimis animadverſum) ex immodico aloes uſu primum in hæmorrhoides, easque demum ulceroſas dein 5. ante mortem annis in ſanguinis ſcreatum incidit, ac tandem ex quartana interiit. 1. STORCHII. (*a*) ruſtica mulier 50. annorum cum ad familiarem ſibi conſtipationem alvi amoliendam ſæpius aloen cum — ℞ frumenti uſurpaſſet, incidit in enormes ani dolores, ardoremque, ac teneſmum, ardore in dorſum uſque excurente, ac teneſmo purum quandoque ſanguinem exprimente. Datus, ubi annum jam ſub his tormentis ægra exegit ☿ antiſpaſmodicus, imperatus litus, præbitum infuſum millefolii; at omnia ſine levamine, alvina conſtipatione manente tam contumaci, ut ægra intra tres vel 4. dies vix ſemel quieverit ope foliorum ſennæ alvum reſerare, donec relicto aloes uſu, & potis per æſtatem proximam aliquamdiu aquis fontis Liebſteinenſis melius habere cæpit.

§. 20.

2. NIXUS validi, crebrique ad alvum, partum, &c. editi, queis abdominis contenta omnia arctius in ſpatium rediguntur, ac verſus pelvim urgentur; quo fit, ut per venas, præſertim hæmorrhoidales; compreſſas ſan-

---

(*a*) Obſ. clim. ann. 3. Decemb. d. 4. Nro. 9. p. 835.

ſanguis refluere non valens in varices extendat, aliquando demum crepaturas. In partu vero hanc eandem venarum compreſſionem fœtus etiam inſigniter auget. Hinc G. HORSTII (*a*) mulieri macræ, ad 40 annos natæ hæmorrhoides a laborioſo partu uſque adeo turgebant, ut ſæpius cum ſtercore non modo molis tumor duas juglandes æquans exprimeretur; ſed fluidus quoque ſanguis profluere. A partu etiam hæmorrhoides nactæ ſunt feminæ FORESTI. (*b*) GOCKELII. (*c*) duæ HEISTERI. (*d*) LENTILII. (*e*) RIEDLINI. (*f*) SALOMONIS. (*g*) ac WEDELII. (*h*) matronaque R. I. FORTIS. (*i*) Ab alvi autem nixibus cæcæ hæmorrhoides obortæ ſunt RAIMANNI (*k*) viro, ac WALTHERI (*l*) nobili. Mirum vero eſt voluntariis nixibus pro arbitrio fluxum hæmorrhoidum concilari poſſe, id quod D. PANAROLUS (*m*) obſervatum fuiſ-

---

(*a*) Obſ. med. P. II. L. 1. Obſ. 14.
(*b*) Vide §. 126. c) d. — (*c*) Vide §. 119. Nro. 3.
(*d*) Vide §. 84. c) §. 131. Nro. 7.
(*e*) Vide §. 64. c) (*f*) Vide §. 133. a)
(*g*) Vide §. 115. Nro. 1.
(*h*) Vide §. 24.
(*i*) Conſult. & reſp. med. T. 2. Cent. 3. Caſ. 15. p. 334.
(*k*) Vide §. 109. b)
(*l*) Vide §. 131. Nro. 19.
(*m*) Obſ. med. Pentec. 2. Obſ. 47. p. 110.

fuiſſe narrat; videlicet. „Senex quidam „cum non recte ſe haberet, dum eſſet ju„venis, erumpente ſanguine ex hæmorrhoi„dalibus venis ſanus fiebat; ſed (quod mi„rum eſt) natura ex iteratis actibus motum „naturalem in voluntarium convertit: tam „facilis eſt hæc ſanguinis ejectio in dicto ſe„ne, ut cum aliquo modo male ſe habeat, „tunc plus vel minus ſanguinis, quantum li„bet, excernat, & bene ſe habeat.“

§. XXI.

3. METEORISMUS *abdominis*: turgentibus enim aere multo elaſtico inteſtinis compreſſæ venæ a ſtagnante ſuo ſanguine & uberius continenter ab arteriis affluente ſenſim in varices elevantur, facileque hæ ipſæ crepant. F. HOFFMANNI (*a*) trimula puella pallida, parumque appetens cum fecibus alvinis pauxillum cruoris egerebat, ac poſtea tuberculum quoque renitens, & avellanam magnum nacta eſt; multæ moleſtiæ inter ſedendum. Cum ex diſpepſia, ac flatulentia morbus natus eſſe cenſeretur, ad liberam alvum ſervandam, ſanguinemque depurandum præbuit Auctor infuſum alternis diebus mane hauriendum.

℞ Herb.

(*a*) Med. rat. ſyſt. T. 4. Supplem. Cap. II. Obſ. II. Opp. T. 3. p. m. 503.

℞. Herb. hederæ terr. M. j.
Sumitat. millefol.
Flor. chamom. vulg.
— pap. rhæad āā. p. jv.
Fol. Sennæ ſ. ſ.
Crem. ♀ri āā ℨij. M. conc. D. ut ℨj cum ℔ij ▽æ infundatur. Stomacho proſpectum elixir viſcerali Auctoris ad guttas 20. in prandio & 5ta hora veſpertina dato. Ani denique tuberculo linteum calido vino rubro Pontack dicto imbutum admotum. Ab his ægra brevi convaluit. Nihil autem flatulentiam facilius progignit, quam ingeſta flatulenta, ac perfrigeratio corporis, præſertim, ubi laxitas inſuper tubi inteſtinalis præſto eſt, & aliqua ſimul plethora. Sic J. STORCHII (*a*) coqua procera & cholerica, victu bono, vinoque non carens, a comeſta pulte farinacea incidit primum in tormina, quæ deinde in teneſmum degenerarunt adeo vehementem, ut ſub alvi egeſtione non modo ſanguis ſimul excerneretur, ſed ardentia quoque tubercula dolorifica erumperent. Cum clarum eſſet, hæmorrhoides cum cæcas, tum fluentes adeſſe, dati ♁es ex cryſtallo ♀ri, ⏀o, ac cinabari, atque MRa ex ℞is rhei, ac ♀ri: miteſcentibus inde hæmorrhoidum doloribus obortus eſt ad 14 dies fluxus menſium, quem cohi-

(*a*) Von Krankh. der Weiber. T. 2. Caſ. 31. p. 154.

cohibuere ℥es ex corall. rubr. gr. XV. & ⦶ purifs. gr. V. conflati, 7ma quaque hora ex ▽a haufti. Sublato fluxu imperata larga pedis phlebotomia cum levamine; nam catamenia deinceps jufta copia fluxere.

§. XXII.

4. COLLUVIES *humorum* pravorum primis in viis, quæ non modo ob junctam plerumque flatulentiam; fed etiam, fi biliofa illa fit, ob tenuitatem fanguini inductam hæmorrhoides haud raro ac plerumque immodice fluentes, caufat. Enim vero neminem Practicorum præterit, varias a biliofa cacochymia hæmorrhagias produci, prout nempe quisque æger fecundum fui corporis idiofyncrafiam ad hanc vel illam eft magis proclivis. Ita in febribus biliofis catamenia feminis ante tempus comparent, imo, fi quæ uteri hæmorrhagiis obnoxiæ funt, fæpe has extra febrem a bile collecta pati folent. Neque ulli (opinor) ignotæ funt hæmoptyfes biliofæ &c. Quid igitur mirum, a faburra biliofa hæmorrhoides quoque fluere, & fæpe quidem cum exceffu? manifefta hujus rei exempla præbent HERMANNI (*a*) vir, ac PEZOLDI (*b*) Eques, multique alii.

§. XXIII.

(*a*) Vide §. 59. b)
(*b*) Vide §. 59. b)

§. XXIII.

5. ALVUS vel fluxa vel dura.

a) *Fluxa* ob rationes in catharticis (*a*) jam datas. A diarrhœa ſane hæmorrhoides nacti ſunt ſtudioſus BEHRENSII (*b*) ac vir DANIELIS (*c*), tum GERBEZIUS (*d*) ipſe, helluo HENCKELII (*e*) ſenexque SMETII (*f*). Dyſenteria vero longior inprimis, ob majores nixus conjunctos, ſpaſmos &c. eo promtius hæmorrhoides HAENIO (*g*) teſte accerſit. Sic J. S. ALBRECHT (*h*) de conſtitutione dyſenterica Octobris 1736. Coburgi obſervata agens „multis (ait) ceſſante dyſſenteri-„co fluxu pertinacem hæmorrhoidalem ſuper-„veniſſe, quorum e numero puer 14 anno-„rum erat, quem medio Septembri dyſente-„ria adeo benigna invaſit, ut non tantum „orthoſtadius maneret, verum etiam appeti-

 „tu

(*a*) Vide §. 19. d)

(*b*) Vide §. 51. B. a. Nro 1. δ

(*c*) Vide §. 60.

(*d*) Vide §. 84. c)

(*e*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. veſicæ. §. 18. B. Nro. 3.

(*f*) Vide §. 51. B. a) Nro. 1. γ

(*g*) L. c. Cap. 2. §. 8.

(*h*) Commerc. Nor. T. 7. A. 1737. hebdom. 8. Nro. 1. p. 58.

„tu satis laudabili gauderet. In hoc ipso pue-
„ro tandem symptomata dysenterica (tormina
„nimirum crebriorque desidendi conatus) om-
„nino evanuerunt, ut nec minimum de iis
„sentiret; semel tantum sub noctem post uni-
„cam fecum alvinarum justæ consistentiæ ex-
„clusionem, tenesmus cum sanguinis sinceri-
„oris modica excretione se manifestabat; qua
„finita per integrum nycthemerum sine dolo-
„ribus, & dejectione bene se habuit æger,
„talisque valetudinis status mensem fere du-
„rabat; quoniam ob virium exile detrimen-
„tum ejusmodi excretionem præpropere suf-
„flaminare non adeo necessarium duceba-
„tur: donec tandem & hæc chronica excretio
„penitus cessaret.“ Alias (*a*) quoque obser-
„vavit puerum 6 annos natum, qui anno su-
„periori dysenteriam epidemicam feliciter eva-
„serat, sub initium statim . . . mensis (Ja-
„nuarii 1737) hæmorrhoidibus internis fluen-
„tibus per aliquot dies semper post scybalo-
„rum solidorum excretionem, tentatum fuisse.

b) *Dura*, rara, laboriose deponenda; dura enim scybala diu copiose collecta venas hæmorrhoidales premunt; quam pressionem accedentes deinde validi nixus magis intendunt: quo fit, ut sanguis per eas refluere nequiens, uberiusque affluens eas distendat, rum-

(*a*) Ibid. hebd. 27. Nro. 2. p. 212. sq.

rumpat. Ab hac ſane cauſa LENTILII (*a*), ac STORCHII (*b*) mulieribus, ac RIVERII (*c*) Religioſo hæmorrhoides obortæ ſunt. Qua in re MORGAGNIUS (*d*) non abs re ſæpe accuſandam cenſet „conſuetudinem . . . multo „partius edendi, & præſertim bibendi, quam „ferre poſſit natura. Sic in SARPII vita legimus, cum ipſe junior parciſſime ederet, nil „autem vel plures ad dies biberet, in diuturnam alvi adſtrictionem incidiſſe, qua non „modo ante triduum fere, interdum ante dies „7, nihil dejiceret; verum ut dejiceret tan„dem, iis uti nixibus cogeretur, unde mul„tos ob hæmorrhoides dolores, & moleſtum „ani prolapſum pertulit annos plurimos.“

§. XXIV.

6. GRAVIDITAS, quæ & ſanguinis ad uterum & inteſtini recti vaſa affluxum auget, & ſtercora remoratur, & utero tumente venas comprimit, &c. queis omnibus ſanguinis accidit in venis hæmorrhoidalibus accumulatio, harumque inde in varices diſtenſio, ac ruptura (*e*). Præprimis autem in plethoricis

(*a*) Vide §. 64. c)
(*b*) Vide §. 19. e)
(*c*) Vide hiſt. 4.
(*d*) L. c. Nro. 11.
(*e*) HAEN l. c. Cap. 2. §. 4. &c. p. 10.

cis gravidis, ubertim alias catamenia habentibus res locum habet, ac ſæpe quidem vel primis etiam graviditatis menſibus, a ſola catameniorum emanſione, citra ullam adhuc tunc inſignem vel ſtercorum remoram, vel venarum compreſſionem ab utero, id quod M. ALBERTI (*a*) obſervavit „in juniori adhuc, „plurium tamen infantum, femina, quæ „medio graviditatis tempore largam hæmorrhoidum profuſionem citra ullum tamen damnum perpeſſa fuit; modo illam colicæ quædam torſiones comitabantur, & aliqualis virium lanquor conſequebatur. Eadem etiam „femina primo in graviditatis menſe uterinam „menſtruam purgationem ſubiit, altero hæmorrhoidalem, 3tio iterum menſtruam, 4to „vero finito, circa 5ti initium denuo larga „contigit hæmorrhoidalis evacuatio, & ſic hic „luſus ſanguinei purgaminis aquievit." Meminit & alius luxurioſæ feminæ (*b*), quæ cum extra graviditatem moliminibus hæmorrhoidum eſſet obnoxia, ſub graviditate illarum patiebatur fluxum, & alternantia cum eo ardentia tubercula. Tertiam quoque novit (*c*), quæ gravida cæcas patiebatur hæmorrhoides, ni binis

---

(*a*) Diff. de hæmorrhoidib. gravidar. & puerperar. (4to Halæ 1727. Reſp. I. R. SCHRADER) §. 6. p. 22.

(*b*) Ibid. §. 4. p. 18.

(*c*) Vide §. 109. b)

binis eas pedis phlebotomiis præverteret. Acerbæ etiam cæcæ hæmorrhoides fuere feminæ ETTMÜLLERI (*a*) alterum gravidæ. In plethoricis autem fluentes hæmorrhoides menſium, ac Væ Sis. ſunt vicariæ, & cum euphoria accidunt. Sic I. HOLLERIUS (*b*) „in „gravidis . . . notavit hæmorrhoidas utiliter „fluere in duabus mulieribus nobiliſſimis jam „4. menſes in utero habentibus, in quibus „partus tempeſtivus conſecutus eſt, & ſalu„berrime adolevit. Erat autem frequens, & „multus fluxus, ſanguis fere dilutus, qui ubi „ſubſiſtebat, gravius habebant. Aegræ excluſo (fœtu) levabantur." Quibus autem olim fluentes hæmorrhoides perſanatæ ſunt, facile illas revocat graviditas, teſtante rem obſervatione G. W. WEDELII (*c*) de muliere 41 annorum, ab 8. annis menſium loco fluxum hæmorrhoidum paſſa, quem a primo partu adepta eſt. Adhibitis remediis jam pene ab illo percurata, cum alterum gravida facta eſſet, fluxus revertit, isque immodicus, & ut plurimum diarrhœæ junctus: unde mulier pallida, debiliſſimaque, & extenuata, nil opitulantibus martialibus anticachecticis, demum exhauſtis viribus diem obiit.

§. XXV.

(*a*) Vide §. 81.

(*b*) De morbis inter. ſchol. ad Cap. 55. p. m. 573.

(*c*) Miſc. nat. cur. dec. I. ann. 3. Obſ. 24.

§. XXV.

7. PATHEMATA *animi* perinde haud infrequenter hæmorrhoides vel inducunt, vel exaſperant, vel anomalas reddunt, in primis: ira, terror, mærorque aſſiduus; iſte bilioſum ſyſtema turbando, heparque obſtruendo; ille humores a peripheria corporis & e minimis vaſis ad majora compellendo; ira denique ſanguinem rarefaciendo, ac bilem commovendo, alterando; omnes autem ſimul ſpasmos abdominales producendo. P. C. STOCKHAUSEN (*a*) notavit in viro 40. annorum iræ dedito, dum aliquando exarſit, mox poſtridie gravativum lævi hypochondrii dolorem naſci cum murmure circa umbilicum, unde noctu crebrius dejiciens ineunte die 3tio hæmorrhoidali ſe fluxu laborare obſervabat. Pergebat hic fluxus cum levi diarrhœa & ani prolapſu 8 dies; tum omnia ſymptomata una cum hypochondrii dolore conquieverunt. Referebat æger, ſæpius id ſibi accidiſſe, ut poſt iram fluerent hæmorrhoides. Ita etiam HOFFMANNI (*b*) virgo, cui alias moderate quovis menſe fluebant hæmorrhoides, a concepta ira in immodicum illarum profluvium incidit, & POMMEI (*c*) civi, qui non multo ante ab nimio

---

(*a*) Diſp. de hæmorrhoidib. (4to Helmſt. 1770) §. 31.

(*b*) Vide §. 148.

(*c*) Vide §. 133. b)

mio hæmorrhoidum fluxu eſt liberatus, poſt excandescentiam iſte denuo eſt reſuscitatus. Perinde a diuturno, atque immoderato mœrore BLEGNYI (*a*) vidua haemorrhoidum fluxum, prius ſibi ignotum eſt adepta. E. FERDINANDII (*b*) puella annum 20. agens, ſanguinea, ſedentaria, laute vivens ex zelotypia cum amaſio, finiente autumno ſummum in mœrorem lapſa ſemeſtrem nacta eſt hæmorrhoidum fluxum cum 4. uvalibus varicibus ani, ultimo autem bimeſtri i. e. vere, usque adeo invalescentem, ut ante, & poſt ſtercora egeſſerit ſanguinis, iis non permixti jam ℔ ß. jam plus, minusve; at ſine ullo dolore: ſanguis coibat. Catamenia inſuper omni menſe rite fluebant. Ex tanta ſanguinis jactura facies amiſſo ſuo rubore evaſit pallida, ac tumidula & ægra præ debilitate vix incedebat, donec innumeris externis internisque præſidiis ſub idonea diæta adhibitis intra menſem prorſus convaluit. Terror quoque GULLMANNI (*c*) mercatori fluxum hæmorrhoidum id temporis paſſo incuſſus eundem effecit immodicum, & I. STORCHII (*d*) matronæ ab aliquot jam annis hæmorrhoides cum

---

(*a*) Vide §. 131. Nro. 1.

(*b*) Hiſtor. med. 16. p. 40. ſqq.

(*c*) Vide §. 53. III. B. Nro. 1. d)

(*d*) Obſ. clin. ann. 1. Novemb. d. 2. Nro. 5. p. 253.

cum catameniis alternas tenentes ex terrore, ac mœrore vehementi, ad improvisum de conjugis morte nuncium oborto, magna copia erupere cum animi deliquiis, alio ex alio ingruentibus, quæ mala ℞a corralliorum ac ℥es ex magnesia alba & specifico cephalico MICHAEL levarunt.

§. XXVI.

8. MOTUS *quies*. Hæc utut prorsus opposita hæmorrhoides tamen innumeris in mortalibus provocant, &

a) *Quies* quidem, quod motum humorum imminuendo eorundem spissitudinem creet, copiamque boni sanguinis ob imminutas simul per otium excretiones accumulet, præsertim in lautius viventibus; et fibris laxitatem inducat; præterea quod cum quieti dediti potissimum sedendo vitam exigant, venis natium vicinarumque partium compressis sanguinis refluxus retardetur, ejusque aliunde jam in corpore abundantis ac viscidi facti, copia in illis augeatur: unde venæ hæmorrhoidales in varices facile elevantur, ac sæpe crepant etiam. Otiosæ certe vitæ id F. HOFFMANNUS (*a*) tribuit, quod in frigidiori-

(*a*) Med. rat. syst. T. 3. S. 1. Cap. 9. §. 13. Opp. T. 1. p. m. 343.

oribus regionibus hæmorrhoides hodie multo; quam olim ſint frequentiores: „noſtris „ . . . temporibus (ait ille) in hisce aquilo-„nariis etiam regionibus longe familiarior eſt „(morbus hic), ac frequentior; quam olim, „ut ipſe teſtari poſſim, perpaucos, cum ante „40 annos medicinæ exercendæ manum pri-„mum admoverem, ſanguinis per ani venas „ſtillicidio vel moliminibus ad iſtud fuiſſe „affectos. Si in cauſam inquirimus, mea qui-„dem ſententia culpa potiſſimum rejicienda in „vitæ genus ex operoſo, ac laborioſo ob „perditos hominum mores in deſidioſum, ac „otioſum mutatum, quo non ſolum major, „quam par eſt, ſanguinis copia ingignitur, „ſed etiam ipſum corporis robur lanqueſcit, „ut non mirum ſit effeminato corpori femineum „quoque accidere ſanguinis fluxum.“ Veritas hujus opinionis vel inde eluceſcit magis, quod multis omnino mortalibus, præſertim bene viventibus ac plethoricis, dum ex mobili plurium annorum vita, quam ſine multis morbis exegerunt, ad quietem ſeſe ingraveſcente ætate conferunt, non multo inde poſt hæmorrhoidibus occipiant laborare, ut expertus eſt HOFFMANNI (*a*) quadragenarius & ISENFLAMMII (*b*) ſenex. Quæ cum ita ſint, quid mirum, ſi litterati aſſiduis lucubrationi-bus

---

(*a*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. veſicæ. §. 19.
(*b*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. albar. §. 16.

bus dediti hæmorrhoidibus plerumque ſint obnoxii, ut inter infinitos alios FACKHII (*a*) accidit juveni.

b) *Motus* autem hæmorrhoides duplici præſertim ratione accerſere valet, dum nimiruin ſanguinem vel admodum ac toto in corpore rarefacit, vel uberius ad hæmorrhoidalia vaſa determinat. Priorem ad claſſem pertinet in Annalibus Vratislavienſium (*b*) mulier 48 annorum ſpiſſiusculo, & orgaſtico prædita ſanguine, quæ magnopere commoto per motum multosque conatus ſanguine circa medium Januarii incidit in uberrimum hæmorrhoidalem fluxum, ſanguinem excernens ut plurimum nigrum, & coactum, lentumque cum ſpaſticis morſicationibus, ac levibus circa umbilicum torminibus, ut ſpatio noctis 12 ad 15 vices alvum cruentam reddiderit, idque per aliquot hebdomades non ſine univerſali lanquore & actuum vitalium, animaliumque lanquore. Datis autem antiſpasmodicis temperantibus, ac tonicis discutientibus optime reſtituta eſt, ſuccedentibus rite catameniis. Ita etiam I. STORCHII (*c*) juvenis cholerico-ſanguineus 24 annorum, amiſſo ante menſem multo e vulnere ſanguine, dum initio Maji

(*a*) Vide §. 53. II. Nro. 7.

(*b*) Tent. 27. A. 1724. Jan. Cl. 2. art. 3. §. 1. p. 37.

(*c*) L. c. ann. 6. Maji. Cl. 4. p. 579.

Maji insolitum sibi, magnumque in lupulo fulciendo laborem suscepisset, nactus est tuberculum hæmorrhoidale, quod balsamo sulphuris illitum enormes causavit dolores, donec crepans multum sanguinis fudisset. Reliquias doloris, & inflammationis litus ex ungu. litharg. & albo camphor: discussit. Ad motum vero, quo sanguis in hæmorrhoidalia vasa uberius, ac vel maxime repente compellitur, in primis pertinent omnes validæ corporis a summo imum versus concussiones, uti & inferiorum partium succussiones, præsertim cum orgasmo humorum circa genitalia. Hinc

α. *Concussio humerorum, natium.* Ex lapsu in nates P. I. SCHENFELDERI (*a*) Canonico recruduit hæmorrhois, & F. MÜLLERI (*b*) fabro 22 annorum, dum alter saccum farina refertum in humerum projicit, ille crepitu lævo in latere percepto paucis post diebus corripitur dorsi dolore, cum torminibus, alvi adstrictione, ac febrilibus motibus, quæ ob necessitatem laboris continuandi fluxus hæmorrhoidum est consecutus. Tonsor pedis venam secat. Ab hinc sub labore fabrili, ac vehementi ferri maleatione (sanguinem ita violente ad inferiores partes urgendo) in tantam

(*a*) Vide §. 94. Nro. 3.

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 34. A. 1725 Novemb. Cl. 2. art. 3. §. 3. p. 507.

tam ani incidit hæmorrhagiam, ut ipſo referente cantharus efluxerit ſanguinis magna cum virium jactura. Data eſſent. carmin. WEDEL, cum ℞a fl. milefolii & ♎u ⊕ dulci, ac ♃es nitroſi cum cinnab. & abſorb. & in fine cum cryſt. mont. ac M. P. de cynogloſs. ab his ſanguis paucior, & grumoſus abibat, ægerque jam parumper appetebat. Ob alvum obſtructam, cum enemata prorſus reſpueret, data potui calida cereviſia ſecundaria cum cumino. Fluxu autem iterum uberiori facto datum infuſum ex ligno ſaſſafr. fl. millefolii papav. rhæad. bellid. ſcab. hepat. ſtellatæ, ſem. fænic. Exterius dorſo admotum Empl. de hyoſc. cum oxicroc. non ſine levamine. Ab ira denique reverſum denuo fluxum compeſcuit ♃ nitroſus cum corall. cinnab. antim. & ſpeciebus de hyacyntho.

β. *Vectio equitatio.* Poſt vectionem curru morbus RIEDLINO (*a*) accidit; de equitatione autem communis omnium eſt obſervatio, ab illa hæmorrhoides acciri. G. E. BALDINGER (*b*) teſtatur ſe hæmorrhoides ſæpius apud milites equeſtres; quam pedites habuiſſe curandas, id quod & WALTHERI (*c*) confirmat

(*a*) Vide §. 127. Nro. 7.
(*b*) Von den Krankheiten einer Armee. 2. Th. 2. Abſchn. 12. Cap. p. m. 370.
(*c*) Vide §. 131. Nro. 19.

mat nobilis; & C. T. BIERLINGII (*a*) vir 33 annorum, ſanguineo-melancholicus, qui 32do circiter ætatis anno poſt longum pernicis equi curſu confectum iter acerrimos ani nactus eſt dolores, aliquo tam inde poſt tempore denuo mitigatos. Ante annum vero abhinc iterum recrudescentes ars iterum quidem abegit; ab iſto vero tempore id genus moleſtias æger in præſens usque ex leviori motu vel corporis, vel animi perſentiscebat. Cumque nuper in negotiis arduis multorum dierum iter partim rheda; partim equo fuiſſet emenſus, priſtinus ille dolor usque adeo recruduit, ut nec ſedere, nec jacere valens inſomnes aliquot noctes exigere, ambulandoque tædium levare cogeretur, inſequente anorexia & debilitate. Poſt varia interna, externaque remedia incaſſum adhibita, conſultus Auctor invenit ani ſphincterem totum inflammatum, ejusque in ſuperiori parte foramen piſi capax cum labiis parumper calloſis, cujus canalis primum recta ſpinam verſus, deinde ampliori cavo dextrum adlatus ½ digiti longitudine declinabat. Quando ſphincter ani ſeſe exſerebat, ſanguis ex hæmorrhoidibus lævo in latere apertis non procul ab illo foramine; ex ipſo autem canale ſanies effluebat, quæ etiam ex eodem digiti compreſſione eliciebatur. In dextro ſphincteris

---

(*a*) Theſaurus theor. pract. Obſ. 23.

teris latere hæmorrhoidales venæ tumidæ, in ſiniſtro excreſcentia quædam dura albaque inſtar cartilaginis viſebantur. Sub egeſtione fecum, lubrica licet alvus eſſet, intolerabilis aderat dolor. Imperati ergo ſacculi ex fl. verbaſc. furfur. tritic. croco, & ſem. lini, ac ſequens litus:

℞. Pulpæ pomi ſub ciner. coƈti. ℥j.
Pinus Gallin. ℥ß.
Unquent. popul. ℥ß.
Croci orient. ʒß.
Vitell. ovor No. j. M. F. linimentum.

Ab his quidem dolor, & inflammatio ita remiſere, ut æger & ſedere interdiu commodius, & noƈtu in leƈto jacere poſſet; ſub quavis tamen egeſtione alvina imminente immanes horarum aliquot dolores habuit perferendos.

γ. *Concubitus* ardens, ſub quo inſignis ſanguinis ad genitalia, vicinumque iis inteſtinum reƈtum orgasmus naſcitur, cum valida ſphinƈteris ani conſtriƈtione, ſanguinis per venas refluxum remorante, corporisque ſucculſſus: hinc faciles hæmorrhoides.

§. XXVII.

9. APPLICATA *externa* quæ vaſis hæmorrhoidalibus laxitatem p. n. inducunt, ſtimulo-

muloque ſuo humores uberius illuc alliciunt, aut ſphincteri ani ſpasmum inferunt, &c. ut ſunt

a) *Cloacarum effluvia.* Ab A. HÆNIO (*a*) inter hæmorrhoidum cauſas haud abs re accenſentur „conſuetudo latrinis diutius inſiden„di: qua fit, ut extrema recti putrido va„pori expoſita laxentur admodum, tumeant„que.“ Singularem prorſus hujus rei caſum narrat V. RIEDLINUS (*b*) de vidua ob muscularis motus defectum variis malis obnoxia, quorum graviſſime affligebat hæmorrhoidum dolor, ad omnia quæque remedia, quoad cauſa ejus latuerit, contumax; donec iſtam caſus aperuiſſet. Cum enim aliquando urgente hoc dolore fomentationes ope ſellæ perforatæ ano adhibitas maxime juvare obſervaret, deinceps alvum quoque hanc in ſellam aliquamdiu exonerans toto illo tempore a doloribus immunis manſit. Idcirco ſana jam ſibi viſa denuo ad latrinam dejiciendi cauſa itare cœpit. Vix autem bis terve illam adiit, cum priſtini dolores vehementes recrudueere, quos cum priſtina quoque methodo profligaſſet, denuoque ad latrinam nihil ab ea mali ſuſpicata ſecedere occepiſſet, dolores quoque reverſi ſunt. Tum vero primum in men-

(*a*) L. c, Cap. 2. §. 4. ε

(*b*) Lin. med. ann. 4. Novembr. 2. p. 907.

mentem venit, hos ab illa produci: quapropter deinceps latrinæ ſella perforata ſuffecta ex illo tempore rarius, mitiusque hæmorrhoidum dolor eam afflixit, niſi dum ſui velut oblita cloacam adeundo illum revocaret, quam tamen in dies ſtudioſius devitabat. Id ipſum etiam jam olim a marito ſuo fuiſſe obſervatum, narratumque reminiscebatur.

b) *Topica* varia ipſi ano admota. Sic A. SCHAMSKY (*a*) „habuit ſtudioſum, cui vi„trum aqua deſtillata repletum, & aqua forti „præcipitatum (vulgo die Lichtkugeln) conge„latum fuit, remanente interne aliquo ſpatio„lo vacuo. Hic ex curioſitate vitrum diffre„git, & quia glacies interna frigebat, char„ta eandem excepit, chartam inde madidam „ex incuria ad loca communia poſuit; ipſe „oblitus ejusdem, dum neceſſaria peregiſſet, „abſterſit eadem charta jam ſiccata clunes, & „immediate ardorem inexplicabilem percepit, „qui fomentis ex lacte, & chamomilla eva„nuit. Poſt dies 3. hæmorrhoides fluxerunt „copioſe diebus 11, fluxu ceſſante non am„plius redierunt."

c) *Contagium* ne etiam? De hoc unicum novi, eumque ambiguum G. E. STAHLII (*b*) caſum

(*a*) Promtuar. med. pract. lit. H. Nro. 3. p. 396.
(*b*) Colleg. caſual. magn. Caſu. 16. p. 190. ſq.

casum, nempe vir 40 annos natus, sanguineo-phlegmaticus, succulentus, & habilior, vinoque assuetus, nullis autem hæmorrhagiis obnoxius, multa ex itineribus longis per postam fatigia perpessus, cum abhinc aliquamdiu sedentariæ vitæ indulsisset, pro equestri rursus itinere suscipiendo mutuum accipit ab amico verrucosis hæmorrhoidibus affecto ephippium. Brevi inde post in exitu ani uno e latere natus ei est tumor ossiculum olivæ aut pruni magnus, alvi sub egestione observabilis, at sine molesto per aliquot dies dolore; deinceps vero dolor velut ab infixa spina coortus, intra 4. dies adeo increvit, ut æger non modo inde noctu, diuque pervigil ejularit; sed etiam ex aliunde oborta tussi, ac sternutationibus convulsiones metuerit, demumque stupidus ita cubarit, ut genibus inniti haud amplius valens coactus fuerit subjectis pulvinaribus multis assiduo ventri incumbere. Die tandem 5to. vel 6to. post admota emollientia cataplasmata emersit vesicula purulenta, ex qua pus cannabini seminis mole egressum est, statimque omnis abiit dolor. At cur non equitationi magis; quam contagio casus hic tribuendus videbatur?

§. XXVIII.

10. FEBRES quoque variæ visæ sunt hæmorrhoidas attulisse, quas acutæ plerumque in declinatione accersunt; intermittentes ve-

ro poſt ſe relinquunt; atque in primis 4næ. ſic FORESTI (*a*) vir a 4na. liberatus incidit in hæmorrhoides cæcas & C. F. PAULLINI (*b*) „novit preſbyterum Hildeſienſem, cui poſt „graviſſimam 4nam ſua ſponte circa finem „Martii, & circa initium Octobris (hæmorr„hoides) fluere cæperunt per biduum plerum„que, aut triduum, ſummo cum ſanitatis in„cremento, qui fluxus ad finem uſque vitæ „ejus ordinarius fuit.“ De ſymptomaticis autem hæmorrhoidum febribus alibi (*c*) erit dicendi locus.

§. XXIX.

II. METASTASE *ſani morboſi*, præſertim.

a) *Sanguinis* vacuationes familiares, ſpontaneæ non reverſæ; vel arte faciendæ neglectæ; cum primis autem.

α. *Hæmorrhagia narium*: conſtans enim omni ab ævo eſt obſervatio, homines, qui in juniori ætate crebras narium hæmorrhagias experti ſunt, his ob ætatem firmiorem deſinentibus, plerumque evadere hæmorrhoidarios obſervavit id jam olim HIPPOCRATES (*a*)

(*a*) L: c. Obſ. 7.

(*b*) De Theriaca cæleſti. Sect. 2. Part. 3. Memb. 2. Cap. 7. §. p. 237.

(*c*) Vide §. 32.

(*a*) de coxarum dolore, variisque ejus caufis agens, quas inter & hæmorrhoides refert, easque hominibus paulo ante dictis accidere animadvertit: „iis autem (inquiens) morbus „ifte contingit, quibus pueris, aut juveni„bus ex naribus fanguinis fluor confuetus „defiit; ex quibus percontari oportet, num „in juventute fanguinis fluxus contigerit.“ Binis id exemplis M. ALBERTI comprobat, quorum unum alibi (*b*) fum daturus; alterum (*c*) autem tabellarium fiftit fanguineo-melancholicum, 46 annorum. „Hic in „juventute frequentes narium hæmorrhagias „cum euphoria expertus eft. Poftea itinera „fua confueta per Franconiam, Thuringiam, „& Mifniam profequebatur. Obtigit aliquan„do, ut hyberno tempore, quo ut plurimum „a peregrinationibus abftinebat, & domefticis „officiis fuis indulgebat, externis hæmorrhoidi„bus affligeretur, quæ parum fluebant, mox ve„ro remittebant. Poft annuum fpatium ite„rum brumali tempore vexabatur cæcis hæ„morrhoidibus cum doloribus ifchiadicis, „& gonagricis; abftinebat vero ab artificiofis „auxiliis, & fimplicia in ufum trahebat. Cum „verno tempore denuo itinera fua inftituiffet, „accidit, ut poft vini Thuringici fub itinere „ufum dolorem pulfatilem, ardentem & lanci-

(*a*) Prorrheticor. L. 2. p. m. 113.
(*b*) Vide §. 55. Nro. 13. a)
(*c*) Diff. de hæmorrhoidum infolitis viis (Refp. I. S. GANZLAND 4to. Halæ 1718.) §. 16. p. 29.

„cinantem extrinſecus circa anum in di-
„ſtantia 2. digitorum latorum experiretur.
„Tandem evenit, ut ſub alvi depoſitione,
„ad quam inter meandum cogeretur, in loco
„dolente indolentior perruptio ſua ſponte
„ſine adhibita frictione orta fuerit, & ad
„venulam, quæ in ſuperficie loci affecti ade-
„rat, per aliquam moram ſatis notabilis ſan-
„guinis quantitas guttatim effluxerit, & qui-
„dem cum eximia euphoria. Hic fluxus ſua
„ſponte iterum ceſſavit. Nunquam amplius
„ab eo tempore vel cæcas hæmorrhoides,
„vel iſchiadicum, vel gonagricum malum per-
„ſenſit; attamen narium hæmorrhagiæ iterum
„recurrunt, quas aliquoties per annum, in
„primis verno, & autumnali tempore ex-
„periebatur. Quod ſi vero ſub negligentiori
„diæta, & regimine narium hæmorrhagiæ in-
„termiſerint, tunc vel capitis eryſipelas, vel
„acris rheumatiſmus exceperunt.“ Perinde
I. STORCHII (*a*) vir 30 annis major, lautæ
ſemper menſæ aſſuetus, juniori ætate multis
narium hæmorrhagiis obnoxius, ſpectato
tunc habitu inter ſanguineo - cholericos
referendus erat, ceſſantibus demum hæ-
morrhagiis aliquanto inde poſt ſucceſſit mul-
to crebrior diarrhæa, eique interdum juncta
ſanguinis hæmorrhoidalis excretio, queis
temperamentum ita eſt mutatum, ut nunc
melancholico - phlegmaticum præſeferret,
cum

(*a*) Obſ. clin. ann. 3. May. d. 4. Nro. 4. p. 295.

cum metu imminentis vel hydropis, vel phthiſeos. Tandem immodica illa ſanguinis, aliorumque humorum excretio ita remiſit, ut per intervalla tantum redierit. Nauſeæ primum cum preſſione circa ſtomachum & borborygmis oriebantur, tum ſecuta ſemel aut bis per hebdomadem diarrhæa, ſanguinis autem excretio quovis tertio tantum menſe ſemel, &c. Haud ſecius in alio ejusdem (*a*) viro deſinentibus narium hæmorrhagiis hæmorrhoidum anomaliæ occepere, ac TISSOTI (*b*) quoque viro, narium hæmorrhagiis poſt 30 annum ætatis non reverſis, hæmorrhoides advenerunt, quod idem Comiti cuidam accidiſſe narrat R. I. FORTIS. (β)

β. *Catamenia* vel parciora, vel nulla; facile enim ſanguis menſtruus per uteri vaſa egredi non valens ad vicina hæmorrhoidalia vaſa regurgitat. Unde HIPPOCRATES (*c*) „muliebria purgamenta (inquit) ſubſiſtere non „utile, ac forte ex talibus comitiales morbi „oriuntur; partim vero diuturnæ alvi ſub- „ductiones, partim etiam ſanguinis per ora „venarum profluvium (*αἱμοῤῥοΐδες*).“ Non quacunque corporis ex parte ſanguinis eruptionem, ſed ex ano vel maxime, intellexiſſe COUM, dum vocem hæmorrhoidis poſuit (ut-

ut

(*a*) Vide §. 29. a) α. §. 54. Nro. 8. d.

(*b*) Vide §. 104.

(*c*) Coacor. Nro. 522.

(β) L. c. Caſ. 12. p. 330.

ut non ignorarit varias a ſuppreſſis catameniis alias quoque, ac ſæpe admirabiles, hæmorrhagias concitari,) experientia caſuum ſatis perſuadet; nam cùm alia quævis inde hæmorrhagia cooriri ſoleat, hæmorrhoides tamen omnium frequentiſſime, quod ipſum COUS innuere voluiſſe videtur. Haud ſecius intelligenda eſt ſequens ejusdem (*a*) hiſtoria: „apud TECOMARUM Præfecti annonæ filiæ, „cum incertum eſſet, an uterum geſtare in„ciperet, 2 Menſium ſpatio vomitus pitui„toſus, interdum etiam bilioſus erupit; dif„ficulter peperit, integre purgata eſt. Ad „30 diem ſimilis vomitus perſeveravit, dein„de alvo conturbata vomitus ceſſavit. Læ„vitas inteſtinorum adfuit; neque menſes „prodierunt: duorum annorum ſpatio per „hyemem profluvium, per ora venarum ſan„guinem (*αἱμοῤῥοΐδας*) fundere ſolita, paſſa „eſt.“ Numeroſi alii id ipſum confirmant caſus. Sic mulieri ALIXII (*b*) parcius procedentia catamenia hæmorrhoides cauſarunt cæcas; & ſimilem HIPPOCRATIS hiſtoriæ ALBERTI (*c*) obſervationem ſuppeditat de „plebeia femina laute, & delicate vivente, „quæ poſt puerperium, & ablactationem in„fantis

---

(*a*) Epidemior. Libr. 4. Nro. 24.

(*b*) Vide §. 115. Nro. 2.

(*c*) Diſſ. de hæmorrhoidum & menſium conſenſu §. 10. Tract. de hæmorrhoidib. P. 2. p. 13.

„ſantis ſub menſium defectu per aliquot men„ſtruos recurſus largam, & ſtrenuam hæmorr„hoidalem profuſionem experta fuerat.“ SEGNITZII (*a*) quoque puellæ catamenia ſuppreſſa hæmorrhoides attulere. Maxime autem ſolenne eſt, ut menſtruis per ætatem deficientibus ſuccedant hæmorrhoides, quemadmodum in maribus poſt deſinentes narium hæmorrhagias ingruunt, atque in bene multis menſtruos obſervant recurſus. Ita apud I. C. STUNZER (*b*) annoſæ matronæ menſium ætate deficientium in locum hæmorrhoides omni menſe fluxere, quod idem accidit matronæ KOELICHENII, (*c*) & M. ETTMÜLLER (*d*) „aliquot ſcio, (inquit) exempla, „quod in habitu corporis ſucculentiore, & „turgidiore partium poſt 49. annum, quando „naturaliter fluere deſinunt menſes, ſuperve„niat fluxus hæmorrhoidum periodicus.“ Qualem I. STORCHII (*e*) femina 50 annorum, cholerico-ſanguinea paulo poſt menſium finem nacta eſt uberem, ſuperſtite ſemper a fluxu colica. Dolorificæ autem hæmorrhoides fuere, quas menſium loco nacta eſt

VEL-

(*a*) Vide §. 72.

(*b*) Ueber die goldene Ader p. 40.

(*c*) Vide §. 90.

(*d*) Colleg. pract. prax. ſpecial. L. I. S. 9. C. 3. art. 4. opp. T. 2. P. 1. p. 143.

(*e*) Obſ. clin. ann. 6. Febr. cl. 4. §. 3. Nro. 15. p. 407. April. cl. p. 547. ſq.

VELSCHII (*a*) mulier; immodicæ vero, quas Francofurtensium (*b*) anus, RIVERII. (*c*) & HOFFMANNI (*d*) feminæ sunt adeptæ. Nonnullis etiam catamenia per ætatem suppressa, si hæmorrhoides induxerunt; istis abhinc periodice recurrentibus illa non amplius reversa sunt, velut cuidam I. STORCHII (*e*) feminæ videtur evenisse, & STAHLII (*f*) perinde femina „sanguinea cum menses circa 35 „annum supprimerentur, postea & hucusque „hæmorrhoidum fluxum ad bimestria, trime„stria spatia experitur, intercurrentibus insig„nibus pathematibus splenicis versus perruptionem.“ Imo I. C. ROST (*g*) vidit puellam valde cachecticam 16 annorum quæ mensium nunquam obtentorum loco fluxum hæmorrhoidum menstruum a semestri habebat per aliquot dies post alvi dejectiones; semper tamen erat valetudinaria: illo demum subsistente facta perpetuo clinica tandem repente interiit. Non vulgarem etiam id genus casum, at feliciori

cum

(*a*) Vide §. 140.

(*b*) Vide §. 55. Nro. 9. e)

(*c*) Vide §. 106.

(*d*) Vibe §. 119. Nro. 5.

(*e*) Prax. casual. T. 2. p. 204.

(*f*) Diss. de hæmorrhoid. intern. motu Cap. I. p. 6.

(*g*) Annal - Vratisl. Tent. 10. A. 1719. Octobr. Cl. 4. art. 6. §. 2. p. 493.

cum exitu; narrat H. F. DELIUS (*a*) puella sanguineo - phlegmatica, nondum menstruata, 19no ætatis anno prehenditur vespere quodam frigore, cum insequente æstu. Crescente morbo aderat die 4to. lassitudo artuum, anxietates, dolores capitis, lumborum, dorsi, colici, vomituritiones, ac deliria per intervalla, quæ omnia sub usu remediorum durarunt ad 7um diem, quo effloruere miliaria rubra, & alba limpidissima, sine ullo symptomatum, exceptis anxietatibus, levamine. Die 9no. oborta diarrhæa 12. egestionum per 24 horas, ob quam retrocedentibus miliaribus vigilias, deliriaque causantibus, admota brachiis vesicantia cum levamine; a die 10mo. fluxere hæmorrhoides quotidie ad ℥v. - vj. quatriduo cum levamine, ut die 11mo. symptomata prorsus conquieverint, miliariaque siccari cæpta sensim desquammarentur. Die 17mo. ægra jam aliquot horis lectum reliquit, ac sensim convaluit. Inde 3tio. post morbum mense catamenia sponte prorupere, ordinateque processere; hæmorrhoides vero non amplius reversæ sunt.

γ. *Lochia* perinde aut parciora, aut suppressa quæ hæmorrhoidas STAHLII (*b*) feminæ

(*a*) Diss. de purpura rubra & alba cum diarrhæa ac fluxu hæmorrhoidali curata 4to. Erlang. 1756. Resp. N. D. SCHMOLLER. §. 1.

(*b*) Diss. cit. l. c. p. 6. 7.

minæ ſanguineo - melancholicæ, ad 27 annos natæ acciverunt, cui „cum in tertio puerpe„rio ex intempeſtiva refrigeratione lochia „ſubſiſtere cæpiſſent, & graviſſimi colico — „ſuffocativi dolores, & ſpaſmi ſuperveniſſent „cum ſpecialiſſimo dolore, & anguſtia in ſi„niſtro hypochondrio, hæc quidem pathema„ta clyſteribus, & medicamentis intra 12 ho„ras ſublata ſunt, & lochiorum fluxus revo„catus; femina vero poſt 2. circiter menſes „cæpit dolores aliquos circa os ſacrum, mox „poſtea teneſmum percipere, quem mox „ſanguinis cum fecibus excretio ad 3. cir„citer dies ſubſecuta eſt. Et ex illo tem„pore deinceps menſtruatim hic ipſe fluxus „ita procedere continuavit.“ M. ALBERTI (*a*) meminit etiam puerperæ, quæ „poſt „præmaturam lochiorum ceſſationem vehe„mentioribus motibus hæmorrhoidalibus af„fligebatur, qui præter paucam ſanguinis „evacuationem, tanto graviores furores, & „ardores formabant, & tandem in purpuram „aliquam periculoſam tranſibant.“ In alia (*b*) vero puerpera poſt tridui fluxum lochiorum vidit hæmorrhoides cum multis colicis cruciatibus per 8 dies illorum in locum fluxiſſe feminamque nonniſi poſt aliquot hebdomades convaluiſſe.

b) *Per-*

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidib. gravidar. §. 4. p. 18.
(*b*) Ibidem §. 7. p. 24.

b) *Perſpirationis*, quoque, ac *Sudoris* excretio imminuta vel cohibita hæmorrhoidum turbas movere, cum primis vero in iis, quibus hic morbus velut habitualis evaſit; ſolet: hinc toties a perfrigerato corpore, ac vel maxime pedibus, hæmorrhoidalia pathemata exaſperari videre eſt, quod ante alios PEZOLDI (*a*) ſutor ſuo damno eſt expertus.

§. XXX.

12. COELUM ne ſeu clyma hic etiam aliquid ex ſe poteſt? Superius (*a*) quidem relatum eſt, Venetiis, Patavii, Hamburgi, &c. hæmorrhoides eſſe morbum popularem; at non tam vitio clymatis; quam ob aloeticorum abuſum, aliasque res horum locorum incolis arbitrarias: unde cum Auſtriæ quoque cœlum nonnulli morbi hujus ferax eſſe contenderent; A. HAEN (*b*) primum; tum nuper etiam I. C. STUNZER (*c*) nervoſe oſtendit, id non peculiari loci conſtitutioni; ſed hominum vivendi rationi eſſe imputandum: haud ſecius nimirum, ac in Polonia, ac præprimis Lithvania, ſeſe res habet

---

(*a*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. veſicæ §. 13.
(*b*) Vide §. 19. e)
(*c*) Bat. med. P. 7. C. 5. §. 5. ad calcem.
(*d*) L. c. p. 118. ſqq.

bet, ubi teſte C. F. SCHULZIO (*a*) hæmorrhoides (cæcæ præſertim, earumque Molimina) tam ſunt vulgares, ut earum neuter ſexus; nec ulla ætas (ne infantibus quidem exceptis) fere ſit expers, & „haud multum „dico (ait ille) aſſerens, inter 10. vix 2 vel „3. ſubjecta repertum iri, ab illis immunia „niſi quod plebs, ruſtici, & laborioſi levius „præ aliis hoc malo laborent.“ Haud tamen cœlo id tribuit Auctor; ſed vel hæreditariæ labi, vel ſolennibus ibi cibis oleoſis laxitatem vaſorum abdominalium adferentibus, vel ſpirituoſis potibus immoderate uſurpatis, vel denique crebræ, vehementique equitationi, cui Poloni a teneris aſſueſcunt. Interea tamen eſt aliquando, quod cœlo adſcribere poſſimus; v. g. in Græcia, omnique Aſia hæmorrhoides tam frequentes; quam apud nos catamenia, non aliunde H. BOERHAVIUS (*b*) repetit, quam quod his populis „feces . . . inſtar lapidum duræ erant, „& quia eas ſummo nixu debebant exprimere, inde fiebant hæmorrhoides.“ Hæc autem ingens alvi ſiccitas non abs re immani horum locorum cœli æſtui vel maxime tribuenda videtur. Facit huc etiam G. BAGLIVI

(*a*) Kurze Nachricht einiger beſonder. Zufälle ſowohl einheim. als ander. Krankh. in Pohlen §. 23. ſq.

(*b*) Prælect. acad. de morbis. nervor. T. 2. p. m. 603.

LIVII (*a*) obſervatio: „obſervavimus (narrat ille) Romæ in viro noſtro amiciſſimo; „hic dum in aere aut Neapolitano aut propinquiorum regni regionum vitam degit, „ſtatim iſchiade, & fluxu hæmorrhoidum „corripitur, irritisque quibusvis remediis „tunc potiſſimum, & momento fere temporis convaleſcit, cum Terracinam Latium, „vel Romam ipſam attingit.

CAPUT V.

SYMPTOMATA.

§. XXXI.

Symptomata *hæmorrhoidum* prorſus ſingularem, imo incredibilem expoſcunt attentionem, nunquam ſatis tironibus inculcandam; quandoquidem ita ſua ſunt natura comparata, ut a medentibus, præſertim hæmorrhoidalis morbi haud ſatis gnaris, pro totidem morbis protopathicis habeantur, atque ſæpiſſime ab longe alia; quam cui debentur, cauſa videantur eſſe enata: quo fit, ut medendi quoque ratio iis deinceps adhibita alias inutilis, alias noxia etiam, ſtatumque ægri deteriorem reddens evadat; quæ ſi mox per principia ad hæmorrhoidales motus rite fuiſſet direc-

(*a*) Prax. med. L. 2. C. 10. §. 4. p. m. 221.

directa, haud raro unica vel catharsi vel sanguinis detractione idoneo loco, ac tempore instituta absolvi potuisset. Docebit id horum symptomatum varietas, intensitas, mutuusque inter se nexus.

§. XXXII.

I. FEBRIS varia huic morbo non infrequens comes primo loco venit animadvertenda. Etenim febriles motus quandoque tuberculorum genesin, vel hæmorrhoidalem excretionem præcedere consueverunt, velut in GRAFFII (*a*) nobili est observatum. Alias vero tumentibus, furentibusque ex inflammatione hæmorrhoidibus peracuta *febris inflammatoria* jungitur, nec ante conquiescit, quam inflammatio sit vel discussa, vel in suppurationem, aut necrosin terminata. In inpuris autem corporibus, vel insigni viscerum infarctu, aut ulcerosa hæmorrhoidum labe affectis, *lenta* vel *hectica* plane febricula emicat, ut ex KALTSCHMIEDIO id genus exemplum alias (*b*) protuli, & in quinquagenario apud FÜRSTENAU (*c*) videre est. Sed peculiarisne etiam statuenda est *hæmorrhoidalis* febris? cum enim aliquando epidemicæ febres

bres

(*a*) Vide §. 47. b).

(*b*) Histor. febris hecticæ.

(*c*) Vide §. 53. II. Nro. 7.

bres fuissent observatæ, quibus homines utriusque sexus, ac variæ ætatis, conditionisque correpti plerique sub earum decursu hæmorrhoidas, nunquam licet ante sibi notas, nacti fuissent, venit in mentem, eas vocare hæmorrhoidales. Operæ pretium esse duxi, non nulla earum exempla hic in medium adferre. Primus (quod sciam) GRASSIUS (*a*) hujusmodi febrim literis prodidit, de qua ita Vratislavienses: „ occasione febrium paulo rariorum „memoranda etiam hæmorrhoidalis, quam sibi „observasse visus est D. GRASSIUS; eam his „verbis describit: quosdam infestabant fe„bres hæmorrhoidales, quæ levi frigore sub„sequo blando calore ægros (ut plurimum fe„minas) feroci abdominis circa hepatis regio„nem, umbilicum, os sacrum, & in cruribus „dolore, cum constrictione diaphragmatis „circa orificium superius stomachi, cum, vel „sine obstructione alvi excruciabant. Pulsus „erat durus, & plenus; dolor capitis in ple„risque vel plane nullus, vel admodum le„vis. Non cedebat his dolor alvo aperta, „nec laxantibus (clysteribus tamen aliquan„tisper) obediebat; sed obstinata duratione „ad aliquod dies ejulantes ægros torquebat, „singulis diebus vagos paroxismos procre„ans; victas tamen manus porrigebat præ„missis malignitati resistentibus medicamentis

Væ.

(*a*) Histor. morbor. vratislav. A. 1702. p. m. 375. sq.

„Væ. Sni. in pedibus, & ℞æ ♂ ♀satæ
„LUDOV. rite præparatæ, intermixtis resol-
„ventibus, absorbentibus, & nitrosis. Qui-
„bus autem hæmorrhoidales fluebant venæ,
„breviori via morbus absolvebatur.“ Febris
hæc incidit in autumnum A. 1702. Contra
vero in observatis A. STÖRCKII (a) A. 1760
„mense Februario & Martio hæc (ipsa hæ-
„morrhoidalis) febris admodum frequens fuit.
„Primo die omnes ægri obtusum capitis do-
„lorem, & vagas horripilationes, & calores
„conquerebantur; dein rigor, & dolor tensi-
„vus nucham occupavit, & vagus calor for-
„micando totam dorsi spinam perrepsit. Tan-
„dem ortæ sunt præcordiorum anxietates, &
„molestæ hypochondriorum tensiones. Quan-
„doque supervenerunt vomendi conatus, &
„enormes colici dolores, & venter contrac-
„tus est; quandoque autem absque mag-
„no dolore colico, & sine omni vomendi
„conatu venter intumuit. Urina plerumque
„flammea fuit, & raro, atque iis tantum in
„casibus, ubi nimis vehementes erant dolo-
„res colici, tenuis, & cruda deprehensa est.
„Alvus erat pertinaciter clausa, & nonnisi
„repetito enemate pauca scybala potuerunt
„educi. Subinde ani sphincter inveniebatur
„adeo constrictus, ut tenuis cannula vix po-
„tuerit introduci. Sitim fere omnes hi ægri
„mag-

(a) Anno medico II. p. m. 148. sqq.

„magnam habuerunt, & pulſus fuit celer, in-
„æqualis, quandoque dicrotus, quandoque
„intermittens, attamen vix non ſemper ple-
„nus, ac durus. Nox fuit inquieta, & an-
„xiis inſomniis turbata. Secundo die remi-
„ſit dolor ventris, & hypochondriorum an-
„xietas, ac tenſio, & pulſus fuit magis æqua-
„lis, & liberior; ſitis mediocris. Verum cir-
„ca lumbos ortus eſt dolor gravans, dilace-
„rans, & rigor; acceſſit alvi teneſmus, &
„urinæ retentio; nuchæ autem dolor ſeſe ver-
„ſus verticem, & tempora extendit, atque
„capitis motum valde difficilem, & dolentem
„reddidit. Nox iterum inquieta fuit, & cor
„per vices ſolito fortius palpitavit. Tertio
„die tantus circa vertebras lumborum, & os
„ſacrum dolor ortus eſt, ut ægri ſe nequa-
„quam movere potuerint. Anus fortiſſime
„contractus eſt. Nox quartum diem præce-
„dens fuit omnium inquietiſſima; hac autem
„tranſacta ægri melius habuerunt; nam quar-
„to die fere penitus deſiit lumborum, nu-
„chæ, & oſſis ſacri dolor, & tubercula diver-
„ſæ magnitudinis circa anum comparuerunt.
„Hæc tubercula quandoque fuerunt mollia,
„& ægris nullam moleſtiam excitarunt, atque
„tunc quarto die ortis tuberculis febris pe-
„nitus deſiit: quandoque autem hæc tuber-
„cula fuerunt valde rubra, tenſa, & ingentes
„produxerunt dolores, tormina, teneſmos,
„vertigines, & membrorum ſtuporem, & ſæpe
„tantas anxietates, ut ægri inciderint in ani-
„mi deliquium, & extrema fuerint gelida. In-

„ter omnes ægros bini tantum fuerunt, qui-
„bus 4to die cessante febre nulla tubercula
„circa anum prodierunt; verum effluxit san-
„guis copiosus, absque dolore, & tumore.
„Morbus hic molestus, & periculosus fuit, &
„medicamentis perverso modo adhibitis po-
„tuit letalis fieri. Etenim quamvis cognitum
„fuerit, febrem esse hæmorrhoidalem, & cri-
„sin versus anum esse futuram, nullis tamen
„remediis pellentibus, & tumores hæmorr-
„hoidales promoventibus uti licuit; nam hæc
„febrem & morbum exacerbarunt. Primo,
„& 2do die cum pulsus plenus & durus fuit,
„repetitis vicibus debebat sanguis e vena
„emitti; his tamen naturæ vis non erat nimi-
„um debilitanda, secus accesserunt convulsi-
„ones, & morbus factus est diuturnus & ano-
„malus. Si dein decoctis antiphlogisticis, sub-
„acidis, nitrosis alvus leniter aperta, & flu-
„xilis reddita est, tunc morbus cito levaba-
„tur. Qui decocta subacida & nitrosa ferre
„non potuerunt, his demulcentia, emollien-
„tia & oleosa profuere. Nec leve levamen
„sequebatur, si super toto abdomine mol-
„lissima cataplasmata sunt posita. Enemata
„emolientissima (ex decoct. emolli: & olei ver-
„basci āā ℔ß.) leni vi & apta manu ano sæ-
„pius injecta multum quoque juverunt, ete-
„nim horum ope dura & numerosa scybala
„prodierunt, & intestini recti vasa sunt emol-
„lita & apra reddita ad crisin suscipiendam.
„Nimii vomendi conatus, dolores colici, &
„tenesmi si emollientibus non cesserunt, tunc
„reme-

„remediis paregoricis debebant mitigari, ſup-
„primi: 3tio & 4to die vapores ▽æ. ebulli-
„entis ano applicati diminuerunt dolores, &
„criſin reddiderunt faciliorem. Quarto die,
„ſi tubercula hæmorrhoidalia apparuerunt, &
„ſi omnes dolores & febris ceſſarunt, tunc
„ferre nullis amplius medicamentis opus fuit;
„in ſola vivendi ratione erat attendendum,
„ne acida adſtringentia, aut acria aromatica
„aſſumerentur. His in caſibus intra paucos
„dies ſæpiſſime perfecta ſequebatur curatio,
„& vaſa turgida ſponte iterum detumuerunt.
„Si autem tumente hæmorrhoide novus do-
„lor circa anum ortus eſt, ſi tubercula valde
„rubra, calida, pulſantia, & tenſa fuerunt,
„ſi ſitis increvit, & pulſus major, fortior,
„ac durior factus eſt, tunc plerumque repe-
„titis vicibus debebat iterum ſanguis mitti,
„& anus cataplasmatibus probe foveri. De-
„cocta emollientiſſima cum pauco nitro hic
„optime conveniebant, & brevi dolores mi-
„tigati ſunt, præſertim ſi hæmorrhois admi-
„ſit, ut talia ſimul enemata injicerentur. Si
„adfuit ingens dolor, & teneſmus admodum
„moleſtus, ac anxius, tunc opio erat uten-
„dum. Hæc eadem remedia optime adhibe-
„bantur, dum tumores hæmorrhoidales intra
„ani ſphincterem latuerunt, ſanguiſugæ cir-
„ca anum iis in caſibus neceſſario debebant
„poni, in quibus ab hæmorrhoide regurgi-
„tante fiebant caligines, vertigines, ſopores,
„convulſiones. Dum urina a dolore hæmorr-
„hoidali retinetur, vitanda ſunt omnia for-

„tiora

„tiora diuretica (*a*); ſolis decoctis ex radice
„altheæ & glycyrhizæ utendum eſt, & venter,
„& partes circa anum debent emollientiſſi-
„mis cataplaſmatibus involvi, foveri . . .
„Molles & non dolentes hæmorrhoidum tu-
„mores, ſi ſponte non abeunt, feliciſſime
„diſpelluntur unquento

℞ Unqu. nutrit ℥ iij
— — popul. ʒjβ. M.

„Si vero adeſt teneſmus, & dolor dilace-
„rans abſque ulla inflammatione, tunc præ-
„fertur unquentum

℞. Opii puti gr. iij
Unqv. nutriti
— — popul. āā ʒij M."

Hactenus Il. STÖRCK. Tertiam ejuſdem-
modi febrem C. WEBER (*b*) a ſe viſam hunc
in modum deſcribit: „in Martio, Aprilique
„Anni 1764 hæcce febris maſculino a 20mo
„ad 55. annum ſexui præprimis propria ad-
„modum frequens fuit. Incepit cum hor-
„rore, quem æſtus continuus, levis, pulſus
„durus, & celer, ſomnus inquietus, capi-
„tis gravedo, ſitisque ſubſecuta ſunt. Quar-
„to die in ægrotis præcordiorum anxietatem,
„colli

(*a*) Vide §. 57. IV. Nro. 2.

(*b*) Obſ. med. Faſcic. 2. Obſ. 13. §. 13. 14. p. 55. ſqq.

„colli, dorſique dolores tenſivos, urinæ
„flammeæ ſuppreſſionem, alvi obſtructionem
„æſtusque augmentum obſervavi: 5to. mane
„reſpiratio aſthmatica, dolor pleuriticus, ab-
„domen compreſſum, vomendi conatus, & cir-
„ca veſperam vertigo prurigo in inteſtino rec-
„to, formicationisque ſenſus circa os ſacrum
„incommodo fuerunt. Faciem deprehendi
„ictericam; & moroſam, pulſum inæqualem.
„Sexta luce præterea de dolore circa os ſa-
„crum, & lumbos, anxietate, alvi obſtruc-
„tione, anique conſtrictione ſumma quirita-
„runt ægri, nocteque inquietiſſime peracta
„7mo. die in inteſtino recto, circaque illud
„variæ figuræ, magnitudinisque tubercula ru-
„bra, dura, rariſſime mollia conſpexi. Fe-
„bris inde deſinebat, urina ſedimento albo
„dives erat, atque dolores magis, magisque
„remittebant; qui e contrario perverſa me-
„dicatione uſi erant, in febres erraticas,
„morbos longos, tuſſim ſiccam cum febre
„lenta, hæmorrhoides nimias, & hydropem
„incidebant . . . Cum Væ. Sne. in brachio
„ſemper curationis initium factum eſt, hac
„enim bis ad ſummum ter inſtituta omnis
„vehementis morbi vis illico periit ſanguis-
„que primis diebus purpureus, poſtea vero
„cruſta alba tenaci obductus, effluxit. La-
„xans dein ex manna, rhabarbarove cum nitro,
„vel ſale ſeidlizenſi combinatum, clyſmata-
„que ex ſaponis aqua parata, atque remedia
„temperantia, præprimisque oxymel ſimplex,
„ceraſorum, florumve tiliæ aquam, berbe-

rum

„rum, vel bellidis ſyrupum, & nitrum præ-„ſcripſi, pomaque, pyraque cocta, ut & „cremores avenaceos, hordeacosque com-„mendavi. Alvo hinc quotidie bis, & ter „laxa obſervata febris minuebatur inſigniter, „anxietas, doloresque multum remittebant, „tuberculaque ſenſim & ſponte evaneſcebant. „Quid? quod febrem aliquoties in intermit-„tentem quotidianam, ex dorſo ſemper cum „formicationis ſenſu incipientem 6 ad 8 ho-„ras durantem, & ter, quaterque redeuntem, „mutatam viderim. Si me ſerius vocato „dolores circa anum ſummo incommodo „erant, ex hyoſciami foliis cum lacte cata-„plaſma applicui, febreque, doloribusque „ceſſantibus a decimo ſecundo, 5to, 8vo „die martis ℞am. LUDOV. apperitivam ele-„gi, hisque ægros ad ſalutem reduxi.“ Hæc utut ſint, negat tamen A. HAEN (*a*) febres ejusmodi ſui eſſe generis, ſed eſſe vulgares febres acutas inflammatorias, quæ vel ani tuberculis, vel fluxu hæmorrhoidali oborto judicantur, idque ex epidemiæ peculiaris indole: quemadmodum nempe in aliis conſtitutionibus febres vel alvo, vel parotidibus &c. ſolvuntur, quin tamen ulli adhuc in mentem venerit, eas alvinas, parotidicas, &c. vocare. At meo judicio lis de nomine eſt. Quid enim vetat febrem appellare hæmorrhoidalem, quam hæmorrhoidalia molimina ſuſ-

---

(*a*) Rat. med. P. 7. C. 5. §. 5.

ſuſcitarunt, & obortæ ad anum varices, vel hæmorrhoidum fluxus denuo ſolvunt?

§. XXXIII.

2. DOLORES, *pruritus.* Iſte vel totum afficit corpus, ut in DUNCANI (*a*) olitore, ac RHODII (*b*) cænobita, vel unam tantum aliquam ejus partem, inprimis anum, aut genitalia, velut in GOHLII (β) bibliopægo, ac WEBERI (ϛ) ægris, atque in FORTIS (*c*) Antiſtite ſcalptum ad excoriationem uſque expoſcens: uni autem C. STUNZERI (δ) ægrorum immoderatus pruritus certum erat hæmorrhoidum adventantium præſagium. Multo tamen iſte rarius vexat; quam dolores variarum partium, variæque intenſitatis, ac durationis, maxime hic ſolennes eſſe conſueverunt dolores.

a) *Capitis*, quos multos (ſudoribus tamen nocturnis cedere ſolitos) a moliminibus hæmorrhoidum pertulit Vratislavienſium (*d*) vir, & ægri STÖRCKII (*e*) olitorque DUNCANI

(*a*) Vide §. 70.
(*b*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. albar. §. 2. II. B. Nro. 1. a)
(*c*) Vide Sequ. g) (β) Vide §. 55. Nro. 13. d)
(*d*) Vide §. 84. a) (ϛ) Vide §. præced.
(*e*) Vide §. præced. (δ) L. c. p. 46.

NI; (*a*) ALBERTII vero ægrorum unus (*b*) insolito capitis dolore detentus haud prius ab eo liberatur, quam ubi usu pillularum STAHLII sanguinem alvo excrevisset; alter (*c*) vero hemicraniam cum cataracta ad omnia pertinacem nactus solis hirudinibus levabatur.

b) *Spinæ dorsi* dolores ab hocce morbo raro unquam absunt, & inter hæmorrhoidalia molimina vix non principem sibi locum vindicant, atque a summa nucha orti non raro ad imum usque ossis sacri totam spinæ longitudinem emetiuntur. Hinc toties hæmorrhoidarii de tensione nuchæ querulantur, quos inter ægri fuere STÖRCKII; (*d*) aut de spinæ dorsi dolore motum ejusdem vetante, quem Vratislaviensium (*e*) homo palo toti spinæ infixo, ERNESTII (*f*) vero quadragenarius cultro ab imo spinæ sursum adacto compararunt. Aliis vero vel maxime in osse sacro molestus est, velut GOHLII (*g*) bibliopægo. &c.

c) *Ar-*

(*a*) Vide §. 70.

(*b*) Vide §. 75. c)

(*c*) Vide §. 115. Nro. 1.

(*d*) Vide §. præced.

(*e*) Vide §. 54. Nro. 8. a)

(*f*) Vide §. 84. a)

(*g*) Vide §. 55. Nro. 13. d)

c) *Articulorum* rheumatico - arthritici, vel fixi, vel vagi. Haud fatis (opinor) inculcari tironibus poteft, ut in artuum curandis doloribus follicite femper ante fcrutentur, num a motibus hæmorrhoidalibus oriantur; ne forte aut podagræ veræ, aut aliis non amovendis caufis adfcripti pró incurabilibus habeantur, vel faltem alia; quam qua in hæmorrhoidalibus malis opus eft, medendi methodo adhibita exasperentur potius; quam leventur. Adeo enim dolores hi hæmorrhoidibus familiares funt, ut inter primaria moliminum hæmorrhoidalium fymptomata fint referendi, in primis

α. *Arthritis*, vaga plerumque, rheumatica, velut in ALBERTII (*a*) juvene, virisque CAMPARDONI, (*b*) & CARLII, (*c*) nec non CHOMELII (*d*) muliere.

β. *Ifchias*, totum interdum femur fimul, imo crus etiam pedemque infeftans. Jam olim HIPPOCRATES (*e*) dolores coxæ vel articulorum iis acidere notavit, qui hæmorrhoidibus laborant. Neque ad molimina tantum pertinet ifchias, fed cæcis quoque fæpe,

---

(*a*) Vide fequ. β.

(*b*) Vide §. 71. e)

(*c*) Vide §. 55. Nro. 9. f)

(*d*) Vide §. 115. Nro. 2.

(*e*) Prædict. L. 2. p. m. 112. fq.

ſæpe, quin & interdum fluentibus ipſis hæmorrhoidibus comes eſt, ut in quodam ALBERTII (*a*) juvene 20 annorum, a patre valde hypochondriaco genito, cui aliquoties per anum hæmorrhoides cæcæ obortæ, non ſine arthriticis, interdum & iſchiaticis doloribus, concurrentibus aperiebantur. Ceterum autem iſchias plerumque ad cenſum molimінum hæmorrhoidalium pertinet, quemadmodum in ALBERTII tabellario (*b*) tum ZETTERMANNI (*c*) medico, viro GOHLII tribusque aliis STAHLII (*d*) & SALOMONIS (*e*) muliere.

γ. *Podagra* non abs re hæmorrhoidalis compellanda; ut, quæ ſubſecuto deinceps hæmorrhoidum fluxu toties conquieſcere viſa fuerit. Ex prævia illam arthritide contraxit vir hæmorrhoidarius ALBERTII, (*f*) cui etiam ſimile quid MOLLERI (*g*) præco ſacer perpeſſus eſt; nec aliam quam hæmorrhoidalem

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidib. cæcis (4to. Halæ 1717. Reſp. I. L. MOESER) §. 9. & Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. p. 286.

(*b*) Vide §. 29. a) α. vel §. 55. Nro. 13. a)

(*c*) Vide §. 108. b)

(*d*) Vide §.

(*e*) Vide §. 115. Nro. 1.

(*f*) Vide §. 114. Nro. 3.

(*g*) Vide §. 115. Nro. 1.

lem podagram VOGELII (*a*) ſenex habuiſſe eſt cenſendus, ac vere talis fuit, quæ HOFFMANNI (*b*) virum detinuit. Interea tamen ſerio monet poſtremus (*c*) ne omnis podagra perperam hæmorrhoidali fluxui, vel reſtitanti, vel erumpere non valenti adſcribatur, ut male id nonnulli ſunt opinati: „ego certe ſæpius vidi (ait idem) ſuccedente etiam, „quin ſub ipſo hæmorrhoidum ſtillicidio & „calculum, & podagram tyrannidem ſuam „exercuiſſe, de quo quidem omni dubitatio„ne majus eſt exemplum . . . DOLAEI, qui „ſæpius per litteras apud me conqueſtus eſt, „quod per 20 annos, licet hæmorrhoides „fluxerint, mire calculi, & podagræ dolo„ribus divexatus ſit; a quibus tamen diæta „lactea utens per biennium liber egit, ſed „ad priſtinum victum & potum poſtea conce„dens, incidit in dyſuriam, demum fune„ſtam.“ (*d*)

d) *Ventriculi* quoque dolores lumborum doloribus accedentes inter hæmorrhoidalia molimina COUS. (*e*) refert dicens: „lumbis dolentibus, ſi oris ventriculi dolor „acceſſe-

(*a*) Vide §. 54. Nro. 3.
(*b*) Vide §. 53. III. A. Nro. 2. f)
(*c*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 2. *S.* 2. C. 11. §. 24.
(*d*) Ibid. T. 3. S. 1. C. 9. §. 24.
(*e*) Prædict. L. 1. Nro. 130.

„accesserit, futuræ per hæmorrhoidas vacua„tionis signum est, ac forte etiam eam præ„cessisse significat." Id ipsum pene iisdem verbis alias (*a*) quoque asseruit, hocque ejus effatum verum esse experti sunt duo ALBERTII (*b*) ægri, CAMPARDONI (*c*) vir, MOLLERI (*d*) centurio, VOGELII (*e*) senex, STORCHII (*f*) femina, & virgo apud CHEVALIER (*g*) queis omnibus cardialgia ante fluxum hæmorrhoidum fuit molesta.

e) *Intestinorum* torminosi, colici hæmorrhoidalibus moliminibus juxta; ac ceteris vicissitudinibus tam familiares, ut non *colicæ hæmorrhoidalis*, quam M. ALBERTI (*h*) prolixe descripsit, adepti sint. Unde G. E. STAHLIUS (*i*) „quicunque (ait)" manifeste hæmorrhoidarii fiunt, tum antequam hæmorrhoides ipsis perrumpunt, tum quando redeunt, tum quando impeditius procedunt, acerbissime, & manifestissime torminibus, angu-

(*a*) Coacor. Nro. 312.

(*b*) Vide §§. 60. & 53. Nro. 1.

(*c*) Vide §. 71. e)

(*d*) Vide §. 115. Nro. 3.

(*e*) Vide §. 54. Nro. 3.

(*f*) Vide §. 108. c)

(*g*) Vide §. 71. a)

(*h*) Diss. de colica hæmorrhoidali 4to. Halæ 1718. Resp. I. F. ZECHNER. & Tract. cit. P. 2. p. 183.

(*i*) Diss. cit. Cap. 3. p. 15.

gustiis, pressionibus, atque tensionibus circa præcordia (seu ut fere nominant Græci ὑποχόνδρια) communissime, & quantum observare licuit, numerosis sane exemplis, quasi essentiali indiviso symptomati certo obnoxii sunt. Hæc quidem longe sunt verissima; at longius a vero illud abest, quod idem hic Auctor (*a*) evincere contendit, nimirum colicam hanc hæmorrhoidalem a coo (*b*) sub nomine ilei hæmatitis fuisse adumbratam, ut recte id F. HOFFMANNUS (*c*) illi negavit, & A. HAEN (*d*) meliori jure ad scelotyrben pertinere ostendit. Sed neque HAENIO (*e*) plus hic fidei tribuendum colicam hæmorrhoidalem usque adeo raram esse inculcanti „ut, „qui centies, & millies has hæmorrhoidales „colicas sibi videre videantur, etiam centies „& millies easdem, ut tales, quales minime „sint, salutent.“ HOFFMANNUS (*f*) profecto nullatenus STAHLII Dogmatibus addictus, illaque ubi ubi licuit, lacescens, a propria testatur experientia, colicas hæmorrhoidales ab aliis haud satis agnitas, sæpissime sibi in praxi curandas occurrisse, duosque huc facientes illius insignes enarrat Casus, (*g*) plures

(*a*) Ibidem p. 14. 17.
(*b*) De intern. affectionib. p. m. 557.
(*c*) Consult. & resp. med. Cent. 2. Casu. 12.
(*d*) Thes. pathol. de hæmorrhoid. Cap
(*e*) Ibid. §. 4. sqq. (*f*) l. c.
(*g*) Ibidem cas. 12. 13.

res aliorſum (*a*) etiam ſpectantes. Utinam omnino plurimi medicorum hæmorrhoidalem colicam ſibi propius habuiſſent perſpectam, forte ex ea non ignorata nec HOFFMANNI (*b*) juris conſultus, nec aulicus CLACII (*c*) exſpiraſſent. Iſtis certe hac in parte feliciores fuere ægri STÖRCKII, (*d*) vir item Vratislavienſium (*e*) CORNARII, (*f*) miles DELII, (*g*) nobilis GRAFFII, (*h*) homo HENNINGII, (*i*) ac puella SEGNITZII, (*k*) quod medici his omnibus obtigerint hæmorrhoidalis colicæ non ignari.

f) *Lumborum* perinde immanes quandoque cruciatus hæmorrhoidarios torquere conſueverunt. Quos jam ab HYPPOCRATE notatos fuiſſe ſuperius (*l*) dixi & I. C. STUNZER

(*a*) Vide §. 53. I. II. Nro. 5. §. 55. Nro. 2. §. 95. a) §. 100. 108. a)
(*b*) Vide §. 55. Nro. 12. c)
(*c*) Vide §. 53. I.
(*d*) Vide §. præced.
(*e*) Vide §. 84. a)
(*f*) Vide §. 95. d)
(*g*) Vide §. 19. c)
(*h*) Vide §. 47. b)
(*i*) Vide §. 48.
(*k*) Vide §. 72.
(*l*) Vide præced. d)

ZER (*a*) narrat ſenem 75 annorum per continuos 15 annos e lumbis uſque adeo doluiſſe, ut nec ſedere nec ſtare poſſet; donec ante 5 annos Badenſibus thermis usus hæmorrhoidum fluxum nactus eſt; unde omnis abiit dolor. At quotidianus licet fluxus fuerit, plethoram haud ſane minuere videbatur, namque ob inquietas, inſomnesque noctes, anxietates ac vertiginem ſupervenientem bis inſuper quotannis Væ. Sne. opus fuit, quemadmodum nempe ante obortum fluxum factitatum eſt. Hujusmodi etiam lumbares dolores experti ſunt ægri BAGLIVII (*β*) CAMPARDONI, (*b*) HOFFMANNII (*c*) & HOLLERII, (*d*) qui in BÜNDELLII (*e*) juvene cum cardialgia juncti erant.

g) *Ani* denique etiam, ac *vulvæ* dolores familiare ſunt malum hæmorrhoidum cum ingruentium, tum turgentium, tumentiumque, imo, & ſæpe fluentium etiam. Oriuntur autem a diſtentione vel ſimplici, vel varicoſa vaſorum nervos vicinos tendentium. Dolores hi nec aſſidui ſemper, ne ejusdem etiam ſunt intenſitatis, alias enim tenſivi tantum, alias vero acutiſſimi ad ſyncopen uſque

(*a*) L. c. p. 50. ſq. (*β*) Vide §. 53. II. Nro. 5.
(*b*) Vide §. 71. e)
(*c*) Vide §. 55. Nro. 13. e) §. 95. a) §. 100.
(*d*) Vide §. 117. *β*.
(*e*) Vide §. 44.

usque percipiuntur: isti præsente vel maxime inflamatione, vel certe hac etiam absente sub alvina egestione, aut in feminis coitus tempore discruciant, alioquin vero vel nullus vel tensivus tantum dolor percipitur, quem ægri varie exprimunt. Sic rustica SEGNIZII (*a*) puella pressionem se in recto intestino experiri ajebat; HOFERI (*b*) ægro durum aliquod corpus totum sphincteris ani ambitum cingere videbatur: clavum ano velut infixum juvenis GOHLII, (*c*) vir STAHLII (*d*) spinam infixam querebantur; alii veluti de nucleo intra anum hærente loquuntur. Mulier autem SALOMONIS (*e*) insuetam se tantum sensationem ibi percipere memoraverat. Ubi autem causa aliqua tensivum hunc dolorem exasperans accesserit, iste in acutum degenerat; quod ut plurimum subita ac insignis varicum distractio efficit. Sic feminæ latentes intra vulvam hæmorrhoidales varices vix sentiunt; sed admisso viro ab arietatione in varices has voluptatis loco tantus oboritur dolor, ut ei ferendo impares virorum amplexus exhorres-

(*a*) Vide §. 72.
(*b*) Vide §. 55. Nro. 9. a)
(*c*) Vide §. 47. c)
(*d*) Vide §. 27. c)
(*e*) Vide §. 115.

horrescant repudientque, uti in ALIXII (*a*) & COCKBURNII (*b*) feminis accidit.

Id ipsum quoque in recto intestino sub alvina egestione contingit, dum scybala crassa, duraque anum versus pulsa in hæmorrhoidales varices ibi exstantes impingendo eas violente distrahunt, unde tam atrox sæpe dolor enascitur, ut ægri sudore frigido perfusi in syncopen prolabantur, malo huic, ut recte notat ALBERTI, (*c*) occasionem tunc alvo plerumque clausa præbente. „Scio ego" inquit M. ETTMÜLLERUS (*d*) „exemplum mulieris . . . quæ quando volebat excernere „alvi excrementa, in animi deliquium cum „faciei tumore, rubore, & incalescentia in„cidebat ex iisdem hæmorrhoidibus cæcis; „simul ac vero excreta fuerunt stercora, cessa„bant omnia talia symptomata." Novit & aliam, (*e*) ni una eademque sit; quæ toto anno dolorifice egerebat. Gravida quoque apud DE LA MOTTE (*f*) alvum non sine auctis cruciatibus reddebat. Non indignus isthic notatu casus est, quem narrat R. I. FOR-

(*a*) Vide §. 115. Nro. 2.

(*b*) Vide §. 53. II. Nro. 1.

(*c*) Diss. de hæmorrhoidib. cæcis §. 13. Tract. cit. P. 1. p. 290.

(*d*) L. c. p. 143. sq. confer. §. 54. Nro. 8. d)

(*e*) §. 81.

(*f*) 133. a)

FORTIS (*a*): Antiſtes gracilis, fuſcus, 48 annum agens, arduis ſemper negotiis, longisque itineribus deditus, a multis annis & hypochondriacus, & hæmorrhoides paſſus eſt, in adoleſcentia cæcas, dolentesque, quibus ex itineribus demum apertis dolores deſiere, mole tamen earum ſenſim ita aucta, ut nunc acinis uvæ ſimiles eſſent, & jam a 4. annis ſub alvi egeſtione omnes egreſſæ non facile mox reponi ſe ſinerent, quæ antehac ſanguinem etiam quandoque fuderunt. Demum ab autumnali 3na duplici hæmorrhoidum tumori rurſus dolor ſe junxit, poſt alvum egeſtam ſemper ingraveſcens, & plures horas, imo totum quandoque diem durans, acutiſſimus. Varices fuere lividæ, ac fere nigræ, atque in ſuperiore parte verſus coccygem ulceratio quædam, & inferius aliæ leviores excoriationes reperiebantur. Exitus ignoratur.

§. XXXIV.

3. VERTIGO quoque hæmorrhoidariis ſæpe admodum infeſta eſſe conſuevit, dum nimirum ſanguis exitum per vaſa inteſtini recti non illico nactus oborto niſu contrario, ad ſuperiora regurgitat. C. C. ENGEL (*b*) viri eccle-

(*a*) Conſult. & reſp. med. T. 2. Cent. 3. Caſ. 13. p. 331. ſq.

(*b*) Specim. med. p. 152. ſqq.

ecclefiaftis cafum refert, quem vertigo ab anomalis hæmorrhoidum moliminibus, ac fcorbutica dyfcrafia oriunda graviter afflixit, & J. C. STUNZER (*a*) vehementem in nonnullis hæmorrhoidariis vertiginem obfervavit, quæ mox ut punctorius in ano dolor obortus eft, remifit. In Annalibus Vratislavienfium (*b*) piscator 50 annis major, melancholicus, poftquam in, & fuper aquis diu, multumque laborans corpus admodum perfrigeraffet, in tantam incidit vertiginem, ut oborta fubinde fcotomia in periculo fuerit e fcapha in aquam delabendi. Supervenit levior febrilis horror, vehementem in æftum abiens, quo per ℥em falinum antifpasmodicum fopito, hæmorrhoides cum vehementi ardore fefe effudere: unde cum debilitaretur admodum, fecta vena continuatisque prioribus ℥ibus addito ℞æ ftomach. ⊖næ ufu, & exhibitis aliquoties pillulis STAHLII, prorfus iterum convaluit. Perinde A. E. BÜCHNERUS (*c*) meminit viro hæmorrhoidum fluxum omni menfe regularem aliquamdiu adepti, fed femper cum ante; tum poft fluxum gravem fodam, & aliquoties etiam ante fluxum vehementi vertigine, & uberi narium hæmorrhagia

---

(*a*) L. c. 46.

(*b*) Tent. 27. A. 1724. Martii. cl. art. 2. p. 258.

(*c*) Mifcell. phys. med. A. 1730. Aug. cl. 2. art. 1. §. 2. p. 1245.

hagia vexati, quæ tamen oborto fluxu denuo conquiescebant. SALOMONIS (*a*) etiam juveni ab hæmorrhoidali ſanguine verſus caput regurgitante, iſtud tam imbecillum fuit, ut ille ſine comite incedere nequiret. Vertiginoſi quoque fuerunt VEBERI (*b*) ægri, DUNCANI (*c*) olitor, ac WEISZII (*d*) mercator. Videbimus etiam deinceps (*e*), quam ſæpe vertigo ſuppreſſum hæmorrhoidum fluxum conſequatur.

§. XXXV.

4. INSANIA etiam non usque adeo hæmorrhoidariis eſt infrequens, dum ſanguis ano erumpere nequiens caput petit. Qui prima hæmorrhoidum experiuntur molimina, identidem ac ſine manifeſta cauſa melancholici evadunt, mœſti; nulla voluptate exhilarandi, velut puella, cujus CHEVALIER (*f*) meminit; aliis furibunda etiam deliria accidunt, quemadmodum in BANGII (*g*) viro eſt obſervatum. Fluxu autem hæmorrhoidum ſponte, arteve eve-

---

(*a*) Vide §. 115. Nro. 1.
(*b*) Vide §. 32.
(*c*) Vide §. 70.
(*d*) Vide §. 101.
(*e*) Vide §. 55. Nro. 1.
(*f*) Vide §. 71. 2)
(*g*) Vide §. 117. β.

eveniente ægri ad rationem hilaritatemque redeunt. Plura huc facientia exempla poſtmodo (a) etiam viſuri ſumus.

§. XXXVI.

5. SPASMI, convulſiones inter molimina hæmorrhoidalia haud ſecius; ac vertigo, & inſania pertinent; idque vel ob encephalon ſanguine illuc regurgitante oppreſſum, vel ob nervos in decurſu ab infarctu vaſorum laceſſitos. Ita ERNESTI (b) vir ſpasmum in artubus, in cruribus GRAFFII (c) nobilis, in manibus STORCHII (d) juvenis expertus eſt. Poſtremo huic (e) etiam curandus obtigit cholericus 32. annorum, quem 12ma Maji ſubito tremor artuum, & ſyncope, ſudorque frigidus prehendit. Dato ♅c antiſpasmodico temperante omnia conquievere; ſed 28va Novembris (f) ingruunt horripilatio, æſtusque cum preſſione in ſtomacho; data ergo vesperi pillul. BECCHER. & purg. āā gr. 5. Die 30ma tamen preſſio in ſtomacho ſuperfuit: ergo datum

℞.

(a) Vide §. 55. Nro. 2.
(b) Vide §. 39.
(c) Vide §. 47. b)
(d) Vide §. 115. Nro. 2.
(e) Obſ. clinic. ann. 4. Maji. cl. 4. §. 4. p. 253.
(f) Ibid. Novembr. cl. 4. §. 3. Nro. 8. p. 577.

℞. Elixir *ppr.* PARAC: ſine acido ℥ß.
Eſſ. bez. Auctoris ʒj. M.

S. ter de die gtt. 30. Unde in 4 hebdomadas bene habuit. Donec 28 Decembr. in familiarem ſibi defluxionem ſpasmodicam incidiſſet, a qua ſumto ☿ ex antiſp. ℈ij, & e pil. nigr. ℈j, in 3 doſes 3tia quave hora dandas diviſo poſtridie liber factus venam in pede ſecuit. Die 31ma flatus adhuc moleſti erant cum convulſivo lævi hypochondrii tremore. Datus igitur ☿ purg. ad gr. xxv. ſumendus, dein vero

℞. M. P. de ſuccin. CRAT.
— — purg. āā ℈ß. M.

Divide in ij doſes, S. omni hebdomade unam: unde (*a*) 2da Januar. ſexies dejiciens ſub finem purum ſanguinem egeſſit, ſine ullo tamen levamine, ob ſuperſtitem flatulentiam; cui inter varia etiam ▽æ carminativæ oppoſitæ, cum inquietudines, & alvi obſtructionem attuliſſent, ſeponendæ iterum erant, alvusque enematibus aperta tenenda. Finiente Februario varix hæmorrhoidalis enata naturam morbi luculente detexit, a quo idonea medendi methodo adhibita prorſus tandem convaluit. Perſpicax lector varia utilia colloraria ex

(*a*) Ibid. ann. 5. Januar. d. 4. p. 24.

ex hac obſervatione ſibi eruet. Ad ſpasmos quoque referenda eſt palpitatio cordis in BEHRENSII (*a*) literato obſervata. Graviſſimum tamen convulſionum genus eſt epilepſia, quam hæmorrhoidalia molimina cum paralyſi in CORNARII (*b*) nobili excitarunt, & cujus duo etiam in praxi exempla J. STORCHIO occurrerunt, unum (*c*) in illuſtri quadam virgine, alterum (*d*) in femina quadam aulica, ſanguineo - melancholica, ceteroquin robuſta, e nigro fusci coloris. Hæc ſub parco catameniorum fluxu jam a biduo ex intervallis ſpaſmos epilepticos cum omnium ſenſuum abolitione patiebatur quos pro uterina epilepſia habitos cum data MRa ex eſſent. Caſtor: cum ♌ ⊖* in ▽a hyſter. HORSTII (quæ aqua ſeorſim etiam cochleatim bibenda imperabatur) ſemper magis magisque exasperaſſet, Auctor conſultus exhibuit 2da quaque hora ℥ antiſpasmodico - abſorbentem, a quo 4 horarum morbus inducias dedit, deincepsque prorſus deferbuit. At dum 3tio abhinc die ægra, neſcio quo, conſulente rurſus eſſentiam priſtinam uſurpaſſet, novum nacta eſt inſultum, poſt quem datum catharticum e ℞a rhei

(*a*) Vide §. 51. B. a) Nro. 1. δ.

(*b*) Vide §. 95. d)

(*c*) Von Krankh. der Weiber. 2. Band Caſ. 116. p. 432. ſq.

(*d*) Ibidem Caſu 96. p. 348. ſqq

rhei ʒjß, & arcan. ♀ri ʒß pro binis haustibus: unde ægra alacris, hilarisque nonnisi alvum obstructam, fugacesque calores versus horam 4tam querebatur. Iteratæ proinde MRæ pars una a meridie, altera postera mane, & ☿is antispasmodici ante meridiem, ac vesperi præbium datum, & ad referendam alvum globulus moschatus ano inditus eam sub vesperum movit, sub cujus egestione, & post illam tenesmus cum tuberculo hæmorrhoidali sese exseruit; sed insultus epileptici haud amplius reversi sunt, contra vero nunc murmura, & aliquæ anxietates molestæ erant; quæ cum nil nisi hæmorrhoidales essent nisus, imperabatur ulterior MRæ ac ☿is usus. Postridie dolor dextro in crure ac pede aderat, sed cum cetera bene haberet ægra, nonnisi semel cum MRa, tum ☿ datus, sequenti die insignis muci cruenti copia cum ardore, ac tenesmode dolore alvo prodiit, crurisque dolor evanuit, hinc unicus tantum ☿ datus. Biduo abhinc ægra ita profecit, ut lectum deserere quiverit, nil nisi leves adhuc horrores, fugacemque calorem questa. Idcirco præscriptum

℞. M. P. BECCHER ℈j.
— — purg. ℈ß. M.

div. in doses iij, quarum 4to quovis die una sumatur. Triduo post ægra optime valebat, & post Væ. Snem. 8vo inde die in pede factam constanti gavisa est valetudine.

§.

§. XXXVII.

6. ANXIETAS, *dyſpnœa*, *aſthma*, *orthopnœa*, *tuſſis*, aliaque reſpirationis vitia non raro motus hæmorrhoidales comitari aſſolent. Sic tuſſis WEISZII (*a*) tinctori moleſta fuit, quam cum diſpnœa expertus eſt RAIMANNI (*b*) vir, aſthma viduam ALBRECHTI (*c*) virumque ERNESTII (*d*) afflixit, cui tuſſis quoque comes fuit in GOHLII (*e*) ac STAHLII (*f*) viris, imo orthopnoicus inde factus eſt GOHLII (*g*) bibliopœgus, anxietates vero torſerunt MOLLERI (*h*) Paſtorem, VOGELII (*i*) ſenem, ægrosque STÖRCKII (*k*) ac WEBERI (*l*).

§. XXXVIII.

7. HÆMORRHAGIÆ *ſuccenturiatæ* ſæpe numero oboriuntur, dum ſanguis hæmorrhoidalis

(*a*) Vide §. 124.
(*b*) Vide §. 109. b)
(*c*) Vide §. 119. Nro. 5.
(*d*) Vide §. 53. I.
(*e*) Vide §. 55. Nro. 12. d)
(*f*) Vide §. 115. Nro. 1.
(*g*) Vide §. 55. Nro. 13. d)
(*h*) Vide §. 115. Nro. 1.
(*i*) Vide §. 54. Nro. 3.
(*k*) Vide §. 32.
(*l*) Vide §. ibidem.

dalis per inteſtini recti vaſa erumpere haud valens ad alia, vel vicina vel remotiora vaſa regurgitat, ibique vel anaſtomoſes arteriarum, vel varices venarum ad crepaturam uſque diſtentas efficiundo exitum ſibi pandit. Sic narium, & e cutaneis poris hæmorrhagiæ obortæ ſunt in Ill. juvene STAHLII, (*a*) & narium quoque hæmorrhagias primum, deinde vero mictum cruentum nactus eſt CARLII (*b*) homo, ALBERTII (*c*) autem vir & GOHLII (*d*) bibliopœgus cruento ſputo inde laborarunt, haud ſecius ac ii, quibus e ſuppreſſo hæmorrhoidum fluxu variæ id genus hæmorrhagiæ accidunt. (*e*)

§. XXXIX.

8. SUDORES, quoque inter molimina hæmorrhoidalia ſunt referendi, iique vel *univerſales*, qui plerumque nocturni ſunt, ut in ERNESTII (*f*) SALOMONIS (*g*) ægris vel *topici* v. g. circa anum, ut in I. G. ERNESTII

(*a*) Vide §. 51.

(*b*) Vide §. 55. Nro 9. f)

(*c*) Vide §. 60.

(*d*) Vide §. 55. Nro. 13. d)

(*e*) Ibidem a) ſqq.

(*f*) Vide §. 53. I.

(*g*) Vide §. 115. Nro. 1.

STII (*a*) viro ſanguineo-cholerico, qui ſæpe ſpaſmodicos artuum motus, ac molimina hæmorrhoidum externarum citra juſtum fluxum, niſi quod ſubinde, ac præſertim poſt ingurgitatum vinum leve ſanguinis ſtillicidium ſub alvi egeſtione ſit expertus, perpeſſus, tandem ſudare circa anum ac genitalia cœpit; ſed ſponte iterum evaneſcentem in autumno ſudorem excepit anguſtatio pectoris, cum ſicca tuſſi, quæ quidem a Væ. Sne. pedis, eccoproticis, & infuſis diſcutientibus iterum deſiit, ſed poſtmodo poſt levem corporis perfrigerationem enata eſt otalgia cum purulento aurium fluxu, & carebaria. Hanc ſuffitus ſacculique diſcutientes cum camphora vertici, ac Nuchæ impoſiti, & otalgiam quoque abegere, ſuperſtite ſolo aurium fluxu nullis remediis ne minuendo quidem; qui cum ex anomalia hæmorrhoidum ſurſum regurgitantium natus crederetur, non ſatis tutum videbatur valentioribus eum remediis cohibere, ſolis itaque inſiſtebatur porro revellentibus, divertentibus, diſcutientibus, motusque anomalos mitigantibus, imo facta in vere circa æquinoctium Væ. Sne. pedis, datisque iterato infuſis eccoproticis, ab omni deinceps medicatione ſenſim deſiſtebatur, omni negotio naturæ relicto. Et vero fluxus a mane ad meridiem uſque copio-

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 23. A. 1723. Febr. d. 2. art. 3. §. 4. p. 151. ſq.

piosior abhinc in vesperam usque semper magis minuebatur, donec etiam horis matutinis minui cœpit, & æstate demum prorsus desiit, reversis iterum doloribus nephritico-colicis, manifesto indicio sanguinem iterum versus ani vasa niti. Luculentum sane motuum hæmorrhoidalium anomalorum exemplum!

§. XL.

9. METEORISMUS *abdominis* inter primaria hæmorrhoidum symptomata pertinet, cui præprimis hæmorrhoidarii, hypochondriaci, & hystericæ sunt obnoxiæ: hinc tot horum ægrorum querimoniæ de sonoris ructibus, inflatione stomachi, ac ventris totius, intestinorum rugitu. Unde M. ALBERTI (*a*) non immerito inter anomalarum hæmorrhoidum symptomata refert ructus illos mole-„stos, & adversos, imo etiam nidorosos, qui „præter angustantes molestias flatulentas una „affligunt, & sub cardialgicis, & succusato-„riis hypochondriorum, atque diaphragma-„tis commotionibus eliduntur: quales ructus „ceteroquin hypochondriacis etiam perquam „familiares existunt.“ Inflationem autem ventris colicæ plerumque junctam perpessi sunt DELII (*b*) miles enormem, ERNE-

STII

(*a*) Diss. de hæmorrhoidum consensu cum scorbuto §. 13. Tract. de hæmorrhoidib. P. 2. p. 61.

(*b*) Vide §. 19. c)

STII (*a*) ſenex, HENNINGII (*b*) vir, ægrique STÖRCKII (*c*)

§. XLI.

10. ANUS *conſtrictus* qua ab infarctu vaſorum hæmorrhoidalium qua a ſphincteris ſpaſmo. STAHLIUS (*d*) hoc ſymptoma internis hæmorrhoidibus non abs re tribuit, anum dicens uſque adeo ſæpe contrahi, ut vix cannulæ clyſmaticæ, nedum ipſi liquori aditus pateat, ſumma ſane ani adſtrictio adfuit in STÖRCKII (*e*) ac WEBERI (*f*) ægrotis, & ani perinde anguſtationem ſenſerunt cum HEISTERI (*g*) matrona; tum STORCHII (*h*) juvenis, at obortus tandem fluxus huic moleſtiæ finem imponere ſolet. In habituali tamen morbo, ubi nullus jam ſpaſmus præſto eſt, ani ſphincter plerumque ita relaxatur, ut & anus procidat, (*i*) & aliquando incontinentia alvi ſequatur, quam I. D. GOHLII

(*a*) mo-

(*a*) Vide §. 53. III. B. Nro. 4.

(*b*) Vide §. 78.

(*c*) Vide §. 32.

(*d*) Diff. de motu ſang. hæmorrhoidali, & hæmorrhoidibus externis Cap. 8. p. 21.

(*e*) Vide §. 32.

(*f*) Ibidem.

(*g*) Vide §. 84. c)

(*h*) Vide §. 115. Nro. 2.

(*i*) Vide §. 53. II. Nro. 6.

(*a*) molitor paſſus eſt, niſi ejus morbus huc prorſus forte non pertineat: relatio ejus certe admodum eſt ambigua.

§. LXII.

II. TENESMUS hæmorrhoidale ſymptoma & familiariſſimum, & (ſi unum forte dolorem demas) omnium facile peſſimum, quod ægros frequentia ſua ad deſperationem fere adigit. Gravis certe fuit in CAMPARDONI (*b*) Canonico, SEGNITZII (*c*) puella, ac in primis BEHRENSII (*d*) literato; PEZOLDI (*e*) autem equiti tantus erat, ut is inter deſidendum ad eclyſin uſque toto corpore tremeret. Imo ſymptoma hoc ſua frequentia, & intenſitate quandoque tam eſt importunum, ut omni ſomno prohibito, viribusque exhauſtis, in ſenibus præſertim, mortem accerſat, quemadmodum id binis in ſenibus accidiſſe I. STORCH (*f*) teſtatum reliquit. A ſanguine vaſa inteſtini recti diſtendente, nervosque ita irritante malum hoc oriri vel inde conficitur, quod educto ex ani vaſis per admotas hirudines ſanguine ocyus ſæpe deſinat

(*a*) L. c. Vol. 5. Sect. 2. Nro. 17. p. 35.
(*b*) Vide §. 71. c)
(*c*) Vide §. 72.
(*d*) Vide §. 51. B. a) Nro. 1. δ
(*e*) Vide §. 59. b)
(*f*) Obſ. clin. ann. 1. Mart. d. 1. Nro. 8. p. 37.

nat, & quod interdum in abſceſſum ani, ut I. C. TILLINGIUS (*a*) vidit, degeneret.

§. XLIII.

12. ALVUS autem hæmorrhoidariorum.

a) *Fluxa* quandoque eſt, dum nimirum ſub niſu ſanguinis in vaſa inteſtini recti ſimul in reliqui etiam inteſtinalis tubi vaſa ſecretoria plus humorum congeritur cum periſtaltici motus augmento. Sic WEDELII (*b*) mulier cum nimio hæmorrhoidum fluxu diarrhæam ſimul patiebatur, quam ſub moliminibus hæmorrhoidalibus nactus eſt ERNESTII (*c*) ſenex, STORCHII vir (*d*) quidam ac femina (*e*) cholerica prope quadragenaria, cui ante 6. vel 7. annos hæmatemeſin cum interſcapulari, lumbarique ſpinæ dorſi dolore paſſæ 8a. Decembris 1730 poſt octidui dorſi dolores diarrhæa cruenta oborta eſt. Hanc data M Ra. e rheo minuit; ſed interſcapulares ac lumbares poſtridie percepti dolores reverſuræ hæmatemeſeos metum ægræ injecerunt, dempto autem hoc metu ob fluxum hæmorr-

(*a*) Obſerv. med. ſingul. circa verum uſum thermar carolinar. Obſ. 35. p. 69.

(*b*) Vide §. 24.

(*c*) Vide §. 53. III. B. Nro. 4.

(*d*) Vide §. 29. a) α. §. 55. Nro. 13. d)

(*e*) Obſ. clin. ann. 8. Decembr. d. 4. p. 672.

morrhoidum præſentem continuata MRa. e rheo diarrhæam ſuſtulit ſolo hæmorrhoidum fluxu ſuperſtite, cui ſemel adhuc oppoſita ma e diei 11mæ. MRa. ex rheo, binique pulveres antiſpaſm: c. magneſia alba, a meridie ac veſperi ſumendi. Choleram quoque morbo huic junctam vidit (*a*) in cholerico ſexagenario, qui per 8. dies vomitum diarrhæamque cum anxietate menſe Auguſto nactus eſt. Dati bini ℥es. e rhei elect. & ⊕. pur. āā gr. x; dein eſſent. alex. STAHL. e. eſſ. ther. a. His vomitus fugatus eſt pergente diarrhæa enataque tubercula hæmorrhoidalia dolorifica in ano. Ad leniendam diarrhæam data doſis elect. diaſcord. imperatusque ventris litus ex ol. fl. Cham. cum carni. Tubercula tepido lacte fovere eſt juſſus: unde unum eorum ruptum ſanguinem fudit cum tanto levamine, ut æger expedite incedere quiverit: ad reliquos ergo dolores præſcriptum ungu. alb camph. pro litu. Plura hiſce analoga alibi (*b*) etiam viſuri ſumus. Verum rarius in hæmorrhoidalibus malis fluxa eſt alvus, ſed plerumque reperitur.

b) *Obſtructa*, fecum egeſtioni obſtante non tam vaſorum inteſtini recti tumore; quam ſpasmo potius motum periſtalticum labefactante & elidente. Alvinæ id genus obſtruc-

---

(*a*) Ibid. Auguſt. d. 4. p. 574. ſq.
(*b*) Vide §. 51. B. a) Nro. 1.

ſtructionis exempla præbent viri in Annalibus Vratislavienſium (*a*) & HOFFMANNI (*b*), ſenes LEÜTHNERI (*c*) ac VOGELII (*d*), inſulanus RIVERII (*e*) magnas SCHMUKERI (*f*), femina SALOMONIS (*g*), & STÖRCKII (*h*) ægri. Graviorum etiam obſtructionum alvinarum hiſtorias inferius (*i*) reperire erit. Quantis autem cum doloribus alvus tunc egeratur, jam ſuperius (*k*) oſtenſum fuit.

§. XLIV.

13. VOMITUS, etiam aliquando affligit, quem vel alvus obſtinate clauſa, vel ſanguis ab ano ſurſum regurgitans cauſat, præſertim obtinente ſimul cardialgia, vel colica, ut id videre fuit in viro Vratislavienſium (*l*) & AL-BER-

---

(*a*) Vide §. 84. a)
(*b*) Vide §. 100.
(*c*) Vide §. 96. e)
(*d*) Vide §. 54. Nro. 3.
(*e*) Vide §. 126. b) δ.
(*f*) Vide §. 117. β.
(*g*) Vide §. 115. Nro. 1.
(*h*) Vide §. 32.
(*i*) Vide §. 55. Nro. 7.
(*k*) Vide §. 33. g)
(*l*) Vide §. 84. a)

BERTII (*a*) CORNARII (*b*) nobili, SPINDLERI (*c*) figulo, STÖRCKII (*d*) ægrotis, aliisque (*e*). Non vulgarem huc facientem casum refert J. C. BÜNDEL apud R. A. VOGEL (*f*): hæmorrhoidum fluxum in juvene lumborum semper, stomachique dolor præcedebat: cum aliquando fluxus hic triennium emansisset illæsa sanitate, abhinc iterum revertit, verum nunc eundem semper per aliquod noctes stata hora ingruens vomitus præcedebat.

§. XLV.

14. URINÆ *excretio* in hæmorrhoidali morbo non mediocriter solet perturbari, cum enim, ut alias (*g*) dictum, hæmorrhoidalium vasorum propagines ad vesicam etiam, & corpora cavernosa penis ablegentur, facile liquet, a sanguine hæmorrhoidalia in vasa uberius, impetuosiusque pulso hos quoque ramos eodem tempore distendi, collumque ita

(*a*) Vide §. 60.
(*b*) Vide §. 95. d)
(*c*) Vide §. 119. Nro. 4.
(*d*) Vide §. 32.
(*e*) Vide §. 33. cl. c.
(*f*) Academ. kleine Schrift. 1. Samml. Nro. 2. Beobacht. 2. p. 45.
(*g*) Vide §. 5. b. d.

ita veficæ anguftari, ac fpasmo arctari; unde urinæ parcæ, flammeæque difficilis excretio, vel omnimoda etiam fuppreffio efficitur. Hinc G. SWIETEN (*a*) „ftranguriam (inquit) „moleftam . . . ab hæmorrhoidibus cæcis „tumentibus fieri, quotidiana obfervata te-„ftantur; imo & integram urinæ fuppreffio-„nem ab eadem caufa natam fuiffe vidi, quæ „ruptis vafis tumentibus, & fanguine copiofo „per anum excreto fanabatur ftatim.“ Infignem ab hacce caufa mejendi difficultatem expertus eft DODONÆI (*b*) vir, & confanguinea SALOMONIS (*c*): unum autem ex rariffimis hujus comatis exemplum exftat in Annalibus Vratislavienfium (*d*) de pufione 4½ annorum, phlegmatico fanguineo, qui æftate in 6tam jam feptimanam affidua, ac dolorifica micturitione tenebatur, lotiumque guttatim tantum fummos inter dolores excernebat, fanus ceteroquin & finitis doloribus efcæ, potusque appetens. Ingruente autem micturitione omnibus artubus contremifcebat, pulfu facto inordinato, fudoreque per totum corpus oborto, non fine imminentium convulfionum metu. Ex urina fubpallida, ac tur-

(*a*) Comment. ad H. BOERH. aphor. 963.

(*b*) Vide §. 11. Nro. 12.

(*c*) Vide §. 115. Nro. 2.

(*d*) Tent. 25. A. 1723. Auguft. d. 2. art. 3. §. 1. p. 152.

turbida nonnullis veſicæ calculus adeſſe credebatur; ſed cum morbus non eſſet continuus, doloresque interdum ultra octiduum etiam abeſſent, venit in mentem Auctori molimina hæmorrhoidum calculum veſicæ mentientia ſuſpicari, id quod ipſe & in proprio jam ante filio, & in aliis eſt expertus. Ordinatis ergo diſcutientibus, ac reſolventibus cum ♁ digeſtivis cinnabarinis, & imperatis, quoties ſtranguria fiebat per quam vehemens, enematibus ex emollientibus, ac nervinis tonicis, puer facile mejebat, & aliquamdiu recte valebat. Inde dabatur ℞a ♁ii ♀sata. c. ♌ C. C. rectif. Revertebatur tamen identidem dyſuria ad omnia rebellis, niſi quod enematibus, calidisque fotibus citius; quam internis remediis cederet. Verſus Octobrem poſt octidui a ſtranguria inducias, incidit puer in tuſſim, ac ſpirationem anheloſam, & poſt uſum aliquot expectorantium, inſcio Auctore, cœpit ſanguinem ſat copioſe exſpuere. Datis ocyus abſtergentibus, ac diſcutientibus ſputum cruentum deſiit, ſuperſtite tuſſi, & pectoris infarctu usque in Novembr. Tum vero denuo revertit ſtranguria, tuſſisque abiit. Reſumtis ergo iterum enematibus ecce prolectæ ſunt dejectiones cruentæ, ac purulentæ in aliquot continenter hebdomadas durantes, ita ut ſub quavis egeſtione puer cum ſtercore ſanguinem, ac pus excreverit; ſed ab hinc omnia deſiere ſymptomata, puerque ex toto convaluit. Iſchuriæ autem ex hæmorrhoidibus cæcis enatæ caſum haud vulgarem refert

J.

J. STORCH (*a*): vir 50 annis major euſarcus, ſanguineus, ſemper appetens, multoque abuſus vino, toleratam aliquamdiu circa hepar preſſionem ſublaturus poſt Vnæ. Snem. enema admiſit cum levamine, ab altero autem injecto, utut nec fervido, nec ano a cannula offenſo, ocyus hæmorrhoides obortæ ſunt cum inflammatione recti, ac protuberantibus tuberculis e livido albis, ac veluti pellucidis, urethra ſimul usque adeo tumente, ut nihil omnino lotii excerni poſſet. A data autem 4ta quaque hora ♁ris polichreſti Auctoris ℈ß ex aqua flor. tiliæ, æger poſtridie reddidit plurimum lotium admodum fuscum, cum levamine, & imminutione inflammationis, unde ſumtis porro 6ta quaque hora iisdem ♁bus, illitoque externe unguento Lithargyrii, æger ſub uſu cereviſiæ Naumburgenſis ſenſim convaluit. Perinde apud DE LA MOTTE (*b*) femina patiebatur ab hæmorrhoidibus alvi ſuppreſſionem, cum tridui iſchuria inſuperabili: donec indito non ſine doloribus cathetere novem ſcutellas plenas lotio excrevit, & enemate dein adhibito, alvum quoque poſuit. Alia quoque illius (*c*) gravida ex eadem cauſa in iſchuriam incidit, quam & RIEDLINI (*d*) mu-

(*a*) L. c. ann. 2. Januar. d. 4. Nro. 7. p. 30.

(*b*) Traité compl. des Accouchem. L. 1. C. 20. Obſ. 51. p 115.

(*c*) Vide §. 133. a)

(*d*) Ibidem.

mulier, & LEÜTHNERI (*a*) ſenex, & STÖRCKII (*b*), ac WEBERI (*c*) ægri inde nacti fuerunt.

§. XLVI.

15. COLOR *corporis* in hæmorrhoidariis, habitualibus præprimis conſideratione non indignus eſt; quippe qui ſingularis eſſe ſoleat. Nominavit, non determinavit eum GALENUS (d) ſcribens: „coloris in univerſo corpore „proprietas alia quidem per hepatis, alia vero „per ſplenis affectus apparet, ita ut doctum „medicum haud quaquam poſſit fallere, ſicut ne color quidem, quem hæmorrhoides „induxerunt.“ Sed quis ille? HIPPOCRATES (*e*) audiatur: „eos (inquit ille), qui per „ora venarum (*αἱμοῤῥοΐδας*) ſanguinem fundere ſunt ſoliti, ſi quis per hyemem liberaliore potu uſos, aut bene coloratos conſpiciat, „hic facile prædixerit ipſo vere erupturi ſanguinis magnam ſpem affore, adeo, ut ſub „æſtatem decolores, & aquoſi evadant.“ Sed iſtud magis ad plethoram hyeme collectam, æſtate vero ſublatam, quam ad hæmorrhoidalem

(*a*) Vide §. 96. c)
(*b*) Vide §. 32.
(*c*) Ibidem.
(*d*) De locis affectis. L. 1. C. 5.
(*e*) Prædict. L. 2. p. m. 83. ſq.

dalem ſanguinis dyſcraſiam referendum eſt; de iſta vero paulo inferius (*a*) agere videtur dicens: „quibus juvenibus diu coloris fæda-„tio ineſt; non tam continenter ad inſtar re-„gii morbi, ii viri, & feminæ capitis dolore „conflictantur, & lapides, ac terram edunt, „aut profluvium per ora venarum ſanguinem „fundere ſolita patiuntur, hæmorrhoidas Græ-„ci dicunt.“ Ex his non ambigue liquet, fœdum corporis colorem eundem hæmorrhoidariis tribui, qui in chloroticis obſervatur, nimirum e virore pallidum, aut gilvum; continuo enim ſubdit cous: „at colores cum „virore pallidi diuturni absque vehementi re-„gio morbo cetera quidem eadem facere ſo-„lent; verum præcordiorum dolores eos ma-„gis vexant, quam ceteros; neque tamen la-„pides, aut terram edunt. Qui vero diu pal-„lidi faciem habent tumidam, eos certum eſt, „aut capitis, aut viſcerum dolore laborare, „aut ſedem internam (inteſtinum rectum) quo-„dammodo male affectam eſſe. Magna autem „ex parte, ubi hæc adfuerint, non unum ali-„quod malum ineſſe videtur, ſed interdum „multa, aut etiam omnia.“ Clariſſime autem de hac re AVICENNA (*b*) „plurimum quidem „(ait) habentibus hæmorrhoidas adeſt color „proprius eis, & citrinitas declinans ad viri-dita-

(*a*) Ibidem p. m. 110.
(*b*) L. 3. Fen. 17. Cap. 2.

„ditatem" i. e. color ex virore gilvus: „id „quod in multis aliquando animadvertentes „ſolo hoc ſigno inducti eos hæmorrhoidibus „laborare pronunciavimus magno cum artis „honore" inquit P. FORESTUS (*a*) hujusmodi ſane colorem præſetulit ISENFLAMMI (*b*) ſenex, ac PEZOLDI (*c*) ſutor, & vix non eundem, nempe icteroden HOFFMANNUS (*d*) ſuo in viro obſervavit. *Ani color* etiam interdum eſt exquirendus: rubedo enim circum anum in moliminibus hæmorrhoidalibus quandoque viſitur, ut SALOMONIS (*e*) in muliere.

§. XLVII.

16. TUMORES varii in variis corporis locis ab anomalo ſanguinis hæmorrhoidalis motu, atque in alias partes decubitu, ut ſunt:

a) *Eryſipelas, phlegmone.* Femorum phlegmone ante fluxum cum aſthmate, huicque alterno pedum oedemate laboravit ALBRECHTI (*f*) vidua; roſam autem bullatam lævo

---

(*a*) L. c. Schol. ad Obſ. 5.

(*b*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. alb. §. 16.

(*c*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. veſicæ §. 13.

(*d*) Vide §. 100

(*e*) Vide §. 115. Nro. 1.

(*f*) Vide §. 119. Nro. 5.

lævo in pede ex anomalis hæmorrhoidum motibus nacta est SALOMONIS (*a*) mulier.

b) *Varicocele*, quam LEBENWALDTII (*b*) juvenis est adeptus, & C. GRAFFII, (*c*) nobilis ad 50. annos habens, sanguineo-cholericus, enterocele inguinis lævi laborans ab aliquot jam annis 19na Aprilis 1725 media nocte post brevem somnum correptus est lævi scroti dolorifico tumore duos viriles pugnos æquante, cum torminibus, ac vehementibus spasticis crurum motibus, quibus comes erat febrilis motus, cum rigore, æstu, sitique intensa in multum usque diem continuans: hæc 20ma Aprilis a meridie excepit alvi fluxus aliquot dierum, stercoreo-sanguineus, cum omnium modo dictorum symptomatum abolitione, solo scroti tumore superstite, at indolente: æger viribus pollens appetebat, & sine incommodo ambulabat; nisi quod ponderis adesset sensus. Accitus chyrurgus tumorem pro hernia incarcerata habens, per 3 septimanas cataplasmata, emplastra, fotusque emollientes, ac varia ligamenta admovet incassum, sine ulla tumoris diminutione. Maji 19na consultus Auctor non tam incarceratam herniam, cujus aberant solen-

(*a*) Vide §. 115. Nro. 1.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Acta. nat. cur. Vol. 2. Obs. 81.

ſolennia ſigna, quam herniam varicoſo-humoralem adeſſe ratus anomalis hæmorrhoidibus tribuendam, præbuit rheum, & diuretico-tonica; externe roborantia admovit: ab his evanido brevi tumore æger priſtinam recepit ſanitatem. J. STORCH (*a*) refert cholerico-phlegmaticum 52. annorum hæmorrhoides a vini potu nactum, Majo menſe 1728 dolentes earum protuberantias pati cœpiſſe cum diarrhæa pauca, ſed fere continua, & quaſi lienterica, cui 16ta Maji datum:

℞. M. P. BECCHER.
— — alterant āā ℈j. M. F. pil.
S. veſperi Nro. 10 vel 12. pro doſi. Porro.

℞. Tæ propr. MYNS.
♂. LUDOVIC. āā ʒij. M.
S. m. & v. gtt. 30. nec non.

℞. Summit: millefol. M. ij. D. pro infuſo hauriendo. Juni 6ta retulit, a pilulis teneſmum ſe paſſum; hac autem hebdomade varicem ſibi in ſcroto crepuiſſe, & ſanguinis inde minimum ℥jß fluxiſſe cum inſigni levamine. Monitus ergo ne Væ. Snes. æquinoctiales negligat.

c) *Bu-*

(*a*) L. c. ann. 6. d. 4. 579. ſq.

c) *Bubones* inguinales, quorum ab hæmorrhoidibus profectorum nonnisi tria exempla novi PEZOLDI (*a*) in sutore unum, alterum in ejusdem (*b*) adolescente 14 annorum, qui ex caseo aliisque cibis frigidis ac dyspeptis nactus est hæmorrhoidum fluxum cum colore totius corporis fusco, puncturis pectoris, torminibus, ac tumore bubonum, idoneis tamen remediis omnia sublata sunt. Tertium est in J. D. GOHLII (*c*) juvene ad 30. annos nato cholerico-sanguineo, ac venerem perdite sectante, qui a patre perquam podagrico progenitus, ac prima jam in juventute arthriticus, 17ma Maji 1721. recte valens, post prophilacticum purgans ira valida, iterataque excanduit, ac tertio post die secta dextri pedis vena, 5to die sudans, per octo inde dies bene habuit. Abhinc vero lancinans anum dolor invasit, ut æger nec pedem movere, nec tussire citra summum dolorem posset. Chirurgus ope speculi ani hæmorrhoidalem pustulam in dextra intestini recti parte inventam fotu molli, balsamoque externo una cum inguinali tuberculo discussit. Inde ægro ob alvum liberam a 6ta ad 12mam Junii bene valenti deinceps hæmorrhoidalis pustula renata est, summo cum ardore. Secta idcirco lævi pedis

---

(*a*) Vide histor. hæmorrhoid. vesicæ §. 13.

(*b*) Obs. med. chir. 29.

(*c*) L. c. Dec. 2. Vol. 1. Sect. 2. p. 76. sqq.

pedis vena dat chirurgus vinum catharticum ex antiſcorbuticis, & antivenereis, ſubjungitque perperam remedium ſtimulans ex ♌ C. C. ſucc. ⊖ oleos. MYNS. āā ʒij. eſſ. lign. ℥ß. ♎ ⊖* ʒiij. M. pro uſu nocturno ad gtt. 45. A vino varix hæmorrhoidalis plus tumuit, & a quavis dejectione dolor in ano, ſimilis clavo infixo, obortus eſt, cum impotentia ſedendi, ambulandi, decumbendi, ipſosque flatus emittendi, quorum retentio dolores teſticuli, & urethræ cauſavit. Datis autem temperantibus, & ſale Epſomenſi, pro libera alvo, turbæ iterum quievere, morbus autem hæmorrhoidalis evaſit periodicus, a difficili præſertim alvo recrudeſcens. Cum vero ſub ordinata diæta interne temperantia, & externe emollientia cum diſcutientibus non magnopere prodeſſent, hirudines pacatis in intervallis ano admotæ plurimum levabant. Sed æger intemperans melius habens, cum ocyus genio, vinoque indulgeret, recidivam patiebatur, cum ſero a vulnuſculis denuo tumidis exſudante. Admota ▽a arquebuſade cum levamine, & cum alvus nec ⊖i Epſomenſi, nec jalappæ reſinæ ppt. ad gr. x obediret, hirudines alterum cum euphoria admotæ, & ab hinc Væ. Sne. in brachio ſubjuncta, tum ſemicupium imperatum in declinatione morbi. Sed a gravi ira novi os ſacrum, & coccygis dolores ad femur excurrentes invaſere; queis etiam brevi ſopitis, æger ad ſolita munia rediit. Poſt annum tamen pulmonali phthiſi periit. Credebat GOHLIUS negante licet

ægro

ægro, nullisque ſyphilitidis ſymptomatibus præſentibus tuberculum eſſe inguinale, eſſe venereum; quod tamen nil niſi hæmorrhoidales infarctus pro cauſa habuit.

CAPUT VI.

PHAENOMENA VARICUM, ET FLUXUS HAEMORRHOIDALIS.

§. XLVIII.

I. TUBERCULA *hæmorrhoidalia* ſuis in phænomenis, puta: numero, magnitudine, figura, maſſa, ac ſenſilitate, magnam exhibent varietatem, tironibus ſcitu neceſſariam. Enim vero

1. *Magnitudo* illorum piſum alias, alias fabam, nucem avellanam, juglandemve, alias ovum, pomum, pugnum &c. æquat: generatim fere id tenendum eſt, varices hæmorrhoidum internarum præ externis majoris eſſe voluminis capaces, ob tunicæ a tegumentis, qua externæ præditæ ſunt, defectum; hæc enim vaſorum hæmorrhoidalium externorum dilatationi ſemper obſtat. Si per exempla rem luſtrare libet, videre erit varices has piſum grandes fuiſſe, quas viderunt HEISTE-

RUS

RUS (*a*) ac THEDEN (*b*): cerafis illas, acinisque æquales LEDRAN (*c*) repertas refert; avellanam magnas confpicati funt BRAMBILLA (*d*), HEISTER (*e*), GOCKELIUS (*f*), HOFFMANNUS (*g*), THEDEN (*h*), nucleo olivæ STAHLIUS (*i*), juglandi nuci BRAMBILLA (*k*), HEISTER (*l*), HORSTIUS (*m*), dimidium digitum longæ, unum latæ in OVELGÜNII (*n*) viro erant; ovo gallinæ æquales vidit BRAMBILLA (*o*), pugno dimidio THEDEN (*p*); integro BLEGNY (*q*), ac SCHMUCKER (*r*), & apud M. ETTMÜLLERUM (*s*) refert „LINDA„NUS in collegio M. S. fuper HARTMANNUM „fe obfervaffe hæmorrhoides cæcas in tantum „tumorem auctas, ut pugni inftar extra anum „foras prominerent."

2. *Nu-*

(*a*) Vide §. 49. Nro. 3.
(*b*) Vide §. 117. β. (*c*) Ibidem.
(*d*) Abhandl. von der Phlegmone. 2. Th. 6. Cap. 2. Bed. p. 144. 151.
(*e*) Vide §. 84. b)
(*f*) Vide §. 119. Nro. 3.
(*g*) Vide §. 21. (*h*) Vide §. 117. β.
(*i*) Vide §. 27. c) (*k*) L. c. p. 147.
(*l*) Vide §. 131. Nro. 7. (*m*) Vide §. 20.
(*n*) Vide §. 135. (*o*) L. c. 149.
(*p*) Vide §. 117. β. (*q*) Vide §. 131. Nro. 1.
(*r*) Vide §. 117. β. (*s*) L. c. p. 144.

2. *Numerus* quoque varicum est varius unicam GOHLII (*a*) juvenis, aliique multi nacti sunt, duas BRAMBILLÆ Procenturio (*b*) ac Procolonellus, (*c*) tres alius ejusdem (*d*) Procolonellus, 5. 6. L. E. DRANII (*e*) ægri. Aliquando numerus, ne iniri quidem potest, dum varices altius intra intestinum latent. Unde LUDWIG: (*f*) „stasis autem sanguinis in his venis oriunda efficit tumores in-„terdum pisi magnitudine, atque etiam ma-„jores (nam vidi nonnullos, qui ad ovi colum-„bini, quin etiam gallinacei excrescerent,) „modo duros, modo molliores, latius accres-„centes, vel ex tenui pedunculo hærentes, „pinquedine item cinctos, vel liberos, ut „vel hac ex causa vasa in ramis producta va-„ricosa non solum externe sed magis interne „ad tractum intestini recti ascendant, & in-„terdum ad coli finem se extendant.“

3. *Figura* perinde non omnibus una est, variaque ab ista iis indita nomina, quemadmodum superius (*g*) jam pluribus dictum.

4. *Reni-*

(*a*) Vide §. 47. c)
(*b*) L. c. p. 147.
(*c*) Ibidem p. 151.
(*d*) Ibidem p. 144.
(*e*) Vide §. 117. β.
(*f*) L. c. p. 392.
(*g*) Vide §. 6. B. Nro. 2. a) α. β. γ. δ. ε.

4. *Renitentia* etiam alia, atque alia tactu percipitur; namque varices aliquando moles sunt, digitoque compressæ pene evanescunt, dum nempe recentes non ad crepaturam usque repletæ, nec inflammatæ sanguinem fluxilem continent, internæ præsertim dictæ; duræ alias sunt e nimia repletione, sanguine spisso, coacto vel phlogistico, vel atrabiliario, vel grumoso refertæ, aut ex inflammatione contensæ, inprimis externæ, ob cutim investientem: vel ob vetustatem callosas tunicas adeptæ.

5 *Sensus* porro varicibus hæmorrhoidalibus varius inesse solet, prout hæ nempe vel turgentes vel tumentes furentesve sunt, (*a*) ita ut alias tensio tantummodo, alias vero dolor variæ intensitatis, velut in RAIMANNI (*b*) viro SEVERINI (*c*) Icterico, &c. percipiatur.

6. *Exsudatio* etiam quandoque olidi inde seri contingere observatur, quemadmodum in GOHLII (*d*) juvene, ac HEISTERI (*e*) quadragenario. Pusne, an modo dictum serum fuit, quod D. C. SCHOBINGER apud A. HALLERUM

(*a*) Vide §. 6. B. Nro. 2. b) α. β.
(*b*) Vide §. 109. b)
(*c*) Ibidem.
(*d*) Vide §. 47. c)
(*e*) Vide §. 131. Nro. 7.

LERUM (*d*) ſimili in caſu ab ſe viſum ſcribit? „pus (vidit) in hæmorrhoidario & crebris „alvi prolapſibus laborante ex extremo inteſ- „tino recto undique exſudans, hos prolapſus „inflammatos reſolvens, & ſedans ſine ulla ul- „ceris, aut fiſtulæ ſuſpicione. Acerrime in rem „inquiſivi, (ait) & certus ſum hoc pus ex „vaſis inflammatis tranſſudare, ſine ſubſtantiæ „læſione; nec ex cavea inteſtini venire itidem „certus in hoc exemplo ſum." Videtur ſane hæc exſudatio ab ipſo ani prolapſu fuiſſe cauſata, veluti in OVELGÜNII (*b*) ſene ſe res habuit.

§. XLIX.

II. FLUXUS *hæmorrhoidalis* tria præprimis notatu digna exhibet phænomena, nimirum humorem excretum, ejus copiam, excernendique tempora.

1. *Humor* qui ex hæmorrhoidalibus vaſis excerni ſolet, eſt triplicis generis:

a) *Sanguis*, atque is variæ indolis, prout nempe ex arteriis (ſi unquam ab his erumpit) vel venis, hiſque aut hæmorrhoidalibus externis, aut internis profluit. Qui ex arteriis prodiit, fluidior, tenuiorque eſt, ac

---

(*a*) Epiſtolar. ab eruditis viris ad A. HALLERUM ſcriptar. Tom. 5. Epiſt. 2. 13. p. 185.

(*b*) Vide §. 135.

ac magis rubet contra ea craſſus, ac nigricans venoſus eſt, præſertim qui ab externis hæmorrhoidalibus venis ſcaturit; ex internis enim & fluidior, & rubicundus magis profluere obſervatur. Hinc multi e ſanguinis colore, & conſiſtentia ejus ortum, effectusque determinare conſueverunt; quamvis id non ſemper citra errorem fieri queat. (*a*) Subinde grumoſus primum, deinde fluidus prodit ſanguis, velut in BEHRII (*b*) adoleſcente, & ERNESTII (*c*) muliere. Mirum autem, unde hic ingentes quandoque grumi? In feminis ſimiles ſæpe poſt lochia, vel menſtrua aliquamdiu ſuppreſſa obſervantur; ſed horum ratio facilis ex ſtagnatione in utero; num idem in recto inteſtino accidere poteſt? Hinc & R. LENTILIUS (*d*) „mirum . . . (inquit,) „ſanguinem hæmorrhoidalem in fruſta pugni magnitudine concreſcere poſſe, dum ſupprimuntur, quod in Paſtore quodam plus „vice ſimplici me vidiſſe recordor; ſiquidem „arteriæ hæmorrhoidales extenſionis tantæ „capaces nullatenus videntur, & alia cavitas „deſit: nam neque cæcæ hæmorrhoides in „tantos tumores excreſcunt. Id enim obſervatum velim nullo vel ante, vel in egeſtione „iſtius ſanguinis dolore notabili Paſtorem il-„lum

(*a*) Vide §. 50. C.
(*b*) Vide §. 15
(*c*) Vide §. 55. Nro. 9. a)
(*d*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 9. Obſ. 124.

„lum fuiſſe cruciatum." Hisce vero non minus mirum eſt, ſanguinem excretum interdum eſſe acerrimum, qualis in PEZOLDI (*a*) equite eſt obſervatus, ut qui cutem, quam attigit, papyrumque eroſerit: haud enim veri eſt ſimile, reliquum etiam omnem ſanguinem ejuſdem fuiſſe cauſticitatis; ſecus tenerrimis encephali, aliarumque partium ſtaminibus non peperciſſet, graviſſimasque paſſim in corpore produxiſſet noxas.

b) *Mucus* albus, interdum ſtriis ſanguineis interſtinctus. Hic aliquando ſanguineum fluxum præcedit, ita ut primo dejectiones mucoſæ accidant, poſtmodo vero ſanguis ipſe erumpat, ut in BEHRII (*b*) Principe; aliquando autem ſolus mucus, quin ulla ſanguinis excretio ex hæmorrhoidalibus vaſis conſequatur, alvo egeritur, atque tunc morbus *hæmorrhoides albæ* audit, de quo ſeorſim (*c*) agetur.

c) *Pus*, *ſanies*, *ichor*, ubi hæmorrhoides inflammatæ in ſuppurationem, abeunt at ichor ne; aut ſerum potius vitioſum fuerit, quod G. H. VELSCHIUS (*d*) in religioſo alias

(*a*) Vide § 59. b)
(*b*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. albar. §. 4. Nro. 4.
(*c*) Vide Ibidem §. 1. &. 2. II. B. Nro. 1. a)
(*d*) Vide §. 71. β. §. 131. Nro. 17.

alias, alias nobili in viro prodiisse refert, merito ambigas.

2. *Quantitas* sanguinis effluentis admodum variat; alias enim justo est parcior, justa alias, alias etiam profusa, ac debilitans. Postremo autem in casu duplici id ratione evenire assolet, videlicet, dum vel simul, ac semel intra breve tempus multus sanguis impetuose erumpit, vel partitis quidem; at multis omnino vicibus longum in tempus Hæmorrhois fluit rarius primum; posterius autem est frequentius. (*a*) Operæ autem pretium me facturum censui, si utriusque generis exempla lectori uno quasi obtutu ob oculos sisterem. Enim vero

FISCHERI (*b*) puer quavis sub alvi egestione excrevit sanguinis . Cochl. j.
BEHRII (*c*) adolescens . . ℥iij.
I. RHODIUS. (*d*) „Patavii A. „1628 clericorum regularium mini„strum novit, cui supra 10 jam an„num per hæmorrhoides quotidie „sanguinis fere . . . . ℥jv. „manabant, sine labe viscerum, aut „fa-

(*a*) ALBERTI. diss. de hæmorrhoidib. excedentib. §. 10. Tract. de hæmorrhoidib. P. I. p. 193.
(*b*) Vide §. 15.
(*c*) Ibidem
(*d*) Obs. med. Cent. 2. Obs. 93.

„facultatis naturalis debilitate. Mu-
„lier ibidem suppressis menstruis 4.
„menses integro ultra . . . . ℥jv.
„sanguinis excrevit quotidie per hæ-
„morrhoides, adeoque hoc temporis
„spatio libras unde triginta; . . ℔xxjx.
„imo fluxu ad horam saltem cessante
„mox in animi deliquium incidit."
FERDINANDII (*a*) puella toto Ap-
rili cum alvo semper sanguinis eges-
sit plus minus . . . . ℔ β.
LANZONII (*b*) sacerdos quotidie ad ℔ j.
POMMEI (c) civis per mensem quo-
tidie . . . . ℔ j.
CORNARII (*d*) nobilis intra 4. dies ℔ vj.
GULLMANNI (*e*) mercator intra 18.
dies . . . . ℔xxjv.
MONTANUS referente H. SCHWEVCHE-
RO. (*f*) „ait vidisse se . . . labo-
„rantem hæmorrhoidibus, cui quoti-
„die effluerent (sanguinis) . . ℔ij.
„& amplius idque per 45. dies, nec
„unquam constrinxisse & curatum esse."

D. PA-

(*a*) Vide §. 25.
(*b*) Consult. med. 97. opp. T. 2. p. 203.
(*c*) Vide §. 133. b)
(*d*) Vide §. 95. d)
(*e*) Vide §. 53. III. B. Nro. 1. d)
(*f*) Append. Censilior. MONTANI edit. Basileæ 1583. circa finem p. 59.

D. PANAROLI (*a*) „nobilis Hiſpanus „quotidie . . . . ℔j. „ſanguinis 4. ab hinc annis per hæ„morrhoidales venas excrevit, op„timaque fruitur valetudine. Con„ſideres, unde quantitas tanta er„rumpere poſſit, cum usque ad hanc „diem plus quam mille libræ ſangui„nis fluxæ ſint.“ MÜLLERI (*b*) faber intra breve tempus excrevit ſanguinis . . . . *Cantharum*
C. RAYGER (*c*) homines „ipſe vidit „qui in una ſeſſione ad ½ ℔ ſangui„nis, idque vel ter in die, amiſere, „ſed cum notabili virium dejectione, „& niſi legitimo modo fuiſſet ſup„preſſus enormis hic fluxus, vix ad „aliquot dies ſuffeciſſent. Recordor „cujusdam . . . viri . . . cui non in„frequens erat ultra . . . . . ℔ij. „quandoque una die excernere, ſed „cum magna virium proſtratione, ne„que tamen cito ſiſti debuit hic fluxus, „ſtatim enim ſanguis regurgitavit ad „pectus, & hæmoptyſin introduxit . . . „Mærore animi (demum) confec„tus obiit.“

G. HAR-

(*a*) Obſ. med. Pentec. 2. Obſ. 46. p. 109.
(*b*) Vide §. 26. b) *a*.
(*c*) Scol. ad P. SPINDLERI obſ. med. 44. p. 77.

G. HARRISII (*a*) vidua intra ½ noctem excrevit ſanguinem ad . . . ℔ jv.
BORELLI (*b*) ſartor ad . . . ℔ x.
SPINDERI (*c*) figulus per diem . ℔ xij. xjv.
HOFFMANNI (*d*) vidua nycthemero plus . . . . ℔ xx.
SMETII (*e*) vir per 1. ½ diem ultra ℔ xxx.
PEZOLDI (*f* Eques aſſiduo fluxu ad ℔ LXjv. ſanguinis egeſſit. His adde virum HAENII (*g*) duosque ægros apud DE LA METTRIE, (*h*) qui perinde inſignem ſanguinis vim ano excrevere.

3. *Tempora* denique, quibus hæmorrhoides fluere aſſolent, etſi non ſemper æqualibus intervallis diſjuncta ſint, nihilo tamen minus in morbo habituali, ac regulari ut plurimum ſtatis temporibus fluxus reverti ſolet. Nonnullis hæmorrhoides nonniſi quovis vel anno, vel ſemeſtri; idque ut plurimum vere, & autumno, referatur, aliis 3tio quovis menſe; plurimis omni menſe catameniorum inſtar, quibusdam vero fluxus omni heb-

(*a*) Vide §. 128. Nro. 5. a)
(*b*) Vide §. 88.
(*c*) Vide §. 119. Nro. 4.
(*d*) Ibidem Nro. 5.
(*e*) Ibidem Nro. 4.
(*f*) Vide §. 59. b).
(*g*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*h*) Vide §. 91. Nro. 191. a.

hebdomade accidit. STAHLIUS (*a*) diversarum periodorum sequentem adstruit causam: „internarum hæmorrhoidum (inquit) sæpe fere est menstruus circuitus, in ipsis maxime „viris, aut sane freqentiora inde pathemata, „si vel e quantitate sanguinis (universali, aut „partiali circa venam portæ) vel assuefacto „jam hoc motu occasio præcesserit . . . . „Externarum magis fere vernæ, & autumnales sunt commotiones, & ob exitum impeditiorem e longe paucioribus, & tenuioribus vasculis longe tardiores etiam successus." At hæc nondum ex asse sunt evicta. Nos dubiis ratiociniis in medio relictis ad certa nos observata conferamus. Quidam H. SMETII (*b*) adolescens ab aliquot jam annis semper circa ver hæmorrhoidum fluxum nanciscebatur, quod ipsum P. I. SCHENFELDERI (*c*) canonico, ac STEGMANNI (*d*) civi non vere modo; sed & autumno accidit, & apud M. ALBERTI (*e*) puer decennis jam a biennio verno, æstivoque tempore quovis mense tridui semper hæmorrhoidum fluxum, præeuntibus illi doloribus colicis, expertus est. R. I. FORTIS (*δ*) refert Regio cuidam consiliario

(*a*) Diss. cit. Cap. 6. p. 17.

(*b*) Miscell. med Lib. 10. p. 529. sq.

(*c*) Histor. enarrat. med. histor. 12. p. 45.

(*d*) Vide §. 60.

(*e*) Vide §. 15.

(*δ*) l. c. Cent. 2. Cons. 69. p. 257.

liario hunc fluxum nonnisi 3tio, aut 4to mense venisse cum levamine; induciis tamen subinde totius anni datis. Aliis (quod frequentissimum est) toto anno singulis mensibus fluxus hic revertitur. Sic apud T. BARTHOLINUM (*a*) „famulo . . . mercatoris Hafniensis singulis mensibus ordinato fluxu sanguis per inferiora expurgatur.“ Perinde A. ZIMARA (*b*) „novit quemdam qui singulis mensibus sanguinem hæmorrhoidalem patiebatur, & erat jam octuagenarius.“ Haud secius E. HAGENDORNIO (*c*) „faber quidam murarius sexagenarius . . . retulit, sibi ab anno ætatis 20mo. ad 60um. usque singulis mensibus fluxisse hæmorrhoides . . . cum addito, se pariter instante fluxu hoc paria cum femellis experiri simptomata, imo diutius fluere volentes iisdem sopiri, quibus mulierum menstrua remediis. Qui ipse per multos annos inde pallidus, macilentus, difficulterque respirans tandem phthisi obiit.“ Sic & I. JUNCKERUS (*d*) meminit viri, plures per annos die cujusvis mensis præcise 18vo. hæmorrhoides experti, non obstante impari in mensibus numero dierum. Novit etiam

(*a*) Histor. anat. rar. Cent. 5. histor. 33.

(*b*) Apud. M. DONAT. de medic. histor. mirab. L. 4. C. 19. P. m. 231.

(*c*) Hist. med. phys. Cent. 2. histor. 34.

(*d*) Compend. med. theor. pract. Tab. 11. p. 67. & Diss. de Dysent. Pannonica (4to. Halæ 1732. Resp. I. C. SEYFFERT) §. 7. p. 13.

etiam I. SCHULTZIUS (*a*) medicum ingeniosum, fuſcum, capillis nigris, cui a 18vo anno hæmorrhoides quovis menſe per aliquot dies fluebant cum euphoria; ſin vero aut parcius, aut nullatenus aliquando fluxiſſent, male valebat. Et paulo poſt (*b*) „habitabat „(addit) . . . in horto meo . . . ſenex qui„dam octuagenario major, ſed robuſtus & „ſalaciſſimus, ex corbium firpandorum opi„ficio victum quærens, qui a prima ſtatim „juventute ad prædictam ætatem fluxum hæ„morrhoidum patitur, & quidem quovis „menſe cum maximis dorſi doloribus, & „ventris torminibus ordinarie, & uberrime „redeuntem. Apud ipſum ſocer ejus com„moratur mendicando vitam ſuſtentans nona„genario major, cui idem ab ipſa quoque „juventute hucuſque menſtruatim contingit.“ Apud H. SMETIUM (*c*) „litterato juveni ab „anno ætatis 22do hæmorrhoides ſingulis „menſibus, ſtatisque diebus jam per trien„nium fluebant.“ Perinde I. G. SOMMERI (*d*) „vir . . . temperamento ſanguineo-me„lancholico anno ætatis ſuæ 20mo. . . . pri„mum paſſus eſt fluxum hæmorrhoidum, quem „natura ex eo tempore uſque in præſens quo„libet menſe ſtato tempore repetiit, quam„vis

(*a*) Miſc nat Cur dec. 1. ann. 4. Obſ. 44.

(*b*) Ibidem obſ 69.

(*c*) L. c. p. 547.

(*d*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 3. Obſ. 108.

„vis hoc naturæ beneficio . . . nunc ſexa-„genarius paulo partius fruatur . . . Quoties „hæmorrhoides tributum ſuum ratione quan-„titatis aut temporis moræ non rite perſol-„vunt, toties actiones naturæ principes „hinc inde turbatæ labaſcunt, nimirum ſub „hoc ſanguinis ο'ϱγασμῷ calor quidam p. n. alvi „obſtructio, cordis anguſtia, hypochondrio-„rum inflatio cum totius corporis & animi „languore oritur, quoties autem hic fluxus „reſtituitur, toties etiam diſparent omnia „ſymptomata. Ceteroquin hos 40 annos . . . „in tolerabili ſanitatis ſtatu tranſegit. No-„minat etiam alium virum . . . qui eandem „cum ipſo fortunam hoc in paſſu fuerit ex-„pertus, vegeta ſenectute felicem." Deni-que I. M. MÜLLERUS (*a*) „cum uxoris cata-„meniis (inquit) ſingulis 4. hebdomadibus, inci-„pientibus & deſinentibus maritus civis hujus „loci eodem tempore aliquoties per octiduum „ante annum hæmorrhoidali laboravit fluxu." Et C. F. PAULLINI (*b*) „primarius (ait) vir ... „dixit . . . ſe toties, quoties conjux ejus „fluxum menſtruum ordinarie habebat, pati „fluxum hæmorrhoidum, eadem quaſi hora, „& die cum fluxu muliebri incipientem at non „deſinentem. Menſtruum perinde hæmorr-hoi-

---

(*a*) Ibidem. Cent. 10. Obſ. 68.

(*b*) Ibidem. dec. 2. ann. 5. append. Nro. I. Obſ. 80. p. 52. & de nuce moſchat. Sect. 2. Part 3. membr. 2. cap. 9. §. 5. p. 525.

„hoidum fluxum habuit mulier KOELICHENII „(*a*) puella BERDOTI, (*b*) propola AMATI, „(*c*) tum puer SCHLIERBACHII, (*d*) Eques PEZOLDI (*e*) ac faber I. L. HANNEMANNI, (*f*) qui instantem suum fluxum semper præsentiebat. In feminis quandoque fluxus hæmorrhoidalis cum catameniis alternat. Sic I. DOLÆUS (*g*) „nos (inquit) in Principissa „Nassovica quadam juniore observamus flu-„xum menstruum novilunio fluentem una cum „fluxu hæmorrhoidum plenilunio fluente.„ C. F. GARMANNO (*h*) „femina gracilioris „habitus, gibbosa ad 50um. vergens . . . „ante mortem . . . naravit, se quovis ple-„nilunio menstrua, novilunio autem hæmorr-„hoidali fluxu laborasse sine notabili virium de-„jectione; cumque mater fuerit multorum libe-„rorum, ingravidatione facta etiam cum men-„struis hæmorrhoides cessasse." Apud C. F. PAULLINI (*i*) „Uxor . . . militis, annorum 28. „intra novi — & plenilunium 3bus 4tuorve die-„bus fluxum habebat menstruum ordinarie, & satis

---

(*a*) Vide §. 90.
(*b*) Vide §. 53. III. B. Nro. 2.
(*c*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*d*) Vide §. 56.
(*e*) Vide §. 59. b)
(*f*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. I. Obs. 70.
(*g*) Encyclop. med. L. 3. C. 10. §. 1.
(*h*) Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 4. annalect. p. 299.
(*i*) De nuce Moschat l. c. §. 4.

„ſatis copioſe; intra plenilunium poſtea uſque „ad novilunium continuo fere (omni puta „die) fluxere hæmorrhoides, & ſic alterna- „tim ad 7um uſque menſem viribus adhuc „robuſtis. Lapſa dein in Viſurgim ex ter- „rore menſes ſenſit ſuppreſſos; fluxu vero „hæmorrhoidum largiori ſequente, qui tan- „dem ſponte ſua ſubſtitit.“ Meminit etiam I. STORCH (*a*) mulieris 30 annorum, cho- lerico - melancholicæ, patre hæmorrhoidario prognatæ, cui jam ab aliquot annis hæmorr- hoidum fluxus cum catameniis alternabat non ſine junctis multis torminibus. Simi- lem quoque horum duorum fluxuum alterna- tionem in Ill. quadam femina obtinuiſſe re- fert ALBERTI, (*b*) & I. S. CARLII (*c*) matrona ad 40ta annos habens, ſanguineo - cholerica, ſenſibilior, laute vivens ac ſteri- lis, ſtatis, certisque lunæ quadris larga ca- tamenia, & hæmorrhoides fluentes patieba- tur. Ad has periodice fluentes hæmorrhoi- des adjungi poterunt cæcæ etiam periodice reverti ſolitæ, quas VANDERMONDII (*d*) æger quovis menſe perpetiebatur: haud ſecius L. HEISTERI (*e*) militi ſingulis menſibus enas- ceban-

(*a*) Obſerv. clin ann. 2. April. d. 2. Nro. 4. p. 159.

(*b*) Diſſ. de hæmorrhoidib. juniorum. §. 4. p. 18.

(*c*) Acta nat. cur. Vol. 4. Obſ. 83.

(*d*) Vide §. 96. d)

(*e*) Medic. chirurg. u. anatom. Warnehm. 2. Band. 5. Wahrnehm.

cebantur in recto inteſtino hæmorrhoidalia tubercula, piſum magna, multis cum doloribus, at ſine ullo ſanguinis ſecuto profluvio.

CAPUT VII.

DIAGNOSIS.

§. L.

I. ABSOLUTA, quæ morbum hæmorrhoidalem præſentem detegit. Cum autem hujus triplex eſſe ſoleat ſtatus, nimirum vel molimina ingruentis morbi, vel tumores varicoſi citra fluxum i. e. cæcæ hæmorrhoides, vel denique fluxus ipſe, clarum eſt, diſtinctam ſingulorum horum trium ſtatuum notionem eſſe habendam.

A. *Moliminum hæmorrhoidalium* diagnoſis plurimum involvit difficultatis, quandoquidem nullum dum pathognomicum ſignum illorum tenemus; collatis tamen ad ſe mutuo omnibus, quæ hic occurrere ſolent, ſignis, non uſque adeo difficile erit ſagaci practico moliminum horum detegere præſentiam, quam in primis arguunt.

1. *Cauſæ* prægreſſæ (*a*) rite cognitæ, ac vel maxime temperies morbi hujus capax hereditaria

---

(*a*) Vide §. 10, ſqq. 19. ſqq.

ditaria labes, atra bilis præſens, alvus ſegnis, ac laborioſe egerenda, aloeticorum prægreſſus uſus, & crebræ in juniori ætate narium hæmorrhagiæ, &c. His autem cohærere ſolent.

2. *Symptomata* hæmorrhoidalibus motibus maxime ſolennia (*a*) jam plura, jam pauciora, ut ſunt, vertigo, dolores dorſi, lumborumve, aut coxarum, ani; teneſmi, &c. præprimis, ſi (quod probe notandum) nulla alia manifeſta horum ſymptomatum cauſa ſolicita indagine inſtituta reperiatur. Quod autem nonnulli hic pro pathognomico ſigno vel colorem icteroden, (*b*) vel vertiginem cum dolore capitis, lumborumve junctam haberi velint, etiam, atque etiam miror; ſiquidem utrumque hoc ſymptoma nec omni nec ſoli hæmorrhoidali morbo convenit, ut ex centenis hujuſce operis hiſtoriis colligitur, & ſua quiſque in praxi eſt experturus.

3. *Reverſiones*, & exacerbationes moliminum hæmorrhoidalium vel maxime circa æquinoctia, ac ſolſtitia, earumque præpeditio per curationem antihæmorrhoidalem paulo ante adhibitam.

B. *Cæcarum hæmorrhoidum* diagnoſis multo eſt expeditior, in primis.

1. *Ex-*

(*a*) Vide §. 31. ſqq.
(*b*) Vide §. 46.

1. *Externarum*, quoad ſitum ita dictarum, quas viſus, tactusque continuo detegit.

2. *Internarum* autem, quæ intra anum delitescunt, præſentiam prodit vel digitus ano inditus, vel ani ſpeculum applicatum, vel denique prolapſus inteſtini recti, ſive ſpontaneus ſive arte effectus: unde FORESTUS (*a*) „internæ (ait) latentes quidem oculis cerni non poſſunt, niſi deſcendente ano, „aut immiſſo ſpelo. Quaquidem in re, antiquis placuit, ut ſedes everteretur, inuſitatum, nec ita tutum remedium noſtris „temporibus: neque magis tutum mihi videtur illud RHASIS conſilium, qui . . . „jubet apponere ventoſam ſupra anum ut ſic „contemplari poſſent.“ Iſthæc autem artificia nonniſi vicinas ano varices detegunt; „ſi autem interna vaſa hæmorrhoidalia ab „orificio ani pauliſper remota ita affecta ſint „(quod tamen rarius contingere ſolet) ex „dolore tum alias, tum ſi feces ad exitum „pergant, ubi magis exquiſitus redditur, deprehendi poteſt.“ Notante I. A. WEDELIO. (*b*)

C. *Flu-*

(*a*) L. c.

(*b*) Diff. de hæmorrhoidib. cæcis (4to. Jenæ 1732. Reſp. I. DIELERO) §. 22. p. 12.

C. *Fluxus hæmorrhoidalis* denique diagnoſis non tam abſoluta, utpote ſolo viſu obtinenda, quam relativa potius, quam paulo poſt daturi ſumus, eſt neceſſaria.

§. LI.

II. RELATIVA porro diagnoſis eſt, quæ non modo varia morbi hæmorrhoidalis genera ab ſe invicem diſcernit, ſed illum quoque ab aliis quibusvis analogis morbis dignoſci docet.

A. *Generum* hæmorrhoidalis morbi diſcrimen in eo vel maxime verſatur, ut primum hæmorrhoides internæ ab externis, dein tumentes a turgentibus, tum criticæ a ſymptomaticis rite dignoſcantur.

1. *Externæ*, *internæ* ne ſint hæmorrhoides (i. e. ad iliacane vaſa, vel venam portæ referendæ,) ſequentibus id indiciis obtineri poſſe nonnulli exiſtimarunt.

a) *Sedes* varicum, ac *ſcaturigo* fluxus. Internæ enim intra anum, externæ vero extra eundem ſitæ eſſe cenſentur: ſi ergo vel varices intra anum reperiantur, vel ſanguis inde ſcaturire obſervetur, uterque hic ſtatus ad internas referri ſolet hæmorrhoides; & contra. Sed nihil huic ob-

ſervationi A. HÆN (*a*) deferri vult; nec abs re: namque „accuratiſſimum WINSLOW in „diſſecandis cadaveribus ſecuti convincimur, „(inquit) facile inanitatis illius diſtinctionis, „qua ab externis hæmorrhoidalibus vaſis tam „ſcrupuloſe interna ſejunganius, & hinc va-„rium ſcopum practicum veluti dirigere anni-„tamur. Quippe & internæ arteriæ hæmorr-„hoidales ab hypogaſtricis ortæ, & externæ „dictæ a meſenterica inferiore oriundæ ita „usque ad recti finem pergunt, ut fluente in „recti margine hæmorrhoide nemo affirmet, „utrum ab hypogaſtricis ſanguis proſiliat, an „a meſentericis ramis; præterquam quod præ-„ter omnia hæc vaſa quæpiam arteria alia hæ-„morrhoidalis interna formetur a ramo illiaco „natium dicto, quæ licet interna ſit; tamen „non recti modo finem, ſed & musculos ani „pereptat.“ Videmus ergo, quam parum huic criterio tribuere liceat.

b) *Sanguinis indoles, & copia.* Inolita enim opinio fuit, ſanguinem e vaſis hæmorr-hoidalibus internis (i. e. ex venæ portæ ſy-ſtemate) erumpentem craſſum, piceumque eſſe; floridum contra, fluidumque, qui ab exter-nis hæmorrhoidibus (i. e. e venæ cavæ ſyſte-mate) eructatur. Porro cum interna vaſa hæ-morrhoïdalia & capaciora ſint, & integumen-tis

---

(*a*) L. c. Cap. I. §. II. p. 7.

tis communibus non coerceantur, uti coercentur externa, quæ multo etiam internis exiliora ſunt, contendit ALBERTI (*a*) fluxum ex internis, & facilius accidere, & uberiori ſimul copia, ita ut immodicus hæmorrhoidum fluxus ſemper ad vaſa interna hæmorrhoidalia ſit referendus; quando quidem ab externis vaſis nunquam copioſus oritur fluxus, niſi externa illum vis adhibita produxerit v. g. dum iis admodum tumentibus aut magnum ferro vulnus infertur, aut hirudines admotæ ac valide affixæ violente iterum avelluntur. Hinc canon foret: fluxum hæmorrhoidalem facile obortum, liberalem, ſanguinis craſſi, & nigri ad internas hæmorrhoides; difficulter autem ſuccedentem, ac parcum ſanguinis coccinei, ac fluidioris ad externas eſſe referendum. Verum neque hæc ita ſibi ſemper conſtant, ut vel plerumque; ne dum ſemper, ſic accidere dici poſſint, præſertim quantum ad colorem excreti ſanguinis attinet: cum .... conſtet, inquit J. C. FROMMANNUS (*b*) „ſanguinem quocunque in loco, adeoque ſive in porta, „ſive in cava vena fuerit, diutius conſtrictum „floridam amittere faciem, nigrumque induere „habitum; & ſi ſanguinis citra moram fiat e „porta ejaculatio, coloris gratia ſuperare „poſſe

---

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidibus excedentib. §. 7. 8. Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. p. 189. ſqq.

(*b*) L. c. P. I. Probl. 42. p. 179.

„posse eum, qui in cava moram trahit.“ Pluribus etiam vulgarem illam opinionem HÆNIUS (*a*) est aggressus, nimirum cum inter utrasque tam arterias; quam venas hæmorrhoidales mirabiles intercedant anastomoses, ita ut fluente ex internis dictis vasis sanguine contingat necessario eodem tempore depletio vasorum externorum, ac vicissim; eveniet quidem, si cetera utrinque fuerint paria, ut uberior fiat depletio v. g. systematis venæ portæ quam venæ cavæ, si fluxus oriatur ex ultima propagine venæ mesentericæ, aut lienalis; eo quod impetus columnæ sanguinis directius gravitet in illum, qui est ad vasis aperturam; quam in sanguinem systematis hypogastrici lateraliter tantum cum systemate altero communicantis. At subinde contrarium etiam evenire variis de causis potest, videlicet: „esse in causa spissitudo atrabiliarii cru-„oris potest, ut lente is motus vix apertura „transfluat, intereaque sanguis systematis hy-„pogastrici natura fluidior, qua data porta, „ruat: quam eandem ob rem atrabiliarius „homo consueto evacuationis hæmorrhoida-„lis effectu penitus caret. Quin & sanguis „ex propria arteria impetuosius ruens, ve-„namque propriam subiens superare nonnun-„quam potest tardiorem vim retrogradi san-„guinis venosi præ spissitudine vix exstillan-„tis

(*a*) L. c. §. 4. sqq.

„tis: Adeoque tunc arterioſus idem ſanguis „ex apertura effluet vix venoſo admiſtus. „Verbo quævis communicationes arteriarum, „venarumque utriusque hujus ſyſtematis effi- „cere poſſunt, ut nunc potius proſiliat flo- „ridus, immediate fere ex arteria profluens „ſanguis; alio tempore ex venis exeat pene „niger: & vice verſa ex venis floridior; ex „arteriis obſcurior, prout eſt major in uno; „quam altero in vaſe reſiſtentia. Imo non- „nunquam fluit directe ex ipſis arteriis ſan- „guis hæmorrhoidalis.“ Atque ſic ruit & alterum criterion.

c) *Effectus* quoque fluxus hæmorrhoidalis docere prætenditur, ad quænam vaſa ſit referendus; namque ſi hypochondriacus, maniacus &c. hoc fluxu levetur, ſanguis ex hæmorrhoidibus internis cenſetur fluxiſſe: ſin debilitet, quin ſymptomata alleviet, ab externis vaſis veniſſe arguitur. Contrarium autem obtinet in plethoricis, quos lædit fluxus e ſyſtemate venæ portæ; levat vero e venæ cavæ ſyſtemate proveniens (*a*). Sed ex ante dictis HAENII argumentis ne iſthæc quidem usque adeo certa ſunt, ut non fallant.

2. *Tumentes* a turgentibus dolor atrox, & ſymptomata inflammationis conjuncta ſa- tis

(*a*) Vide §. 5. a) Nro. 1. 2.

tis, ſuperque diſcernunt, ut ſuperius (*a*) dictum.

3. *Criticæ* a ſymptomaticis in eo præſertim ſunt diverſæ, ut ſupra (*b*) vidimus, quod morbo cuipiam ſupervenientes eum vel allevient, vel ex toto ſolvant; dum ſymptomaticæ eundem potius reddunt graviorem. Criticas autem fere hæmorrhoides præſagiunt, pollicenturque hæc:

a) Temperies atrabiliaria (*c*)

b) Morbi encephali, præprimis autem inſania (*d*)

c) Epidemiæ criſin hanc affectantis genius, ut alibi (*e*) vidimus,

d) habitualis hæmorrhoidum fluxus ſuppreſſus, functiones lædens.

e) Diſcuſſio vel moliminum hæmorrhoidalium vel tuberculorum nulla arte obtinenda.

f) Hæ-

(*a*) Vide §. 6. B. Nro. 2. b) α. β.
(*b*) Vide §. 8. Nro. 2. a. b.
(*c*) H. BOERHAAV. inſtitut. medic. §. 1235.
(*d*) Confer. §. 53. III. A. Nro. 2. a)
(*e*) Vide §. 32.

f) Hæmorrhagiæ aliæ periculosiores (ut hæmoptoe, mictus cruentus, &c.) ex anomalis hæmorrhoidum motibus, aut fluxu haud succedente enatæ, nullis præsidiis aliis tollendæ.

B. *Morborum* autem hæmorrhoidibus affinium, a quibus illas discernere oportet, præcipui sunt.

a) *Fluxus* rubri alii ex ano, scilicet

1. *Dysenteria* quam ab hæmorrhoidali fluxu distinquunt, notante P. FORESTO (*a*) vel maxime isthæc:

α. Tormina insignia dejectiones dysentericas nunquam non præcedunt, & comitantur, queis placidus hæmorrhoidalis fluxus moderatus caret.

β. Sanguis feci alvinæ mistus est in Dysenteria; non item in hæmorrhoidali fluxu, in quo stercus plerumque figuratum, vel pultaceum saltem egeritur, & sanguis vel ante, vel post stercoris egestionem excernitur, ita, ut idcirco superficiem tantummodo stercoris semper obsideat.

γ. Co-

(*a*) L. c.

γ. Copia ſanguinis hæmorrhoidalis eſt ſemper major; quam in egeſtionibus dyſentericis, imo ſubinde immodica.

δ. Exſtillat ſanguis hæmorrhoidalis ex ano, quod in dyſenteria non obſervatur. Unica tamen in hacce diagnoſi emergit difficultas, dum fluxui hæmorrhoidum complicatur torminoſa diarrhœa; tunc enim omnia fere dyſenteriæ ſymptomata adſunt, videlicet: ſanguis alvinis fecibus liquidis permiſtus, tormina, crebræ dejectiones, teneſmus, &c. In hujusmodi caſu J. JUNCKERUS (*a*) iſthoc ſtatuit criterion: „ſi eliminationem ſanguinis „dolorum aleviatio excipit, ſi denique, quo „plus ſanguinis egeritur, eo majori commo„do æger fruitur, tunc non dyſentericum; „ſed potius hæmorrhoidalem fluxum ... con„cludimus, in dyſenterica enim dejectione ſi „ſanguis purus, & quidem majori in quanti„tate ejicitur, plerumque ſummæ imminent „anguſtiæ, quæ brevi nonnunquam tempore „decumbentem cogunt, ut vitam cum morte „commutet.“ Reliquas differentias, quas inſuper Auctor enumerat; nempe dyſenteriæ contagium, autumnale tempus, hæmorrhoidumque reverſiones, tanti non eſſe, duo mox adducendi caſus a G. E. STAHLIO obſervati, abunde docebunt; horum in uno (*b*) „vir

(*a*) Diſſ. cit. l. c. p. 12.

(*b*) Diſſ. de dyſenteria (4. Halæ 1706. Reſp. I. H. HEILERSIEG) Cap. 3. p. 13. ſqq.

„vir juvenis 30 annos non multum excedens,
„ſatis procerus, ſanguinei, leviter cholerici
„habitus, a longo tempore, otio & vino
„Turingico fortiori plus, quam aliis rebus
„indulgens, hæmorrhoides, ad quas hæredi-
„taria diſpoſitione ferebatur, jam aliquoties
„expertus, nunquam tamen ſine tali ſympto-
„matum ſyndrome, quæ dyſenteriæ cruentæ
„non modo ſuſpicionem facere videretur;
„ſed plus ſemel etiam, primis præcipue vici-
„bus, perſuaſionem; coripiebatur nempe lu-
„bricitate alvi cum appetitus labefactatione,
„& mox proſtratione neque tardiore virium
„lapſu, torminibus autem repentino impe-
„tu ferocientibus: emicabat non ſolum fre-
„quens excernendi conatus, ſed etiam ali-
„qualis mucidæ inprimis talis ſubſtantiæ ſuc-
„ceſſus; donec tandem etiam cruenta conſi-
„ſtentia ſuccederet, ſenſim demum ſinceriore
„etiam ſanguine ſubſequente. Tenesmus ſub
„toto hoc pathemate ingens urgebat, & per-
„tinax. Breviter: nulla a vera dyſenteria di-
„verſitas; quam quod ſanguinis liberior ſuc-
„ceſſus pathemata ſenſim mitigaret, ipſe etiam
„ſincerior ſuccederet, & inter omnia reliqua
„pathemata mitescendo recedentia ipſe ag-
„men clauderet, & apparere poſtremus ceſſa-
„ret. Placet affectum hujus generis recenſe-
„re etiam a medicis pro dyſenteria habitum.
„Vir juvenis 26. annorum, cholerico-melan-
„cholici habitus, plethoricus, Væ. Snibus.
„ſemeſtribus aſſuetus, proximo vero autum-
„no iis non uſus Decembri menſe frigida ad-
„mo-

„modum tempeſtate toto pomeridiano tem-
„pore in laboratorio ſpatioſo, eoque ipſo ad-
„modum frigido inter aliquot numero diver-
„ſas operationes occupatus, quarum una erat
„præparatio clyſſi ♁ii 🜿ſati, & fuſiones re-
„gulorum martialis, atque jovialis. Superi-
„ore quidem corpore ad ſudorem calebat;
„cruribus autem, & pedibus percellebatur a
„frigore pavimenti lapidei: rectiſſime interim
„habebat, alacris totus, atque vegetus erat.
„Cum clyſſus ille in aliqua copia parandus
„intra pauciores hasce horas abſolvendus eſ-
„ſet, vaſorum juncturæ etiam laxæ, atque
„dehiscentes multum vaporis efflarent, cu-
„jus nauſeabundo, fuliginoſo nidore peculi-
„are faſtidium ſentiret; abſoluto circa horam
„6. veſpertinam toto laborum penſo optime
„adhuc habens, in conclave calidum rediens
„corripitur paulo poſt inſolitis ſibi tormini-
„bus alvi acutis, quæ mox in dejiciendi co-
„natum procedunt: dejicit etiam liquida non
„aliter; ac ſi purgante uſus fuiſſet. Rever-
„titur ad cœnam, quam cum bono appetitu
„aſſumit, recurrentibus interim ſubinde acri-
„oribus quibusdam morſibus torminoſis ſta-
„tim poſt cœnam, quæ vix $\frac{1}{2}$ horam exceſſe-
„rat, corripitur iterum dejectione non aliter;
„quam a purgante aſſumpto, quantitate, &
„qualitate expurgatoria. Increbescunt tor-
„mina cum intercurrentibus 3tia & 4ta vice
„liquidis ejusmodi dejectionibus. Ante 9nam
„veſpertinam perſentiscit inde ſenſim inſoli-
„tam quandam fatigationem, cujus æque, at-
„que

„que continuantium morſuum torminoſorum „intuitu maturius cubitum ire ſuscipit. Cum „vero in cubiculo frigido dormiret, neque lec- „tum concalefacere cordi habuiſſet, ſimul at- „que in hunc ita frigidum recumbit, corri- „pitur ſtatim fortiſſimo horore vere febrili, „mordentibus interim propemodum absque „ceſſatione acribus torminibus. Poſt $\frac{1}{2}$ vero „horam durantis ita jugiter horroris vomitu „corripitur, ſed uno, et ſimpliciter eorum, „quæ in cœna aſſumſerat, dejiciendi vero „conatus non ita multo poſt revertitur ita „importunus, ut etiam ſub ipſo horrore ſur- „gendum eſſet. Cum tandem ſenſim ceſſaret „horror, atque frigus, ſuccedit æſtus, non „quidem fervidus, neque tamen exiguus. „Tormina ſæpe recurrentia, & in dejectiones „non ſolum torminoſas; ſed etiam tenesmo- „des connitentia, non tantum pervigilem fa- „ciunt noctem, ſed pluribus etiam fluxibus „laborioſam. Laboraverat patiens in pueri- „tia, & prima adolescentia tribus diverſis „vicibus dyſenteria vera, neque amiſerat ejus „rei recordationem ſatis exquiſitam. Judica- „bat tam e reliquo torminoſo; quam inpri- „mis tenesmode ſenſu, quod excretio ſine „dubio jam dum cruenta prodeat; quod ta- „men candela nondum ſatis diluceſcebat, diei „vero ſubſequens lumen ſatis manifeſtabat. „Continuabat hæc dejectio cum febre conti- „nua, leniore tamen, ita in 8 dies, ea ta- „men ſub differentia, ut & fluxus, & tormi- „na rarius potius; quam frequentius proce-

„de-

„derent, non ſolum in ſingulos dies, ſed „etiam omnino mox a 1mo die, ſeu potius „nocte illa ita miſere anxia, & laborioſa. „Tandem cum adſtringentibus manifeſtioribus „potius aſperior ſemper; quam ullo modo „mitior evaderet, tam fluxus; quam præci- „pue dolor, & conatus, lenioribus obſecu- „tus eſt uterque. Differentia a dyſenteria „reliqua præter modo dictam circumſtantiam „decrementi mox a primo impetu magis, ma- „gisque ſenſibilis apparebat, etiam in eo, „quod nihil neque ſpumidum, neque ita ul- „ceroſæ ſimilitudinis compareret, ut in dyſen- „teria ordinarie fit; contagioſæ vero diſpoſi- „tionis ne veſtigium quidem comparebat, aut „ulla juſta ſuſpicio. Carthartico - hæmorrhoi- „dalem hanc fuiſſe excretionem non eſt dubi- „um; catharticam quidem a copioſæ per re- „ſpirationem hauſto illo vapore fuliginoſo „Clyſſi ♀ſati, quem nempe alias in liquorem „denſatum notum eſt laxativæ imo catharticæ „efficaciæ eſſe (in primis ſi non æque 🜄u „vini, quam aquoſiore menſtruo excipiatur.) „Qualem autem, & quam penetrantem effica- „ciam habeant cathartica magis immediate in „maſſam humorum immiſſa, chirurgia infu- „ſoria docet.“ Similia etiam R. A BEHRENS (*a*) obſervavit, & quidem quo tempore dy- ſen-

---

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 24. A. 1723. Jun. d. 4. art. 13. p. 685.

ſenteria epidemice eſt graſſata. A. 1721. vir quidam placidiſſimo hæmorrhoidum fluxu cum diarrhœa laborans, ſeſeque dyſentericum eſ-ſeratus, Auctoris opera ſine remediis convaluit. A. 1723. Majo menſe conſuluit eundem ſtudioſus 18. annorum, patre hæmorrhoidario progenitus, ſemper vehementi tuſſi, cum palpitationibus cordis, ac ſymptomatibus hypochondriacis, quæ uſu temperantium nitroſorum, & balſamicorum lenita ſenſim, ex toto abierunt. Rediit menſe Junio, referens ſe ab uberiori ceraſorum eſu, hauſtoque deſuper lactis jusculo incidiſſe in diarrhœam, quæ brevi in dyſenteriam degeneraverit cum crebris, utut non aſſiduis torminibus, perpetuoque tenesmo; fecem eſſe liquidam, & ſanguine remixtam; ſub qua tamen affectione prioris morbi reliquiæ evanuerint, vigente etiamnum appetentia, viribusque ſecundum naturam. Ante aliquot annos gravi perinde dyſenteria ſe laboraſſe. Penſatis autem hæreditaria diſpoſitione, ac ſymptomatibus hypochondriacis a ſuperveniente fluxu ſublatis, viribusque & appetentia integris &c. fluxus pro hæmorrhoidali cum diarrhœa complicato habendus fuit. Data igitur doſi pilul. BECCHERI deſiit diarrhœa pergente hæmorrhoidum fluxu aliquamdiu non ſine ægri euphoria, qui demum etiam placidiſſime deſiit. Atque ex hactenus quidem allatis caſibus criterium ab JUNCKERO datum veriſſimum eſſe intelligitur; ſed qua ratione illud ad H. SME-

TII (*a*) obſervationem aptabis? „Homo ſexa-
„genarius, ſolitus aliquando hæmorrhoides
„pati, ex longo itinere, victuque intempe-
„ranti in diarrhœam incidit a Kal. Octobris
„usque ad CHRISTI natalitia continuantem,
„qua per remedium ſuppreſſa circa umbilicum
„tormina, anique lancinationes cum excreti-
„onibus raris ſecutæ ſunt: quam ob rem ac-
„cerſiti Brema medici conſilio uſus dubia va-
„letudine in quadrageſimam usque ſe habuit.
„Recruduit deinde diarrhœa, copioſamque
„ſanguinis excretionem attrahebat. Ad hoc
„ſymptoma vocatus . . . Hannoverenſium
„medicus circa finem Martii deprehendit ex-
„crementa alvi rotunda, dura, cruore ſince-
„ro, multoque ſuperjacente, ſcybalis autem
„disruptis nihil cruenti intus admiſtum la-
„tuiſſe; nonnunquam tamen liquidis fecibus
„cruorem undiquaque exacte permiſtum; pati
„ægrum in oſſe ſacro ad anum usque, ac tau-
„rum, imo per penis longitudinem usque ad
„glandem, dolores vehementes, non conti-
„nuos quidem, ſed ad ſingulas deſeſſiones,
„quæ frequentiſſimæ erant, exacerbantes;
„excrementa tamen fere pauca, rotunda, &
„dura fuiſſe. Adhibitis tandem . . . reme-
„diis diarrhœam, cruentamque excretionem
„mitius habuiſſe, lancinationes interim circa
„taurum, anum, & os ſacrum nihilo remi-
ſiſſe

(*a*) L. c. Lib. 5. Epiſt. 10. p. 253.

„ſiſſe: aſſiduam deſidendi cupiditatem urgere, „ad cujus conatum excrementum ſequi cum „modico, craſſoque cruore. Nuper admodum „infuſo clysmate poſt 40. & plura excreta „ſcybala, dolorem tamen permanſiſſe. Se- „quente inde excretione liquidiore cruciatum „multo; quam ante acerbiorem factum; pro- „pendiſſe autem ex ano quiddam; quod ex- „tractum lumbrici inſtar 18 pollicum longi- „tudinem æquabat, idque ſiccum, durumque, „ſed in nodulo, quem ad finem habebat, ex- „crementum incluſum: manere nihilominus „cruciatus oſſis ſacri, ani, penis ſibi pror- „ſus ſimiles.“ Hacce in hiſtoria licet cruen- tæ, ac liquidæ egeſtiones nihil attulerint le- vaminis contra JUNCKERI criterion; reliqua tamen morbi adjuncta aperte docent, illum fuiſſe fluxum hæmorrhoidalem cum diarrhœa per vices recurrente complicatum.

2. *Hepaticus fluxus* porro cum hodie unanimi ſententia pro ipſo hæmorrhoidali flu- xu habeatur, niſi quod humor excretus lo- turam carnium (i. e. ſanguinem copioſo ſe- ro dilutum) referat, qualis in duobus erat fra- tribus OVELGÜNII (*a*) hæmorrhoidariis: ſatis liquet, nihil in iſthac diagnoſi eſſe, quod nos magnopere moretur. Haud ſecius

3. *Fi-*

(*a*) Vide §. 135.

3. *Fiſtulæ ani* in fluxu ab hæmorrhoidali dignoscendo haud aliis opus eſt indiciis; quam, quæ ex fiſtulæ ani doctrina petuntur.

4. *Ingeſta* quoque fecem alvi cum compactam, tum liquidam interdum tingunt, ſicque fluxum hæmorrhoidalem mentiri ſolent; ſed cognita ingeſtorum indole, & abſentibus ceteris hæmorrhoidum adjunctis error facile detegitur; cujusmodi rubella ſcybala ab aſſumto ſanguine hircino in juvene vidit H. DELIUS. (*a*)

b) *Lithiaſis* etiam ſæpenumero molimina hæmorrhoidalia mentiri conſuevit, atque tunc diagnoſis non ſemper eſt usque adeo expedita, præſertim ob inſignem hæmorrhoidum cum calculoſo morbo conſenſum, quem M. ALBERTI (*b*) erudita diſſertatione edita deſcripſit; verum tamen calculorum, ſabulive excretio, ac ſymptomata hic alia ſolennia, nec non prægreſſæ cauſæ, & eorum porro abſentia, quæ ad hæmorrhoidalem morbum concurrere ſolent, lucem in diagnoſi condenda accendent. Longe vero difficilior eſt diagnoſis, ubi utrumque malum, non ſatis tamen ſeſe prodens complicatur, ut in PEZOLDI

(*a*) Amœnit. med. dec. 3. Caſ. 7. Nro. 1. p. 217.

(*b*) Diſſ. de conſenſu calculi cum hæmorrhoidib. externis.

ZOLDI ſutore adeſſe credebatur, ni medici ſagacia adfuiſſet. Omnium vero longe difficillima eſt diagnoſis calculos inter, qui in ſeminalibus veſiculis delitescunt, ac molimina hæmorrhoidalia; quippe quæ duo mala iisdem pene ſymptomatibus ſeſe prodant. Memorabilem id genus obſervationem J. A. HEMMANN literis prodidit: vir 40 annorum genio ſemper indulgens, ac noviſſimo vel maxime tempore ꝰu frumenti abuſus incidit ſine ullis prægreſſis ſymptomatibus in mucoſam quandam gonorrhœam ad omnia antivenerea rebellem, nec ullatenus ſive ſub mictu, ſive ſub erectione penis dolorificam: donec demum ſupervenere vehementes dorſi, & abdominis dolores cum tenesmo, ac dyſuria, lotio maximam temporis partem guttatim tantum procedente. Colicus dolor ſubinde tam erat vehemens, ut omnia cultro perſcindi viderentur. Interdum tenesmus, & ſtranguria omni momento urgebant; alias anus, & veſicæ collum usque adeo conſtricta erant, ut nec alvus, nec urina excerni poſſent; ſed lotium ægerrime cathetere elici quiret, non ſine ſummo cruciatu. Penis inſuper aſſiduo erigebatur: gonorrhœa quandoque per hebdomadas etiam disparens iterum deinceps revertebatur; donec aliquot ante obitum hebdomadis rurſus ex integro deſiiſſet. Cum Stilus & Catheter in veſicam inditi nullum detegerent calculum, affectio pro complicatis hæmorrhoidum ſymptomatibus & gonorrhœa pro mucoſis veſicæ hæmorrhoidibus habeban-

tur. Frustra tamen fuere efficacissima quæque remedia; nihil opis tulere hirudines; plurimum vero, at brevi levamine, juvabant semicupia, & enemata mollia: ad atroces colicas mitigandas opio sæpius opus fuit. Assidui sic dolores cum pervigilio demum lentam febrim attulere, quæ morbum annüum morte finivit. In cadavere intestinum rectum & vesica nihil prorsus vitii exhibuere; sed vesiculæ seminales exiguæ, & contractæ erant apertæque visebantur massa alba, lapidea, rudi, crassoque sabulo simili refertæ, quo exempto aerem per cannulam immissam nullatenus in urethram usque transmittebant, idque ob excretorios dūctus prorsus concretos (quod urethra dissecta docuit) nullis licet repertis prægressi ulceris vestigiis, præsertim cum prostatæ excretorii ductus; perinde circa verumontanum hiantes, pervii omnino reperirentur. Omnia itaque symptomata hæmorrhoidibus familiaria produxit vesicularum seminalium a massa contenta irritatio, nervis partium vicinarum communicata. Mucus ex urethra profluens ex ejusdem glandulis (aut potius forte prostatis) ortum habuit ob consensum. Sed hujus prosapiæ casus diagnosin morbi hæmorrhoidalis implicantes tam rari sunt, ut nec Secularia quæque tempora eos afferant, & dum obveniunt etiam, non ita per omnia hæmorrhoidali morbo sunt similes, ut nec dubio cuiquam locum relinquerent; multa sane in postremo hoc casu & adfuere

a'...

ab hæmorrhoidibus aliena, & adfuere iisdem ſolennia.

C. *Tumores* alii ani, præſertim vero

1. *Inflammatio*, quæ plerumque eadem cum hæmorrhoidibus furentibus producit ſymptomata adeo, ut ægerrime duo hi morbi diſcerni queant, & vero qua in re demum dixeris eſſe uſque adeo diverſos? Unde etiam SWIETENIUS (*a*) non multum hic de diagnoſi laborandum eſſe agnoſcit; ſiquidem utrique huic malo eadem adhibetur medela.

2. *Hæmorrhoides ſpuriæ*, ut condilomata, ficus, &c. a cœcis hæmorrhoidibus ſat facile diſcernuntur, namque L. HEISTERO (*b*) notante „medici . . . hæmorrhoides cæcas „. . . rectiſſime . . . per tactum, & colo-„rem a ceteris ani tuberculis diſcernunt; nam-„que hæmorrhoides cæcæ ſanguine, eoque „ut plurimum craſſo hic ſtagnante livent; aut „nigricant, depreſſoque digito veſiculæ li-„quore repletæ ſenſum aliquem præbent; „quod aliter ſeſe habere in veris tuberculis „ac fungis, ſive condylomatibus manifeſtum „eſt.“ Utique cum iſta tubercula duriora ſint

(*a*) L. c.

(*b*) Inſtitut. Chirurg. P. 2. S. 5. C. 167. §. 1. p. m. 1050.

ſint pallida, vel rubella, nec ſatis dolentia, figuramque preſſione digiti non mutent; hæmorrhoides vero cæcæ ſacculi ſint lividi, digitoque compreſſiles, niſi inflammatio, vel ſanguis nimis coactus, craſſæque tunicæ eos duriores ad tactum præſtent. Probe tamen animadvertendum eſt, num non hæmorrhoides cæcæ mentiantur criſtatas, aliave ſarcomata, in quæ illæ aliquando abeunt; (*a*) quod præſertim noſcitur, ſi præceſſerunt lividæ varices, compreſſiles, quæ longo demum tempore in ſpuriarum habitum abierunt, ac majore inſpiratione facta plus inflantur, plusque vel rubere, vel livere ita inflatæ obſervantur.

d) *Syphilis* denique etiam ab hæmorrhoidum ſymptomatibus rite eſt diſcernenda, cujus illæ tria vel maxime phænomena æmulentur.

1. *Sarcomata* ani, de quibus paulo ante actum eſt; porro.

2. *Bubones* inguinales, quorum etiam alias (*b*) jam injecta eſt mentio. Denique.

3. *Gonorrhœa*; dum mucoſæ hæmorrhoides ex urethra procedunt, ejuſmodi caſum

(*a*) Vide §. 6. B. Nro. 1.
(*b*) Vide §. 47. c)

ſum refert R. I. FORTIS (*a*) de antiſtite ſanguineo - cholerico annum 46. agente, diu jam flatibus ructibusque, præſertim a paſtu cum levamine erumpentibus obnoxio, ac paucis abhinc annis, ex quo cioccolatam 3tio. quoque die ſummere cœpit, ter ſæviſſima tormina, ingentesque lævi hypochondrii dolores perpeſſo, quos calor circa caput, faciemque, ac moleſtiſſimus earundem partium pruritus pronunciare ſolebat. In ani venis tantus tumor aderat, ut niſi faſcia occurſum fuiſſet, ſuo pondere laxatum ſphincterem extra anum traheret, ac licet ſub quavis fecum egeſtione ſanguinis etiam guttulæ deciderent, immani tamen interdum dolore loca hæc lancinabantur, ne ſanguine quidem, haud parce tunc ex iis effluente, ſedando. His quandoque tam importunus accedebat circa pudenda pruritus, ut æger illa uſque ad excoriationem ſcalpere ſit coactus. Olim vero occaſione laborioſi itineris gonorrhæa quædam oborta eſt; quæ poſtmodo ſponte quidem iterum deſiit, verum iterum ſine manifeſta cauſa rediit, ac ſponte denuo ſubſtitit. Intra tres ultimos annos ter ſyncope ad $\frac{1}{2}$. horam æger correptus cum motibus epilepticis. Vexabat etiam ſubinde cephalalgia, & melancholia hypochondriaca. Ex his omnibus abunde liquet gonorrhæam illam bis ſponte obortam, ac toties ſponte iterum evani-

(*a*) L. c. 3 Tom. 3. Cent, 2. Conſil. 86. p. 256.

evanidam hæmorrhoidalis, non venereæ fuisse indolis, & quod de hac; idem de sarcomatibus ani, ac inguinum bubonibus tenendum est, videlicet: singula hæc symptomata hæmorrhoidibusne, an syphilitidi debeantur, docebunt nos & causæ alterutrius hujus morbi prægressæ, & symptomata unius illorum præsentia, alterius absentia, nisi forte ambo hi morbi eodem tempore simul adfuerint: Verum & tunc juvantia nocentiaque, nec non sarcomatum, aut bubonum, aut gonorrhœæ diversus a syphilitica indole habitus nos a vero aberrare non facile patientur. Pulchre in hoc argumento versatus est I. G. BRENDELIUS. (*a*)

e) *Cancer*, intestini recti aliquando cum internis hæmorrhoidibus ulcerosis haud parum alit similitudinis facileque duo hæc mala a non satis in arte excultis confundi inter se possunt. Cum enim in cancro atrox dolor, ulcus scirrhosum, tumens, malignum, ichor fœtidissimus, & hæmorrhagiæ subinde vix cohibendæ observentur, & hæmorrhoides internæ diu ulcerosæ quandoque non multum abludentibus stipentur symptomatibus: facile utique evenire potest, ut unum horum pro

(*a*) De hæmorrhoidibus interceptis morbos verendorum aphrodisiacos simulantibus (in opusc. medici argumenti P. 2. Diss. 4. p. 73. sqq.) 4to. Götting. 1744. Resp. G. C. WOLFFIO.

pro altero habeatur: id quod accidiſſe narrat DE LA METTRIE: (*a*) robuſtus ruricola multum ſanguinis ano egeſſit. Chirurgi ſe carcinomatoſum in recto tumorem tetigiſſe aſſerentes hæmorrhagiam inde provenire concluſerant. Factis ergo V. S. injectis vulnerariis, & ſtipticis enematibus deterſivis, datis ſudoriferis, non neglecta ipſa ▽a 🜊, æger nihilominus intra paucos dies obiit. In cadavere pro tumore nil niſi vas hæmorrhoidale in anum paulo interius hians repertum eſt. Hæmorrhagia ergo ſtipticis facile cohiberi potuiſſet, ſi chirurgi ſatis dexteritatis ad vas hæmorrhoidale hians detegendum poſſediſſent.

CAPUT VIII.

PROGNOSIS.

§. LII.

DURATIO hujus morbi ſolet eſſe, ſi paucos quosdam demſeris caſus, perquam diuturna præprimis regularis hæmorrhoidum fluxus, quem GOETZII (*a*) ſartor a prima pueritia ad provectam uſque ætatem eſt perpeſſus, ac molimina hæmorrhoidalia, quæ STORCHII (*b*) ſe-

(*a*) Obſerv. de Medecine pratique Nro. 11. p. 56.

(*b*) ſenem 20. annis afflixerunt. Multo plures huc facientes caſus paſſim per decurſum hujus operis eſt reperire; Unde & HIPPOCRATES (*c*) hæmorrhoidas morbis chronicis accenſuit.

§. LIII.

EFFECTUS autem ex hac ægritudine pullulantes pro vario ejus ſtatu ſunt omnino multifarii, & quidem

1. *Moliminum hæmorrhoidalium*, niſi brevi vel diſcutiantur, vel oborto fluxu conquieſcant, in tanta ſæpe functionum læſione conſiſtunt, ut non raro mortem accerſant, vel vitam reddant morte ipſa graviorem, præſertim adhibita prava, per ſanguinem exagitantia, nervosve laceſſentia; medendi methodo. Interdum vero etiam tam rebellis eſt illarum ſtatus, nulla ut arte aut diſcuti citra fluxum, aut ad fluxum perduci queant, velut in arthritico ALBERTI (*d*) viro, atque in ejusdem (*e*) „juniori illuſtris „ſtemmatis femina a patre podagrico - ne„phritico genita, & matre hæmorrhoidaria na„ta, in qua juniori perſona nunquam hæ„morr-

(*a*) Vide §. 82.
(*b*) Vide §. 111. *a*.
(*c*) De morbis Libr. 1. p. m. 447.
(*d*) Vide §. 114. Nro. 3.
(*e*) Diſſ. de hæmorrhoidib. junior. §. 7. p. 25.

„morrhoides ad eruptionem pervenerunt, „ſed in tali moleſto conatu excretorio ſub- „ſtiterunt, & cum colicis, hyſtericis, hypo- „chondriacis, arthriticis, rheumaticis, vo- „mibundis, cardialgicis, ſyncopticis, &c. „afflictionibus alternarunt.“ Quam funeſtus autem diuturnorum id genus moliminum ſit aliquando exitus, docet Caſus ab I. G. ERNESTI (*a*) deſcriptus. Vir ſenſibilioris habitus, ad iram proclivis admodum, largisque ſudoribus nocturnis; proficuis tamen obnoxius, ſemel tantummodo hæmorrhoides nactus deinceps vero ſola illarum molimina perpeti ſolitus, Februario menſe 1724. ex perfrigeratione, vel animi perturbatione prehenditur aſthmate ſpaſmodico. Pediluvia, frictiones, lotionesque thoracis ♁camphorato, & ☿es e ſpermate ceti, rad. pimpin. albæ, ſuccino albo, ♂io diaph. nitro. ac cinnabar. Hung. levamen attulere, & cum alvus obſtructa enematibus parum obediret, MRa. ex liqu. ♁æ. fol. ♀ri, ac pilulis STAHLII 3. quaque hora ad gtt. 50 data malum prorſus abegit. At Martio menſe, ceſſantibus nocturnis illis ſudoribus ingruit ſpaſticus pedum dolor, & Aſthma priſtinum ſæpius recurſans, ad quod tollendum, ſudoresque revo-

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 27. A. 1724. Febr. d. 2. art. 3. §. 3. p. 157. & Mart. d. 2. art. 3. §. 5. p. 271. Tum. Tent. 28. A. 1724. April. d. 2. art. 3. §. 6. p. 394.

revocandos data antiſpasmodico - diapnoica, ac temperantia, admoti ſacculi diſcutientes 🜅 camphorato irrorati, enemata, & pedilu-via, ſectaque extra inſultum in pede vena. Inde quidem aſthma remittere viſum, at ſine conſtantia; ſudor autem, data licet mane eſſentia alexiph. ex infuſo theæ, nonniſi interdum isque parciſſimus prolectus: æger calidos cibos, maxime carnes, averſatus, os aſſiduo viſcida ſaliva refertum habens, omnique mane vomens, in dies magis lan-quebat, vaga ſeſe in manibus, pedibusque exſerente intumeſcentia, & urina intenſe colorata ſine ullo ſedimento procedente. Data eccoprotica, abſterſivo - temperantia, antiſpaſmodica, diapnoica, &c incaſſum; imo tumor pedis dextri ad malleolos uſque ſæpius revertebatur, & cum matutina vomituritione jam non tam aſthma exquisitum; quam dyſpnæa ſuperfuit cum debilitate, lotiique imminutione; licet ad iſtud promovendum ex-hiberentur; ⚴es antiſpaſmodico - diuretici, & arcanum ♀ri cum ℞a ♁ii ♀ſata. Al-vus plerumque obſtructa non raro vel ene-mate, vel pilulis balſam. STAHL. movenda fuit. Cuncta hæc mala ira ſuperveniens ex-aſperavit. Cumque hirudines ano admoveri non ſineret, toto ita menſe degebat. Apri-li menſe ad priora mala acceſſit capitis, & ſenſuum obnubilatio, memoriæ lapſus, ac tumor lævi lateris, coſtis ſpuriis, dorſum verſus, cum gravativo dolore, atque abdo-minis velut introtracti ſenſatione. Poſtmo-

do

do venere & vomitus crebris cum dejectionibus admodum torminoſis; quæ tamen non multo poſt ſponte iterum deſiere. Somnus erat parcus, & inquietus; urina hactenus tenuis, ac rubella cœpit nunc ſedimentum ponere albidum, & grumoſum; uberius procedere, & uſu ʒum ex rad. pimpin. albæ, lapid. ♋. citrat. lumbr. terr. ♁. diaph. nitro ♀o. ⊕lato, & cinnab. Porro ſub uſu ulteriori eſſent. alexiph. STAHL. admotoque vertici ſacculo diſcutiente 🜊 camphorato irrorato, etiam obnubilatio capitis videbatur cedere; at dyſpnæa tumorque ſub coſtis cum ſymptomatibus ceteris nil minuebantur, debilitate creſcente. Alvus jam clauſa enema poſcebat; jam crebrius fluebat cum virium lapſu. Pulſus denique ſic ſatis hactenus naturalis cœpit fieri celerior, cum p. n. corporis calore, tuſſi ſicca, raucedine ſitique intenſiore, præcordiorum anguſtiis, & dyſpnæa continuo creſcentibus, ſomno vero levibus, ac brevibus deliriis interpolato. Idcirco uſui eſſentiæ alexiph. adjuncti ʒes nitros. cinnab. antiſpaſmodici, emulſio cum ſem. cardui mariæ, & infus. ex rad. Vincetox. cichor. herb. ſcord. capill. vener. fl. bellidis, &c at omnia incaſſum; namque ſupervenientibus lypothymiis, & extremorum frigore, æger tandem integris ſenſibus exſpiravit. Plura ejusdem exitus exempla adduci poſſent, ni vel unum hoc ſufficeret. Nullum autem e cenſu ſymptomatum hæmorrhoidalia molimina conſtituentium tam eſt formidabile, quam dicta illa colica

lica hæmorrhoidalis; quippe quæ, vel ſibi relicta, vel (quod pejus) calidis remediis laceſſita mortem poſt ſe trahere ſæpenumero ſit obſervata. Sic idem ERNESTI (*a*) meminit ſeptuagenarii, cui id genus colica in enteritidem ac letalem gangrænam degeneravit. G. CLACII (*b*) aulicus ſenex, at robuſtus, ſanusque niſi quod interdum colica hæmorrhoidali vexaretur, dum inſtante vere decoctum quoddam vinoſum & ingredientibus ſanguinem commoventibus præditum uſurpaſſet, noctu a colica cum vehementi ſingultu excitur, injectum enema cum levamine non diuturno; namque æger vix horam abhinc indormiens a priſtino corripitur dolore, cum extenſis hypochondriis, ſingultu, ac vomitibus. Acciti medici bilem (non hæmorrhoides) pro cauſa allegantes, dum ſingultum lenibus anodynis, bilem vero abſorbentibus & acidulis oppugnant, æger ſingultiens, & orthopnoicus creſcente febre inflammatoria exſtinguitur, victurus, ſi ex conſilio Auctoris (quod alii rejecerunt) poſt acriuſculum enema hirudines ano applicatæ interneque idonea ad ſpaſmos, ſtaſesque hæmorrhoidales diſſipandas exhibita fuiſſent. Haud ſecius I. I. SCHLIERBACHII (*c*) vir 40 annorum melan-

(*a*) Ibid. Tent. 30. A. 1724. Novembr. d. 2. art. 3. §. 5. p. 486.

(*b*) Ibid. Tent. 29. A. 1724. Jul. d. 4. art. 13. p. 99.

(*c*) Acta. nat. cur. Vol. 6. Obſ. 60.

lancholico-ſanguineus dorſi, ſtomachi, ventrisque doloribus hæmorrhoidalibus aliquamdiu detentus, dum eos variis calidis carminativis, ſedativisque laceſſit, incidit in aſciten cum inſigni, & in dies creſcente ſuperiorum contabeſcentia. Tandem ingruit quidem largus hæmorrhoidum fluxus, hydropem aliquatenus minuere viſus, at brevi poſt omnibus in pejus iterum verſis homo demum ſupremum obiit diem. Apud F. HOFFMANNUM (*a*) „quinquagenarius corpore ſpongioſus, & car„noſus, ob aſſiduos muneris labores vitæ ſe„dentariæ deditus ab aliquot jam annis an„xiis cardialgicis doloribus, & circa præcor„dia conſtrictionibus, noctu præſertim, ſub„inde fuerat afflictus, alvique ordinario erat „ſtrictioris, flatulentiis, ac ructibus obnoxi„us; dolores quoque lumbarem ſæpius ob„ſidebant regionem, urina cum difficultate, „& ſæpe arenoſa procedente. Hinc calculum „ſubeſſe renalem judicarunt, & varia ad eum „propoſuerunt amici domeſtica remedia, inter „quæ etiam fuit ſpiritus baccarum juniperi cum „earum roob probe ſubactus, ſacharoque edul„coratus. Ab horum vero uſu potius ingrave„ſcebant ſymptomata, mox enim truculentis „ſpaſmis, & doloribus inflativis circa hy„pochondria, & abdomen torquebatur, „cum partium extremarum frigore, & in„quietudine, qui emollientes, & diſcutiendi „facultate pollentes clyſteres etiam eludebant.

Tan-

(*a*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. Obſ. 5.

„Tandem accedente cum pulſuum celeritate „internarum partium æſtu miteſcebant quidem „dolores; remanſit tamen inflatum abdomen, „quod nec tactum manus tolerare poterat ob „dolorem. Appetentia cum viribus, perſi-„ſtente per 4. ſeptimanas affectu, concide-„bant. Celebris tum medicus vocatus cau-„ſam horum ſymptomatum hepatis judicans „obſtructionem pilulas BECCHER & ☿ii dul-„cis aliquot doſes præbuit; ſed his omnibus „irritis præter omnem expectationem alvi „fluxus, ſine torminibus tamen, fœtidæ, cor-„ruptæ, & ex atro griſcæ materiæ erumpebat, „quem animi intercurrens defectio cum ex-„trema virium jactura, tandemque mors ex-„cipiebat.“ Duo alia colicæ hæmorrhoida-lis calidis exaſperatæ exempla, quorum in uno mors conſecuta eſt, idem hic Auctor (*a*) commemorat, & apud I. STORCHIUM (*b*) quinquagenarius ſopitam jam id genus colicam comeſto juſculo vinoſo reſuſcitavit, & ex en-teritide deinde periit. Diſcat ex his tiro, quam caute cum colicis, aliisque moliminibus hæ-morrhoidalibus mercandum ſit.

II. *Cœcarum hæmorrhoidum*, ni diſcu-tiantur, vel ad fluxum perducantur, effec-tus perinde ſunt morboſi, ac pro varia ſede, & intenſitate illarum, etiam varii, quos in-ter præſertim eminent.

2.

(*a*) Conſult. & reſp. medic. Cent. 2. Caſ. 14. 27.
(*b*) Obſ. clin. ann. 5. Jul. d. 4. p. 174.

2. *Coitus dolorificus* in feminis, queis varices hæmorrhoidales in vaginam protuberant, velut in ALIXII (*a*) muliere, & cujus meminit W. COCKBURN (*b*), cui in quovis coitu intolerabilem dolorem passæ post incassum varia binis a medicis adversus uteri cancrum usurpata accitus Auctor, cum nihil in utero vitii per obstetricem detexisset, hæmorrhoides internas esse ratus, quæ dolorem a vagina, immisso viri pene distenta, varicibusque huc illuc distractis causarent, hæmorrhoidum curam adhibuit eo cum successu, ut simul, ac semel a morbo liberata, virum sine querela deinceps admiserit.

2. *Impotentia motus* præ atrocitate doloris in hæmorrhoidibus furentibus, ut in GOHLII (*c*) juvene, & HEISTERI (*d*) quadragenario.

3. *Regurgitatio sanguinis* aliorsum. Hanc variæ causæ producunt, inprimis major sanguinis affluentis copia; quam ut omnis ab hæmorrhoidalibus recti vasis capi possit, vel animi pathemata v. g. ira, terror, vel stypp-
tica

(*a*) Vide §. 115. Nro. 2.

(*b*) Medic. Versuche u. Bemerk. von Edinburgh. 2. B. Nro. 27. p. 395.

(*c*) Vide §. 47. c)

(*d*) Vide §. 131. Nro. 7.

tica in usum ducta, &c. Hinc fit, ut sanguis hæmorrhoidalis aliorsum compulsus vasa ibi distendendo functiones lædat. Nunquam satis tironibus inculcari potest sanguinis hæmorrhoidalis ad hujusmodi regurgitationem singularis proclivitas, cujus numerosa exempla passim inter symptomata reperire est, ac plura etiam paulo inferius (*a*) occurrent.

4. *Abortus* a furentibus hæmorrhoidibus ex facili evenit, idque partim a regurgitatione sanguinis in uteri vasa, dum uberius ad rectum affluens non omnis ab ejus vasis recipi potest, partim a febre acuta inflammatoria, tunc morbum stipante, gravidis nunquam non periculosa. Multis hac de re disseruit M. ALBERTI. (*b*)

5. *Ruptura vasorum*, hæmorrhoidali sanguine ultra modum infarctorum. Apud G. BAGLIVUM (*c*) vir melancholico-hypochondriacus ex sævissimis plurium mensium doloribus circa lumbum dextrum, post omnia remedia irrita, repente decessit. In cadavere circiter ℔vj sanguinis nigri, fœtidi, partim concreti; partim extravasati circa lumbares musculos

(*a*) Vide §. 55.

(*b*) Dissertat. de hæmorrhoidib. gravidar. & puerperar. §. 6. p. 23.

(*c*) De fibra motrice specim. L. I. C. 6. p. m. 304.

los, & inter illorum interſtitia repertæ ſunt. Contra vero (*a*) cauſidicus 50 annorum, intemperans, & calculoſus, cum oris fœtore, veluti vitriolico, nares adſtantium manifeſte feriente, ab eodem plane dolore jam biennium ex intervallis cruciante, ac plurima eludente remedia, imo creſcente, oborto tandem hæmorrhoidali fluxu ſanguinis nigri vitriolici fœtidiſſimi ad aliquot libras ſub idoneorum remediorum uſu convaluit. In priori ergo ægro cum fluxus ſuccedere nequiret, vaſa magis, magisque a ſanguine influente diſtenta demum crepuere. Verum „ſi huic „ægro . . . poſt dolores ſuperveniſſet ſan„guinis fluxus per alvum, forſan ſanatus eſſet“ inquit BAGLIVUS; quamquam ne id quidem ſemper proſpere eveniat; id quod F. HOFFMANNI (*b*) obſervatione edocemur: „novi„mus (refert ille) primipilum . . . Gallum, „qui liberalius utens vino adſtringente Fran„cico, quod Pontak vocant, ſubſiſtente con„ſueto hæmorrhoidum fluxu, in atrocem do„lorem dorſi, & cruciatus infra umbilicum „incidit cum febre lenta, purpuracea etiam; „largo ſudore, & alvi tam firma conſtipatio„ne, ut clyſtere injecto nihil redderet; ſed „tormenta potius augeſcerent. Secta fuit ve-

O 2 „na

(*a*) Ibidem p. m. 303.

(*b*) Med. rat. ſyſt. T. 3. S. 1. C. 7. §. 33. Opp. Tom. 1. p. m. 327. ſq.

„na, propinata nitroſa, oleoſa demulcentia, „mannata, aliaque plura: demum ſimul, & „ſemel aliquot menſuras ſanguinis fœtidi, & „grumoſi per anum ejecit, ipſeque lipothymia „correptus diem obiit. Neque alia hujus af- „fectus, & eventus fuit cauſa, quam quod „farta nimium, & diſtenta coli, ac recti va- „ſa dolorem, & rupta funeſtum profluvium „intullerint.“

6. *Prolapſus ani* de quo HIPPOCRATES (*a*) „ſedes autem procidit (ait) viris quidem, „quibus ora venarum ſanguinem fundunt (hæ- „morrhoidas vocant), & alvi fluxus corripit; „pueris quoque calculoſis, & in diuturnis, „ac ſinceris inteſtinorum difficultatibus, ſeni- „bus vero, quibus mucoſæ quædam concre- „tiones affixæ ſunt.“ Ratio hujus rei non eſt abſtruſa. Plerumque ab internarum hæmorrhoidum varicibus accidit hic prolapſus; ſanguis enim ad vaſa interna hæmorrhoidalia uberius affluens ea diſtendendo celluloſam, qua intima recti tunica cum vaſculoſa cohæret, reddit laxiorem, ſicque intimæ recti tunicæ cum vaſculoſa nexum labefactat: quo facto intima tunica rugoſa laxius jam cum vaſculoſa cohærens facile ano extruditur, præſertim ſub vehementi, & aſſiduo teneſmo. Atque hic ani prolapſus ſub quavis alvina ege-

(*a*) Prædiction. Lib. 2. p. 106.

egeſtione accidit BIERLINGII (*a*) perſonæ, duobus LEDRANII (*b*) ægris, tum viro FÜRSTENAUII (*c*), GERBEZIO (*d*) ipſi, GOULARDI (*e*) theologo, MORGAGNI (*f*) feminæ, OVELGÜNII (*g*) fratribus, RIVERII (*h*) inſulano, & VLADISLAO IV. Poloniæ Regi, nimium a multis jam annis hæmorrhoidum hæreditate acceptarum fluxum perpeſſo, teſte A. CNOEFFELIO. (*i*)

7. *Abſceſſus fiſtula ani*, ſi in furentibus hæmorrhoidibus inflammatio nulla arte benigne ſeſe reſolvi ſivit, aut diutius neglecta fuit, aut perperam etiam tractata eſt. Sic J. W. BAUMERI (*k*) „vir 36. annorum mentis „pathematibus deditus, polyphagus, hydro„pota, corpus æquitatione multum exercens, „plures annos hæmorrhoidibus largiter labo„rabat, in ceteris recte valens. His, neſcio „qua cauſa, ſubito ſuppreſſis hæmorrhoidum „cæca-

---

(*a*) Vide §. 19. d)
(*b*) Vide §. 117. β.
(*c*) Vide §. 53. II. Nro. 7.
(*d*) Vide hiſtor. 5.
(*e*) Vide §. 117. β.
(*f*) Vide §. 126. a) α.
(*g*) Vide §. 135.
(*h*) Vide §. 126. b) δ.
(*i*) Miſc. nat cur dec. 1. ann. 6. append. p. 1. ſqq.
(*k*) Act. Haſſiæ. Vol. 1. Nro. 28. §. 21. ſqq. p. 187.

„cæcarum inflammatarum, febre ſymptomatica „ſtipatarum, adeo vehemente inſultu corripiebatur, ut tumor inflammatorius duriſſimus non ſolum perinæum occuparet; ſed ad „ſcrotum, atque nates ſeſe etiam extenderet. „Ex hoc in principio neglecto apoſtema in „perinæo natum, atque poſtea multo labore „iterum curatum fuit.“ LEÜTHNERI (*a*) quoque ſeni furentes hæmorrhoides inſignem attulerunt abſceſſum, & J. H. FÜRSTENAU (*b*) „vir generoſus (narrat) 50. annorum temperamenti cholerico-melancholici, cujus diuturnam valetudinem ſub hæmorrhoidum veſicæ elogio alibi delineavi, thermis Aquis „granenſibus anno ſuperiore interne & externe methodice uſurpatis notabile quoad dira, quibuscum hactenus conflictatus eſt, „ſymptomata: dyſuriam nempe, teneſmum, „mictum cruentum, levamen expertus eſt, ita „tamen; ut niſus quidam ſpasmodicus veſicam verſus in ipſo paſtu & aſſumto vix uno, „alteroque cochleari, aut cyatho primo vini „aut cereviſiæ, calido; an frigido perinde eſt, „vix deglutito aliquamdiu notatus, nondum „prorſus remitteret. Circa æquinoctium autumnale anni proxime elapſi V. Sem. hactenus in pede adminiſtratam in brachio celebrari curavit. Menſibus Februario & Mar- „tio

(*a*) Vide §. 96. e)

(*b*) Act. nat. cur. Vol. 6. Obſ. 4.

„tio anni præteriti hæmorrhoides, quarum „hactenus nonnisi molimina, cæcas quippe, „albasque, pluries expertus est, nunc primum „apertas, & per plusculos dies ex ordine flu-„entes cum insigni symptomatum fere omnium, „nondum plane cessantium, sed subinde repul-„lulantium levamine vidit. Circa æquinoctium „vernum Væ. Sem. iterum in brachio admisit, „& mensibus Aprili, Majo, Junioque medio-„criter degit, medicamentorum certe usu im-„pune caruit. Mense Julio autem incommo-„da quædam in abdomine, & intestino recto „persentiscens clysterem domesticum, ex aqua, „lacte, furfuribusque triticeis, addito pauco „sale, & raparum oleo, admisit; sed chirur-„gus in applicatione ejus obstaculum quod-„dam offendens vix $\frac{1}{2}$ clysmatis partem inje-„cit, qua brevi iterum excreta notabilis simul „sanguinis sinceri copia profusa fuit. Repe-„titus postridie clysteris usus non parum equi-„dem materiæ fœculentæ, & saniosæ eduxit; „sed tertio iterum die applicatus aliquamdiu „intus substitit, & horripilationem ægroto in-„duxit, cum æstu, anxietate præcordiali al-„ternantem. Adfuit simul perpetuus ad vo-„mendum, egerendumque conatus, quin & „alvus, præter voluntatem contenta, acce-„dente, vel levissimo stimulo reddidit, & in „natibus perpetuus mador, facta brevi post „oculari inspectione, una cum rubore inflam-„matorio, & vesiculis sero acri plenis, iti-„demque madidis observabatur, quarum una „facta, mediante specillo, exploratione in

„ulcus

„ulcus ſatis profundum, & ſinuoſum termi-
„nata eſt, metumque fiſtulæ ani fecit; quia
„tamen repetito, eoque ſollicite inſtituto
„examine, manu ſtiloque chirurgi facto, &
„nulla cum inteſtino recto connexione reper-
„ta, ipſoque ulcere ad conſolidationem pro-
„perante, brevi evanuit. Inteſtinum vero
„rectum digito chirurgi tactum haud exiguam
„quantitatem materiæ purulentæ profudit;
„quin & concrementa carnea, & membrana-
„cea in notabili copia, cum & ſine fecibus
„alvinis prodierunt. Cumque omnia in vado
„eſſe viderentur, prolapſus ani uſque per-
„ſeverans, & hæmorrhoides cœcæ in orificio
„ani paulisper inverſo, denſo agmine propul-
„lulantes, inflammatæ, hinc exulceratæ, a
„dyſuria denuo moleſta, multum in meden-
„do negotii faceſſiverunt; quæ tamen om-
„nia lege artis, & topicis magis blandis ex
„unq. de linar. addito ſacharo, ♄ni. &
„camphoræ momento, itemque ol. ovor.
„mel. roſar. injectionibus ex decoct. ſcord.
„millefol. c. elix. p. p. &c. quam acriori-
„bus, quæ urgebat chirurgus, v. g. unq.
„ægypt. fuſco FEL. w. & non ſine noxa vix
„tentatis, tractata, & ut par eſt, mundifica-
„ta priſtinam ſanitatem ægro brevi promit-
„tere videntur, febre præſertim lenta, ſiti
„ciborum faſtidio, vigiliis, aliisque ſympto-
„matibus hactenus moleſtis, convenientium
„uſu remediorum fere in totum ſublatis.“

Perin-

Perinde C. F. KALTSCHMIEDII (*a*) vir 44 annorum, cholericus, gracilisque corripitur dolore ani intra 24 horas atroci facto cum levi quidem; at dolorifico tumore, pulſu celeri, duroque; æſtu intenſo, ac pertinaci alvi obſtructione. Poſt varia domeſtica quatriduo adhibita erupit per urethram puris ℔β: unde dolor imminutus quidem; ſed per vices ac ſingulis fere quadrantibus horæ exacerbabatur dolorifico ad mictum niſu, quo præter puris aliquot guttas, parum lotii excernebatur. Porro ſub aſſiduo teneſmo interdum aliquot guttæ ſanguinis egerebantur. Ex his liquet, inflammationem recti veſicæ etiam fuiſſe communicatam, collectumque inde pus in veſicam e vomica rupta deveniſſe. Fiſtulas porro ani ex hæmorrhoidibus natas præter eas, quas BIERLINGIUS, (*b*) HÜNNERWOLFFIUS (*c*) ac RIEDLINUS (*d*) dederunt, inſuper etiam, apud CHESNAU, (*e*) CUMMENUM, (*f*) A. FACKHIUM (*g*) GOHLI-

UM

(*a*) Diſſ. ſiſtens caſum de hæmorrhoidibus cœcis in ulcuſ. veſicæ urinariæ mutatis. 4to. Jenæ 1757. Reſp. G. C. HERRMANN.

(*b*) Vide §. 26. b) β.

(*c*) Vide §. 117. β.

(*d*) Vide. ſequ. III. A. Nro. 2. l)

(*e*) Obſ. med. L. 3. C. 11. Obſ. 1. p. m. 345.

(*f*) Mis. nat. cur. dec. I. ann. 3. Obſ. 181.

(*g*) Ibid. cent. 5. Obſ. 79.

UM, (*a*) HEISTERUM (*b*) HILDANUM (c) HOFFMANNUM, (*d*) HOYERUM (*e*) JOERDENS (*f*) KALTSCHMIEDIUM, (*g*) LENTILIUM, (*h*) STORCHIUM, (*i*) RONCALLIUM. (*k*) I. LUZARCHE, (*l*) innumerosque alios reperire eſt.

8. *Gangrœna ſphacelus*, quæ ex vehementi inflammatione, vel negle&ta, vel perperam tra&ata, vel nullis idoneis remediis aut reſolvenda, aut ſaltem ad ſuppurationem producenda oriri ſolent. Expertus id fuit I. B. LAMZWEERDII apud I. SCULTETUM (β) Anglus, qui diutino hæmorrhoidum dolore emaciatus demum a muliercularum remediis febri correptus eſt cum ani inflammatione in gangrænam ſpin&eris abeunte; hac tamen percurata ſphin&er maxima ſui parte abſumtus ita denuo regenerabatur, ut æger abhinc ite-

(*a*) L. c. dec. 1. vol. 4. ſe&. 6. p. 102.
(*b*) Med. chirurg. und anat. Wahrnehm. 2. B. Nro. 422.
(*c*) Obſ. & curat. med. chir. Cent. 2. Obſ. 75.
(*d*) Conſ. & Reſp. med. Cent. 2. Caſ. 23.
(*e*) A&. nat. cur. vol. 3. obſ. 17.
(*f* Ibid. Vol. 7. Obſ. 106.
(*g*) Diſſ. cit.
(*h*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 5. append. p. 126.
(*i*) Prax. caſual. med. Tom. 1. cl. 4. p. 177.
(*k*) Hiſtor. morbor. 46. p. 214.
(*l*) VANDERM. Journ. de medec. T. 1. p. m. 374.
(β) L. c. append. 1. Obſ. 49. p. m. 629.

iterum ſanorum more alvum egeſſerit. Idem etiam accidit compluribus ægris apud I. A. BRAMBILLA. (*a*) uni ZACUTI (*b*) BLEGNYII (*c*) viduæ ac HENNINGII (*d*) mulieri. Sæpius, quam crederetur, talia eveniunt, dum medici ad hæmorrhoides furentes, autopſia neglecta, quid pro quo præſcribunt, id quod F. AB. AQUAPENDENTE (*e*) narrat „accidiſſe „cuidam medico non obſcuri nominis, qui „curans ægrotantem febre, cœperunt hæmorr„hoides dolere, medicus autem oleo roſaceo „inungi juſſit, neque locum affectum unquam „perſpexit. Tandem poſt aliquot dies me„dicus me duxit ad ægrotantem, ego autem „ſtatim locum affectum . . . conſpiciens in„veni ex omni parte multo antea ipſum fuiſ„ſe gangræna affectum . . . & nonnihil in ſuper„ficie ſphacelo, quem ſervavi ſtatim feramen„tis candentibus.“ Triſtior iſto fuit eventus in D. TURNERI (*f*) ſene diu hæmorrhoidario, qui dum aliquando ſolito majorem pateretur mo-

---

(*a*) Abhandl. von der Phlegmone 2. Band. 6. Cap. 2. 3. 4. Beobacht. p. m. 144. 158. 171.

(*b*) Vide §. 120. Nro. 3.

(*c*) Vide §. 131. Nro. 1.

(*d*) Vide §. 68.

(*e*) De chirurg. operat. p. 116.

(*f*) Abhandl. von den Krankheiten der Haut. 2. Theil. 7. Cap. p. 539. ſqq.

moleſtiam a magna copia putridi ichoris ex affectis locis exſudantis, induſiumque, ac braccas conſpurcantis, cum fætore totum hypocauſtum implente Auctorem accerſit. Is inter diductas nates reperit condylomata complura, alia inſignia, & communis cum cute coloris; alia ex fuſco livida, ac velut ſtudio compreſſa, calore nativo orba, unum paulo inferius prorſus gangrænoſum, ichorem illum putridiſſimum eructans. Pulſus erat perquam debilis, facies pallida, ſudor frigidus, mente non ſatis ſibi conſtante. Cum vero alius etiam accitus negaſſet vel gangrænam vel diſcrimen adeſſe, Auctor præſagio facto ægrum in alterum diem non ſuperviċturum, quod etiam exitus probaverat, abiit. Interdum gangræna interiora etiam corripit, & I. LIEUTAUD (*a*) „pro comperto habemus (inquit) „anatomica autopſia edocti hæmorrhoidum „vel externarum phlogoſim, & gangrænam „in inteſtina, meſenterium, aliave abdominis „viſcera ſæpiſſime propagari.“ Sic JOUBERTUS in vita RONDELETTI apud T. BONETUM (*b*) refert, uxorem ejus obiiſſe intra paucos dies ex hæmorrhoidum inflammatione, quam maritum celare voluit. A morte dum affecta ſedes luſtratur, extrema meſeræi pars gangrænoſa eſt inventa.

9. Occal-

(*a*) Synopſ. univ. prax. med. P. I. L. 2. *S.* 3. p. m. 393.

(*b*) Sepulcr. L. 3. S. 15. Obſ. 2.

9. *Occallescentia* tuberculorum diuturnorum, de qua LUDWIG (*a*) „persistunt . . . „sæpius in iis (ait) qui hæmorrhoidalibus insultibus affecti sunt, tubercula callosa, quæ „sine dolore sunt, nec excretionem alvinam „adeo turbant, interdum tamen, dum aliqua „sanguinis abundantia vel dyscrasia has par-„tes urget, & irritat, dolorosa fiunt.“ Atque tunc hæmorrhoides vere spurias, cristatas vel alias mentiuntur, velut in DELII (*b*) ac DIETERICHSII (*c*) ægris. Imo M. ETTMÜLLERUS (*d*) refert e SANCHEZ (*e*) in muliere ex hæmorrhoidibus cæcis diuturnis mortua intestini recti terminum 6 digitorum longitudine ad anum usque repertum fuisse induratum, & scirrhosum.

III. *Fluxus hæmorrhoidalis* demum effectus boni sunt alias; alias pravi

A. *Boni*, dum is regularis est; ac moderatus, nec nisi aut plethoram, aut cacochymiam tollens: quo fit, ut per illum caussæ morborum, vel imminentium, vel præsentium e corpore eliminentur. Hinc etiam

I. HOL-

(*a*) L. c. p. 400.
(*b*) Vide §. 55. Nro. 9. h)
(*c*) Vide histor. 1.
(*d*) L. c. p. 144.
(*e*) Observ. p. 377.

1. HOLLERIUS (*a*) „hæmorrhoides (inquit) „univerſum corpus vacuant aliquando caco-„chymia, aliquando puro ſanguine, quippe „ſola quantitate peccat.“ Id ipſum A. HÆN (*b*) fateri coactus eſt dicens: „hæmorrhoides „duas potiſſimum tollunt plurimorum morbo-„rum cauſas, quam alteram plethoram vocant, „alteram cacochymiam.“ Hæc autem ut plurimum atrabilis eſſe conſuevit, de qua HIPPOCRATES (*c*) „in profluvio (ait,) quod „fit per ora venarum in ano ſanguinem fun-„dere ſolita (Græci hæmorrhoidas dicunt) „velut quiddam atræ bilis affine effluit.“ i. „e. quod non eſt vel mera, vel matura atra-„bilis, ſed vel bono ſanguini permiſta, vel nondum omnes nacta atræ bilis dotes; quam tamen ſemper ſalubriter per anum excerni obſervavit dicens: (*d*) ſanguis ſupra „quidem „qualiſcumque fuerit emiſſus, malus; infra „autem, ſi niger dejiciatur, bonus.“ Dum itaque fluxus hæmorrhoidalis accumulatam vel plethoram, vel cacochymiam ſemper e corpore per intervalla evehit, non poteſt non eſſe ſalubris cum prophylactice; tum therapeutice.

1. *Pro-*

(*a*) De morbis intern. Cap. 55.

(*b*) L. c. Cap. 3. §. 1.

(*c*) Epidem. L. 6. S. 5. Nro. 24. p. m. 1185.

(*d*) Sect. 4. Aphor. 25.

1. *Prophylactice*, dum cacochymiam aut plethoram prius tollit; quam functiones lædere queant, ſicque conſtantem tuendo ſanitatem ad longævitatem viam ſternit. Diſertis id verbis aſſerit HIPPOCRATES (*a*) „qui „ſanguinem per ora venarum, quæ in ano „ſunt, profundere ſolent, neque morbo la„terali, neque pulmonis inflammatione, ne„que ulcere exedente (phagadænam dicunt,) „neque furunculis corripiuntur, neque tuber„culis, quæ a cicerum ſimilitudine terminthi „dicuntur, ac fortaſſis ne lepra quidem, for„teque neque aliis id genus. Intempeſtive „tamen curati multi brevi hujuſmodi morbis „correpti ſunt, eamque ob cauſam pernicio„ſe habuerunt.“ Et F. HILDANUS (*b*) „ego „(inquit) ſincere adſcribere poſſum, expe„rientia me comprobaſſe, eos rariſſime apo„plexia, epilepſia aut vertigine, & oculorum „inflammationibus correptos fuiſſe, quibus „hæmorrhoides fluebant.“ Sane G. E. STAHLII (*c*) vir ob hæmorrhoidum fluxum ſanus multos in annos vixit; quamvis non undique caruerit morborum cauſa. Hinc etiam P. FORESTUS (*d*) patri ſuo 50um. agenti annum robuſto, morbum ab ineunte ætate vix paſſo, præter

(*a*) Epidem. L. 6. S. 3. Nro. 28. & de humorib. p. m. 51.

(*b*) L. c. Cent. 6. Obſ. 28.

(*c*) Vide §. 99.

(*d*) L. c. Obſ. 3.

ter ani dolorem olim ſola caſſia ſumta abactum, nunc vero fluxum hæmorrhoidum nacto longæ ſpem fecit ſanitatis; qui etiam nonniſi 58vo.anno quartanam cito curabilem paſſus, abhinc vero hæmorrhoidibus ſubinde, ac moderate fluentibus ſemper ſanus manſit, donec ſenex demum obiiſſet. M. ALBERTI (*a*) meminit „ſenis hæmorrhoidarii, qui 90. annos „attigit profeſſione Chimici, qui orbem adhuc „pererrabat, in dies 1. milliare, aut 1 $\frac{1}{2}$ am-„bulando abſolverat, animo & corpore to-„lerabili gaudebat, appetitus, & ſomnus in „eodem erant vegeti; cum hanc urbem (Ha-„lam) tranſmigraret, incidit in febrem tertia-„nam exquiſite typicam, & legitimam, a qua „poſt 4um. paroxiſmum liberabatur. Sed „cum ſuperata hac febre debilitatus domum „egredi intenderat, cecidit ſuper lapideum pa-„vimentum & ſcrotum ad prominentem lapidem „acutiorem alliſit. Corripiebatur inde inflam-„matione genitalium, a qua poſt aliquot dies „reſtitutus, iter aliorſum direxit, & quem ad „explorandas vires ſenis (Auctor) per inte-„grum milliare comitatus fuerat, quod per „6 horas ſuperavit, & poſtea neceſſe habuit, „quo requie aliquali ad continuandum iter „habilis reddatur. Et hic ſenex ſingularis „longævitatis, de ſe profeſſus fuerat, quod „ſingulis annis ſemel & verno quidem tem-

„pore

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidibus longævitatis cauſa §. 4. Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. p. 120.

„pore ſufficienter hæmorrhoidalem fluxum „expertus fuerit, & inſolita ſanitate fruatur.“ Hæc de fluxu hæmorrhoidum prophylactice ſalubri; verum haud minus ſalubris eſt.

2. *Therapeutice*, dum tollendo vel cacochymiam, vel plethoram ſimul earum effectus, ſive morbos præſentes ex illis natos tollit. Sic LUDWIG (*a*) „ex omnibus (in„quit) profecto exemplis, quæ ad mutatio„nes morborum ſemper attentus obſervavi, „unum inveni virum, qui ab initiis virilis „ætatis uſque ad ſummam ſenectutem inter va„rias diætæ neglectæ cauſas, morboſque inde „perpeſſos, tamen hæmorrhoidibus crebrius, „& copioſe fluentibus ſublevatus, & in vehe„mentiſſimis ſæpe morborum inſultibus recte „reſtitutus eſt.“ Inter numeroſas autem ægritudines, quas fluxus hæmorrhoidalis ſolvit, vel maxime notari merentur.

a) *Inſania*; nam teſte HIPPOCRATE (*a*) „inſanientibus ſi varices, aut ſanguinis pro„fluvium, per ora venarum, quæ in ano ſunt „(hæmorrhoides dicuntur) acceſſerint; inſaniæ „ſolutio. Porro (*b*) atra bile vexatis, & „phrenitide detentis ſanguinis profluvium „per ora venarum, quæ in ano ſunt, bonum „eſt.“

(*a*) L. c. p. 412.
(*b*) Sect. 6. Aphor. 21.
(*c*) De Judicationib. p. m. 55.

„eſt.“ Et LUDWIG (*a*) ſalubritatis hujus fluxus “ ipſe aliquoties in ſpaſmis veſicæ, in „melancholia, & præcipue mania evidentiſ- „ſima exempla cognovit. Perinde nec mi- „hi, inquit F. HOFFMANNUS (*b*) ignota ſunt „exempla, ubi nonnulli gravi melancholia hy- „pochondriaca in juventute affecti in pro- „vectiore ætate hæmorrhoidum fluxu acce- „dente immunes manſerunt.“ Hujus quoque loci eſt, quod refert. I. S. CARLN (*c*): vir 50 annorum temperamenti melancholici poſt toleratas aliquamdiu preſſiones ac dolores abdominis, flatulentias, & molimina hæmorrhoidum, brevi incidit in melancholicas anxietates, animi, mentisque perturbationem, qua ſibi mortis pœnam imminere imaginabatur. Creſcente deliro metu lecto ſe proripiens ædium ſuperiora petit, ſatellitibus, a queis ſe ad ſupplicium ductum iri delirabat, fuga ſe ſubducturus. Interea ſub his turbis hæmorrhois turgens crepat, ac ſanguinem eructat: quo facto æger mentis compos ocyus redditus ad locum, unde profugit, eſt rever-

(*a*) L. c. p. 405.

(*b*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 4. C. 8. theſ. pathol. §. 33.

(*c*) Med. und moral. Einleitung in die Naturordnung, oder medicin. Bedenken. 3te Samml. Nro. 3. p. 305.

reverſus. Idem quoque delirii eventus fuit in ægro BANGII. (*d*)

b) *Coma apoplexia.* De poſteriore HIPPOCRATES (*b*) „in ſideratis (ait) ſucce-„dentes hæmorrhoides utiles ; refrigeratio-„nes vero, & torpores malum denunciant.“ In graviſſimo autem comate inſignis hæmorrhoidum fluxus F. HOFFMANNI (*c*) viduæ præſentiſſimam attulit opem.

c) *Oculorum morbi.* I. STORCH (*d*) vidit ab ſola varice hæmorrhoidali citra fluxum enata magnati cuidam moleſtas oculorum defluxiones fuiſſe mitigatas, quam proinde, cum nec doloris, nec molis eſſet ſingularis, ut patienter ferret, eſt admonitus, ac toto etiam anno, poto præſertim deinceps Liebſteinenſi fonte, ab ulterioribus invaſionibus manſit immunis.

d) *Spirationis difficultas.* I. STORCH (*e*) refert, ſenem 70. annis majorem reverſo fluxu hæmorrhoidali ab anxietate vires admodum perſumdante fuiſſe liberatum.

e. *Phthi-*

(*a*) Vide §. 117. β.
(*b*) Coacor. Nro. 478.
(*c*) Vide §. 119. Nro. 5.
(*d*) Prax. caſual. med. T. 1. cl. p. 214.
(*e*) Ibidem. T. 2. d. 4. p. 353.

e) *Phthiſis*, de qua ita HIPPOCRATES (*a*): „ſputorum retentiones in tabeſcentibus mentem ad delira verba commovent; in his ſanguinis profluvium per ora venarum in ano ſanguinem fundere ſolita exiſtere poſſe ſpes eſt." At non in ſuppreſſis modo, verum rite etiam procedentibus phthiſicorum ſputis ſalubriter quandoque hæmorrhoides fluere docuit experientia. Sic apud J. RHODIUM (*b*) „Baro quidam diuturno tempore deſtillationi ſalſæ obnoxius tabem verebatur . . . Huic autem hæmorrhoidibus biennium fluentibus omnis cauſa metus fuit ſublata, imo emendatus corporis humor noxius." J. C. STUNZER (*c*) curandum habuit virum, cui ſputa purulenta cum tuſſi continua parum ſpei reliquere, nihil aut cortice Peruviano, aut pectoralibus medicamentis proficientibus: donec revocatus pilulis hæmorrhoidum fluxus morbum ſuſtulit, æger inde convaluit, carnes recuperavit, ac fecundo matrimonio lætus vixit.

f) *Hypochondriaca paſſio* cum materia, veteribus atram bilem vocantibus, de qua GALENUS (*d*) „atram bilem (ait) hæmorrhois plerumque incipientem prohibuiſſe, & jam „effec-

(*a*) Coacor. Nro. 437.
(*b*) Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 9.
(*c*) L. c. p. 56.
(*d*) In epidem. L. 6. comment. 6. Nro. 8.

„effectam removisse, nec non & duratum lie-„nem sanavisse conspecta est.“ Et alibi (*a*): „morbum sane melancholiam vocatum per „hæmorrhoides levari evidenter constat, mul-„tosque clausis illis insanivisse animadverti-„mus; quosdam vero non solum semel, aut „bis; sed etiam ter, quater, simul; atque „hæmorrhois suppressa sit, in melancholiam „incidisse; nonnullos vero & singulis annis „hoc vitio tentari solitos, nisi aut per venas „hasce præsidium prius senserint; aut atra „bile medicamento purgata malum antever-„terint. Nempe istorum hominum plurimis „ater sanguis per hæmorrhoida profunditur, „attamen non omnibus.“ Hinc etiam D. SENNERTUS (*b*) hypochondriacam passionem hæmorrhoidum fluxu felicissime curari testatur, & „si (quis) in eos, qui ex hæmorr-„hoidibus commodum percipiunt, inquirat, „omnes fere (ait) hypochondriacos esse ani-„madvertet.“ Idcirco & M. ALBERTI (*c*) hæmorrhoides medicinam hypochondriacorum nominavit.

g) *Nephralgia*; nam „melancholicis af-„fectibus, & renum vitiis succedentes hæ-„morr-

---

(*a*) Ibidem comment. 5. Nro. 25.

(*b*) Disp. de hypochondriaca affectione. §. 132. 137. opp. pr. L. P. 5. Sect. adj.

(*c*) Diss. de hæmorrhoidib. medicina. hypochondriacor. Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. p. 374.

„morrhoides . . . bono ſunt“ notante HIPPOCRATE (*a*); quem locum J. HOLLERIUS commentario illuſtrans „vidimus (inquit) „quemdam, qui intolerabili cruciatu renum „affligebatur, is nulla phlebotomia, nulla pur-„gatione, nullis remediis topicis potuit le-„vari, niſi hæmorrhoide aperta.“ Unus idemque, opinor, æger eſt, cujus inferius (*b*) etiam recurret mentio.

h) *Icterus.* Oppido rarum hanc in rem caſum refert G. W. WEDELIUS (*c*) de textore 30. annorum icterico, qui oborto hæmorrhoidum fluxu, prius ſibi inſolito, ab ictero eſt liberatus, ſimulque poſt hunc morbum aliquo abhinc tempore nactus eſt facultatem ſemen in coitu ejaculandi, quod nunquam antea toto quinquenii matrimonio præſtare poterat: unde & filiam progenuit. Fluxusne hæmorrhoidum quidquam ad id contulit?

i) *Hydrops.* Novimus, inquit J. L. CHOMEL (*d*) „mulierem ita aſcite laborantem, ut ad paracentheſin multoties cele-„bran-

(*a*) Sect. 6. aphor. 11.

(*b*) Acta Hafnienſ. Vol. 2. Obſ. 44. p. 138.

(*c*) Vide §. 117. β.

(*d*) HALLER diſp. med. pract. T. 4. Nro. 116. ergo tumidis hæmorrhoidib. hirudines. Præſ. J. F. C. MORANDO. §. 5. p. 122.

„brandam coacta confugere, curaretur ad „tempus, non sanaretur. Ecce autem artem „docente natura, curamque suscipiente larga „derepente advenit hæmorrhoidum vacuatio, „ægramque liberavit ad annos.“

k) *Cutanei morbi.* „Vir quidam maxime doctus calidi ex calido jecore temperamenti, & hinc hypochondriaco malo quo„que obnoxius . . . coloris rubri in vultu „gutta rosacea conspicuo, remissionem mox „sensit, postquam per biduum hæmorrhoidum „senserat fluxum, quo ipso primum perterri„tus meum requisivit consilium, cui, ut hoc „hæmorrhoidum beneficium diæta, & medici„na in posterum promovere non desisteret, „suasor fui“ inquit J. C. FROMMANNUS (*a*), & A. C. LORRY (*b*) vidit ægrum ab herpete esthiomene summe pruriente mox, ut fluxus hæmorrhoidum ingruit, liberatum.

l) *Articularis dolor*, ut podagra, ischias, arthritis, &c. Hæc enim vero mala ut plurimum nil sunt aliud; quam hæmorrhoidum anomaliæ (*c*), quemadmodum hæmorrhoidales colicæ, cardialgiæ &c., ut proinde haud male etiam arthritides, podagræ &c. hæ-

(*a*) L. c. P. 2. Probl. 41. p. 452.
(*b*) Von der Melancholie. 2. Th. 3. Cap. p. 371.
(*c*) Vide §. 33. c)

hæmorrhoidales vocari possent, quas fluxus hæmorrhoidum obortus solvere consuevit, præsertim cum id genus articulares dolores interdum in colicos mutentur, priusquam fluxus hæmorrhoidum accidat, cujusmodi exemplum dat v. RIEDLINUS (*a*) de viro 50 annis majore, cui aliquoties arthritidem perpesso post vitæ genus in minus felix mutatum arthritis desiit; at pristinos ad labores reverso ejus in locum colici dolores recursabant, subinde vix ferendi. Hos cathartico cedentes fluxus hæmorrhoidum secutus, qui sensim in fistulam ani degeneravit cum dolore fere continuo, & ad penem usque excurrente, ac purulentorum egestione perquam tenesmode. Cum nihil extra anum cerneretur, digito in anum indito complura tangebantur tubercula dolorifica. Nihil abhinc proficientibus variis remediis, fœtoreque ani usque adeo increscente, ut ab nemine jam ferri posset, æger demum interiit. Articularium autem dolorum superveniente fluxu hæmorrhoidali sublatorum exempla multiplicia in historia ischiadis, podagræ, arthritidisque videri possunt; hic aliqua tantum delibabimus. Vidit STUNZER (*b*) dolentissimam ischiadem, ad omnia contumacem remedia, desiisse tandem, postquam æger brevi itinere flu-

(*a*) Curar. medic. millenar. Obs. 24.
(*b*) L. c. p. 56.

fluxum ſibi hæmorrhoidum cauſaſſet. Perinde F. HOFFMANNI (*a*) vir cholerico ſanguineus, iræ, vinoque deditus a plurium menſium iſchiade graviſſima, nullis ſudoriferis, catharticis, lignorum decoctis, ☿o, opioque fuganda, oborto demum poſt uſum aquarum Hornhuſanarum ſale, nitroque refertarum, fluxu hæmorrhoidali convaluit. Porro P. FORESTUS (*b*) „Hollandiæ Præſes (ait) cum articulari dolore affligeretur, apparentibus „conſuetis hæmorrhoidibus, iisque fluentibus, ſtatim prædixi, eum ab omni dolore „articulari liberatum iri, neque me fefellit „hæc ſententia.“ J. C. TRUMPHIO (*c*) curandus obtigit menſe Decembri quinquagenarius vir vitæ ſedentariæ, ac potibus ſpirituoſis deditus, qui poſt 3. hebdomadum arthritidem fixam evaſit melancholicus cum anorexia, ac pervigilio, aſſiduisque doloribus. Circa hepar itidem dolor cum alvo adſtricta; & præcordiorum anxietate; noctuque calor, ac ſitis inſignis, urina intenſe rubente. Dati primum ʒes antiſpasmodico-abſorbentes, ac ℞a ♂is helleborata cum anima rhei, & liquore ∇æ fol. ♀ri: unde alvus obedientior

(*a*) Diſſ. de ſalubritate flux. hæmorrhoid. §. 11. opp. ſuppl. 2. Part. 2. p. 114.

(*b*) L. c. Obſ. 4.

(*c*) Commerc. Nor. T. 9. A. 1739. hebd. 40. Nro. 2. p. 315. ſq.

tior, melancholia nil cedente. Cumque aliquando insultus apoplecticus supervenisset, Væ. Sem. in pede, non multo ante factam, imperavit Auctor, dein catharticum ægro familiare, a quo ter simul vomuit, concessit. Abhinc molestia circa hepar minuebatur, appetentia etiam aliquatenus renata; sed tussis sensim cum corporis macie ingravescens metum injecit. Interea grumi sanquinis ex hæmorrhoidibus ani subinde egerebantur, doloresque articulorum mitescebant. Idcirco ad crisin isthanc promovendam, aliasque implendas indicationes dabatur ♁ ex ♁ diaph. ♂li, cinnab. nativa, croco ♂aperit., ♀ro ⊕lato, corall. rubr., lapid. 69, C. C. philos., ⦶ depurato, ♁re pector. balsam. WEDELII; porro ℞a ♂ helleborata cum anima rhei, liqu. ▽æ fol. ♀ri, Ωu ⊖* anisat., essent. lignor. & absinth. compos. ol. fœniculi. Imperatum etiam infusum aquosum e rad. glycyrrh., althææ, sarsapar., simphit., chinæ, aristol. rotundæ, ligno sassafras, herbis chamædr., trifol. fibr., cerefolii, hederæ terr., fl: bellidis, chamom. Romanæ, rasura C. C. jujubis, sebesten, passulis minoribus. Quibus ita convaluit, ut nil morbi superfuerit. „Pertinet huc quoque notabilis historia a . . . „STAHLIO mihi, inquit F. HOFFMANNUS (*a*), „communicata: nimirum vir 44. annorum ha„bitus corporis sanguineo - melancholici, diæ„tæ vinosæ, quondam Hungaricis, nuper „etiam

---

(*a*) L. c. Diss. cit. §. 11. p. 114.

„etiam Auſtriacis vinis largius uſus, Væ. Ses.
„conſuetas aliquamdiu negligens, oblatis in-
„terim occaſionibus frequentioribus iracun-
„diæ; corripitur autumno 1664. coxendi-
„cum, hinc genuum, hinc pedum, manuum-
„que doloribus mox increſcentibus, & noc-
„tes, diesque torquentibus per 3. 4. ſepti-
„manas, verno primo tempore deinde &
„proximo autumno, modo hyeme humidio-
„re, & languidiore. Cura diligentis medici
„practici docti, & periti reſerantur denique
„hæmorrhoides, quibus per vices, licet non
„ſtatas, fluere continuantibus omnium dolo-
„rum podagricorum expers vixit ad annum
„usque 76. ſuæ ætatis." Alium huicce ſimil-
limum (ni forte idem ſit) caſum narrat ipſe
STAHLIUS (*a*): „vir honeſtiſſimus cum media
„ſua ætate iſchiade, gonagra, chiragra, po-
„dagra graviter correptus, & in 4. annum 8
„ad minimum vehementibus inſultibus gravi-
„ter exercitus fuiſſet; ſupervenientibus tan-
„dem & poſthac adſuescentibus per hæmorr-
„hoides ordinatis ventilationibus a 48vo æta-
„tis anno ad 78vi finem ſine ullo amplius
„arthritico ſymptomate dolorifico vixit." Cui
merito jungitur gemina obſervatio podagræ
per hirudines, & illas tandem ſecutam men-
ſtruam hæmorrhoidum exonerationem in po-
ſterum ſublatæ hiſtoria a MOUFFETO (*b*). Hæc
om-

(*a*) Diſſ. de rheumatiſmo. 4to Halæ 1707. Reſp.
G. MÜLLER §. 73. p. 39.

(*b*) Theatr. inſector. L. 2. c. 41.

omnia eo magis esse vera patet, quod cohibitus hæmorrhoidalis fluxus, dictos dolores revocet. Sic referente STAHLIO (*a*) „juve„nis 27. annorum phlegmatico-sanguinei ha„bitus ex potu vinorum Thuringicorum spi„rituosorum sub vita multum sedentaria ar„thritidem incurrit admodum vehementem. „Cum variis modis, & methodis nihilo mi„nus subinde recrudesceret, tandem emansit, „coortis tandem circa annum ætatis 30um hæ„morrhoidibus largis imo fere continuis. Cum „patiens vitæ genus insigniter mutasset, & „alio quoque familiam transportasset, quin „etiam fluxus nimius apparens, medicatio„nem patienti persuasisset, substiterunt hæ„morrhoides. Paucissimo post tempore dex„træ coxæ, & femoris, & dolorem, & insig„nem rigorem incurrit patiens. Nescio qui„bus autem remediis tractatus in magnam „angustiam, & abdominis inflationem, mox „etiam in mictum cruentum incidit, quo per „adstringentia tractato pedum oedema, & as„citicam ventris intumescentiam expertus est. „Tandem revocata evacuatione hæmorrhoi„dali non sine vacillantis valetudinis incom„modo annum adhuc vixit.“ Ex his ergo colligitur non male MOLLERUM (*b*) fuisse opinatum

(*a*) Diss. de incurabilib. affectib. (4. Halæ 1705. Resp. C. MEISNER) §. 46. p. 25. sq.

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 6. A. 1718. Novembr. d. 4. Art. 6. §. 2. p. 1873.

opinatum, articulares morbos ibi esse rariores, ubi fluxus hæmorrhoidalis esset vulgatior: „dum hocce autumno (1718) Tokaini „morarer (ait), observavi ibi, & in locis cir„cumvicinis hæmorrhoides præsertim inter„nas incolis esse familiariores; quam nostris „Neosolii, idque ob causam vini spirituosio„ris, allii, & ceparum, queis pene quotidie „vescuntur. Hæreditarias etiam in juniori„bus hæmorrhoides observavi, toto anno af„fligentes. Atque hæc hæmorrhoidum fre„quentia in causa esse videtur, quod arthriti„des ibi per quam raræ sint, utut vino ge„neroso nobiles pro potu ordinario utantur, „aliæque illarum causæ vulgares non desint. „Singularem novi casum Jll. viri sanguineo„cholerici circa 43um ætatis annum podagram „nacti, quæ annis 1685 - 6. vehementer illum „torsit; immoderato autem cum elixirii prop. „PARAC: tum vini Tokaini usu anno 1687, „proritatus fluxus hæmorrhoidum, ubi ordi„nate continuasset, podagram abegit, homo„que hodiedum & a podagra, & ab aliis mor„bis immunis vivit, hæmorrhoidibus fere „quovis mense fluentibus. Alius quoque ca„sus non minus memorabilis hæmorrhoidum „nimiarum succurrit: Belli-Dux Cæsareus 70. „annorum sanguineo - cholericus a 15 annis „quotidiano hæmorrhoidum fluxu laborans, „iis tamen viribus pollet, ut ad 68 usque an„num bello serviverit. Sæpius is circa æqui„noctia insultus arthriticos, at aliquot tan„tum horarum, experitur, quorum etiam ex-

„pers

„pers esse posset, modo non quotidie in potu „excederet, vinoque Tokaino abstineret. „Quovis mane primum aquam frigidam hau„rit, post ¼ horæ sumit vasculum choccoladæ, „a qua post ¼ horæ alvum reddit, postquam „notabilis sanguinis fluidi quantitas, sæpe „℥ij. iij, dejicitur, & abhinc plerumque in„gruit palpitatio cordis, & interdum etiam „levis lipothimia. His post ¼ horæ denuo „cessantibus reliquo diei tempore sanissimus „est.“ Posterior casus congruit cum LUDWIGII (*a*) observatione: „in arthritide habituali „hunc fluxum (inquit ille) interdum cum le„vamine accedentem vidi, sed non perpetuo: „quando enim nimius fuit, sæpe imbecilli„tatem induxit, ut arthritici insultus vagi „magis torquerent, nec veram dissipationem „materiæ arthriticæ molirentur.“ Hæc de bonis hæmorrhoidum fluentium effectibus. At sæpe numero etiam sunt.

B. *Mali* varia ratione, si nempe ex

1. *Nimio fluxu* nascantur

a) *Cachexiæ* præsertim hydrops, hectica febris, &c. AETIUS (*b*) de fluentibus hæmorrhoidibus agens „hæc affectio (inquit) malo-

„rum

(*a*) L. c. p. 408.
(*b*) Serm. 14. Cap. 5.

„rum plurimorum caufa hominibus exiftit, „nam & deformitatem, & miferam vitam hæ„morrhoides inducunt, multos vero etiam „vita privant: & deformitatem quidem prop„ter coloris totius corporis vitiationem ex „evacuatione fuccedentem; miferam vero vi„tam propter corporis debilitatem: quando„que autem & de vita periclitantur fic affecti, „cum ob excedentem evacuationem perfrige„ratum hepar aquam inter cutem operatur.“ & GALENUS (*a*) „ex diuturnis (ait) hæmorr„hoidibus, vel fuppreffis, vel immodica pro„fufione hominem ad extremam frigiditatem „ducentibus non femel aut bis; fed fæpe jam „aquam inter cutem collectam vidi.“ Cujus rudimenta jam in facie, pedibusque inde præfeferebat POMMEI (*b*) atrabiliarius; imo afciten quoque ex immodico hoc fluxu complures nacti funt, letalem HOFFMANNI (*c*) æger; fanabilem WEBERI (*d*) homo. Vidit & hydropem M. ALBERTI (*e*) „in viro hæ„morrhoidario vilioris conditionis, cujus pa„ter erat hypochondriaco-hæmorrhoidarius, „qui, cum aliquoties non modo largas; fed „et

---

(*a*) De facultat. natural. L. 2. Cap. 8.

(*b*) Vide §. 133. b)

(*c*) Vide §. 19. b)

(*d*) Vide §. 93.

(*e*) Diff. de hæmorrhoidib. excedentib. §. 13. Tract. cit. p. 196. fq.

„et ſuperfluas hæmorrhoides expertus eſſet, „tandem ob concurſum mali regiminis, & per- „verſæ diætæ in tympanitidem, & denique „hydropem incidit, in quo denuo largum „hæmorrhoidalem fluxum ſubiit, cum multis „irregularibus ſymptomatibus conjunctum; „qui vero ut præpoſterus, & importunus pri- „orem affectum magis deterioravit; quam „ſublevavit.“ Singulare autem hydrocardiæ ex nimio hoc fluxu natæ exemplum narrat ROBIN apud ROUX (*a*): juvenis eccleſiaſtes poſt magnas narium in pueritia hæmorrhagi- as, uſu demum ℥is nicotianæ profligatas, nactus eſt fluxum hæmorrhoidum ordinatum non ſine ſecunda valetudine. Tandem ante 7. vel 8. annos, quo die ſacerdos conſecra- tus eſt, variolis corripitur, ſub quarum de- curſu haud videtur idoneum ſervaſſe regimen: hinc & pœnas luit. Namque moderatus hac- tenus, ordinatusque hæmorrhoidum fluxus evaſit inordinatus, & immodicus, qui, ubi intra aliquot menſes attuliſſet languorem, de- bilitatem, faciei inflationem, & oedema pe- dum cum anxietate; ab Auctore idoneis re- mediis, præſertim ♂libus ad moderamen de- nuo reductus eſt, ordinemque periodicum, ſpiratione facta per acclivia etiam loca libe- riore, reverſoque ſano faciei colore, labio- rum

(*a*) Journ. de Medec. T. 32. p. 44. ſqq. Jan. 1770.

rum rubore, atque oculorum vigore: verbo æger eo usque jam convaluit, ut cuncta ſua munia ſine moleſtia obiret, idque tamdiu, donec biennio poſt curio factus. Tum vero vel ob mutatum cœlum, vel officii negotia vel avulſionem a fratre, vel forte ob variolosi miasmatis reliquias, cœpit hæmorrhoidum fluxus rurſus & uberior fieri, & inordinatus, donec ſequens illum error nimium effeciſſet. Januario 1768. rigido in frigore, nivibus ad 18. & amplius pollices lapſis, iter milliaris confecit, via ab nemine adhuc tentata; abhinc vero in dies pejus habens 25ta Februar. 1769. obiit. Symptomata mortem prægreſſa fuere delirium obſcurum, facies pallida e virore flavescens, & inflata, ſapor oris perquam amarus, lingua muco flavo obſeſſa, vomituritio, febricula vix obſervanda, cum pulſu celeri, & contracto, tantaque pectoris anxietas, ut extra lectum eſſe nequiret, imo ultimo triduo ne latus quidem mutare valeret; ſiquidem lævum in latus decubitus præſentiſſimum ſubitæ ſuffocationis periculum intentabat. Sputa exſcreabat prorſus viridia. In hepatis regione tumor quidam durus, at non ſcirrhoſus, nec dolens tangebatur. Lotium ſæpe, ubertimque reddebat, jam aquæ inſtar limpidum, jam aurantii coloris. A morte in thorace primum aperto non parum quidem aquæ inventum; quin tamen hydrops dici mereretur. Pulmones erant flaccidi, exigui, coloris griſei, vel potius luridi albi, ex quibus cultro

compunctis pauxillum ſanguinis pallidiſſimi lintea velut lotura carnis tingentis erupit; lobus lævus coſtis erat accretus, forte a pleuritide in infantia. Pericardium autem viſebatur admodum tenſum, tactuique magnopere renitens, quod apertum, omne ocyus thoracis cavum aqua fontanæ ſimili inundavit. Cor 1/3 ſolito majus. Diaphragma inculpatum, ventriculus grandis, cetera ſine vitio. Hepar 1/4 ſolito majus, non ſcirrhoſum, veſicula fellis grandis, viridique bile referta. Nihil vitii in liene, pancreate, vena portæ, in abdominis celluloſa nihil aquæ. Meſenterium, inteſtina, renes ſecundum naturam, niſi quod craſſa inteſtina ſcybalis, & veſica urinaria lotio plena eſſent. Hæmorrhoidalia vaſa nihil notatu dignum præbuere; at vena cava inſtar inteſtini recti ampla ſanguinem tam aquoſum continebat, ut carnis loturam referret. Aorta deſcendens inculpata. Teſticuli ſolito minores. Apparebat igitur, ægro in vita vix ℥x ſanguinis veri infuiſſe. Toto morbi tempore conſtitit appetentia; ægro lac imprimis appetenti nec alia quæque diſſipiebant: bonus etiam ſomnus manſit; at alvus ut plurimum obſtructa fuit. A lactis potu admodum obeſus evaſit. Obiit ætatis anno 33tio vel 34to. Hæc de vario ex immodicis hæmorrhoidibus hydrope exempla ſufficient. Quod autem ad febriculam lentam attinet, THEDENII (*a*) certe amicum detinuit, & apud

G.

(*a*) Vide §. 117. 8.

G. H. VELSCHIUM (*a*) referente P. M. SLEGELIO „juvenis ex immodico hæmorrhoidum fluxu in cachexiam incidit, & febrem lentam „4. annos perſeverantem, adeo ſæpe levem, „ut vix adverteretur. Acceſſit per intervalla „icterus, tandemque febris gravis ſuperveniens cum rigore vehemente ægrotum intra „biduum confecit; fruſtra enim adhibita tam „calida, quam frigida, ipſumque etiam Guajaci decoctum. Aperto cadavere hepar, & „renes pallidi ſanguinem tenuem ſeroſum fundebant; lien ſolito rubicundior; cor, pancreas ſecundum naturam conſtituta. Siniſtro „pulmonis lobo inflammationis indicium."

6) *Spaſmi*, *convulſiones* clonicæ, quibusvis in magnis vacuationibus ſolennes, velut accidit in KOELICHENII (*b*) matrona. Refert etiam S. A. TISSOTUS (*c*) mulierem 45. annorum ex nimio hæmorrhoidum fluxu tanta nervorum debilitate laboraſſe, ut multas anxietates & ſingularem totius cutis motum inde ſit adepta.

c) *Languor* pallidus ad ſyncopen usque, velut in Vratislavienſium (*d*) muliere, FERDI-

(*a*) Conſil. med. Cent. 4. Conſ. 63. p. 452.
(*b*) Vide §. 90.
(*c*) Abhandl. von den Nerven. u. ihren Krankh. 2. Band. 8. Cap. 7. Art. §. 51. p. m. 129.
(*d*) Vide §. 26. b)

DINANDI (*a*) femina, LANZONI (*b*) sacerdote, & gravida quadam F. LOSSI (c) matrona. Apud V. RIEDLINUM (*d*) uxor mercatoris 40. annorum immodico hæmorrhoidum fluxui obnoxia ante hunc ebullitionem sub præcordiis ortam, ac totum se in corpus diffundentem, æstumque corporis causantem præsentiebat, quem tormina levia, & hæc fluxus sequebatur, cessante ocyus ebullitione, æstuque in frigus abeunte, cui sese animi deliquia jungebant. H. BOERHAAVII (*e*) sexagenarius cachecticus exhaustis sensim diuturno tali fluxu, cum nocturna diarrhoea complicato, viribus demum exstinctus est.

d) *Recidivæ*, ad quas nimius hic fluxus est proclivis, ut ROBINI (*f*) in ægro, plurimisque aliis est observatum. Sed nullum hanc in rem luculentius in tota historia medica exstat exemplum; quam quod B. GULIMANN (*g*) memoriæ prodidit: mercatori ad 40. annos nato cholerico-hypochondriaco, in iram prono, ac per decennium jam sat lar-

---

(*a*) Vide §. 25.
(*b*) Vide §. 49. Nro. 2.
(*c*) Obs. med. Lib. 3. Obs. 25.
(*d*) Curar. medicar. millenario Obs. 578.
(*e*) Consult. med. Vol. 2. Cas. 4. p. 18.
(*f*) Vide præced. a)
(*g*) Act. nat. cur. Vol. 2. Obs. 78.

largum hæmorrhoidum fluxum cum euphoria passo, iste aliquando post insignem terrorem, ac mortis imminentis metum tantus ingruit, ut intra 18 dies æger 6. mensuras sanguinis amiserit; donec indefesso usu ☿ium temperantium nitrosorum cum cinnabari, paucisque stipticis sub diæta gelatinosa conquievit. Sed ob labores itineris abhinc sub solis æstu emensi coorta sanguinis commotio cardialgiam, cephalalgiam, ac mox fluxum iterum causavit, pristinis remediis non amplius cohibendum, quoad amissis intra 3 hebdomadas 7. mensuris sanguinis tandem datis pilulis ex croco ♂ adstringente, extract. catech., torment., cort. cascarill., ac ☿ri stomachico BIRCKM. cessit, ægro extenuato, ac pene exanimi relicto; qui tamen jusculis gelatinoso-analepticis sensim ita appetentiam, somnum, viresque collegit, ut suas iterum res aliquatenus procurare quiverit. Verum finiente Decembri 1720. reversus fluxus ægrum intra mensem 5 iterum sanguinis mensuris orbavit. Anno insequente, utut circa æquinoctium V. S. brachii, aliaque in prophylaxin facta; graves tamen 4 recidivæ acciderunt, quarum ultima 27ma Novembr. eveniens illum pene enecuisset, ni emulsio e sem. 4. frig, maj., papav., & ▽a borrag., plantag., cinnam., cydon., c. corall. r. ppt. unicorn. ver., dente hippopotami, nitro, & julepo rosar. præsentissimam tulisset opem. Amisit his 4. recidivis æger 23. mensuras sanguinis, totoque anno valetudinarius vires vix collegit. Anno

1722

1722 ob 5. recidivas 20 menſuræ ſanguinis amiſſæ; quarum in ultima profuit ℥is ex corall. r. ppt., margarit., nitro ppt., unicorn. vero, & croco ♂tis adſtr. Abhinc autem fluxus evaſit parcior, ita ut ſingulis fere annis minus ammiſſum ſit ſanguinis, nimirum annis 1723. — 4. menſuræ 8; anno 1725 menſuræ 7; anno 1726. menſuræ 4½; anno vero 1727 nonniſi aliquot molimina, & acceſſus ſaluбriter ſemper decurrentes æger eſt expertus, ℥ibus temper. nitroſis cum cinnab., & ſtomachicis facile obedientes. Hinc ita rurſus convaluit, ut negotiis ſuis denuo ſolis itineribus exceptis, vacare potuerit. Amiſit ergo intra ſeptennium 100½ menſuras ſanguinis, exemplo, quod ſciam, hactenus inaudito. Mali quoque ſunt hujus fluxus effectus, quos inde

2. *Ætas junior* experitur, quæ diuturniorem præſertim hæmorrhoidum fluxum raro innoxie ferre ſolet. Namque „ſi in junioribus, inquit F. HOFFMANNUS (*a*), præmature nimis erumpunt hæmorrhoides, per aliquod etiam tempus continuant, & inſuper, „ut ſæpe ſimul fieri ſolet, largius, & copioſius ſuccedunt, nunquam fere ſalutares ſunt, „vel in ipſo ætatis flore mortem accelerant, „dum

(*a*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 1. S. 1. Cap. 1. epicr. ad Obſer. 13. Opp. T. 2. p. 23.

„dum perquam facile a legitimo ſuo aberrant „tramite; variaque ſontica pathemata poſt „ſe trahunt." Hinc & M. ALBERTI (*a*) „reticere (ait) nolui, quod . . . hæmorrhoides in tenellula ætate perrumpentes haud „provectiorem promittant ætatem; ſiquidem „mihi . . . . biga exemplorum conſtat, ubi „puella, quæ una rachitide laboravit, perpuſilla, & 5 annorum nata, deinde etiam „puerulus ex hoc præmaturo hæmorrhoidum „fluxu in atrophiam, miſerandam contractu„ram, & hecticam inciderant, quo arduo, & „morboſo ſchemate, etiam brevi occubuerunt" Vidit etiam J P. WAHRENDORFF (*b*) puſionem 4 ætatis anno hæmorrhoidum fluxum nactum, ac 7mo ætatis anno mortuum. Octennis quoque FISCHERI (*c*) puer ab hoc fluxu pallidus lanquebat, & MÜLLERI (*d*) ſexennis puſio hecticam inde præſeferebat diſpoſitionem. Interea tamen non omnibus infantibus perinde eſt inſalubris, ne dum funeſtus, quandoquidem bene multis nihil inde noxæ emerſit (*e*). Sic E. E. BERDOTI „puella „triennis, phthiſica matre nata, diarrhœamque

(*a*) Act. nat. cur. Vol. I. Obſ. 217.
(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 37. A. 1726. Julii. d. 4. art. 18. p. 137. ſqq.
(*c*) Vide §. 15.
(*d*) Vide §. 84. c)
(*e*) Act. Helvet. Vol. 5. p. 192.

„que menstruam catameniorum loco sæpius „experta ad annum ætatis 3tium tenuissimi „fuit corporis, habitus, cum insigni macie, „incipienteque scabiosa tabe. Mutato autem „per aliquot menses aere adhibitisque demul„centibus, leniterque nutrientibus ex C. C. „&c. evanuit scabies: pinquiori dein facto „corpore, sed subortis simul hæmorrhoidibus, „quovis ab eo tempore mense, præviis cor„poris lassitudinibus, crurum tarditate ad mo„tum, lumborum doloribus, &c. largius flu„entibus; pinquiori nunc, & egregie in ce„teris habente puella nunc fere sexenni.“

3. *Gravidæ* quoque habent, quod ab hæmorrhoidum fluxu pertimescant; quippe qui facile abortum post se trahat. Hinc HIPPOCRATES (*a*) „in uterum jam gerentibus „(ait), fluxiones serpentia oris ulcera cum „dolore excitantes, malum denunciant; in „his sanguinis per ora venarum profluvium „(hæmorrhois) pessimum.“ Significat enim hic status insignem sanguinis ab acrimonia inductam tenuitatem cum nisu ad hæmorrhoidalia vasa, hisque vicina: unde hæmorrhois adveniens præsagit & hæmorrhagiam uteri, non multo post affuturam, & abortum. At casus hic paulo est rarior; frequentissimæ autem hæmorrhoidalis fluxus in gravidis causæ,

---

(*a*) Coacor. Nro. 529.

ſæ, ſunt vel compreſſio ab utero feto venarum hæmorrhoidalium, vel plethora a catameniis tunc non fluentibus nata, vel ingeſta hæmorrhoides moventia, vel denique fluxus hic jam multo ante habitualis, qui ſtatis ſibi temporibus etiam ſub graviditate revertitur. In omnibus hisce fluxus hæmorrhoidum innocuus alias, alias vero periculoſus evadere poteſt, qua in re hocce ſtandum eſt canone: hæmorrhoidum fluxus placidus, moderatus, nec diuturnus in gravidis innocuus eſſe ſolet, contra vero magnis cum abdominis præſertim turbis (ut ſunt dolores, teneſmus, febris, &c.) ingruens, copioſus, diuve procedens, plerumque abortum cauſat, ut recte hæc M. ALBERTI (*a*) diſcrevit. Innocui fluxus hæmorrhoidalis in gravidis exempla jam ſuperius (*b*) in medium allata ſunt.

4. *Tenuitas acris ſanguinis* ut in hydropicis, diabeticis, hecticis, phthyſicis, ſcorbuticis, &c. ominoſum ſemper hæmorrhoidum fluxum inducit; quippe qui obortus mortem in propinquo eſſe ſignificet: ac proinde tunc ut cauſa, & ut ſignum malus eſt. Sic J. S. CARLII (*c*) „vir 40 annorum, me-
„lan-

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidib. gravidar. & puerperar. §. 6. p. 21. ſq.

(*b*) Vide §. 24.

(*c*) Commerc. Nor. T. 5. A. 1735. hebd. 15. p. 115.

„lancholico - ſanguinei temperamenti, ali-
„quamdiu dorſi, ventris, & ventriculi dolo-
„ribus ex congeſtione ſanguinis, & molimi-
„nibus hæmorrhoidalibus ortis vexatus, va-
„riis hinc inde corraſis, & propinatis calidis
„carminativis, & ſedativis tractatur; unde
„tandem tumor partium inferiorum, ſive asci-
„tes, & ſuperiorum partium contabescentia
„inſignis increscebat. Tandem ſupervenie-
„bat hæmorrhoidum fluxus largus, qui initio
„hydropem imminuere aliquo modo videba-
„tur; aſt nullo cum ſucceſſu, quoniam dein
„omnia fiebant pejora, morsque in propin-
„quo erat." Eundem exitum habuit c. F.
KÜHNII (*a*) literatus 45 annorum, aſſiduis lucubrationibus, epulis, vinoque, præſertim Gallico, deditus, qui biennio ante fractura cruris miſere decubuit. Cum is a 4. fere luſtris quotannis acidulas Pyrmontanas maxima cum euphoria uſurpaſſet, ab ultimum hauſtis inſolitam, nimiamque appetentiam, ac brevi poſt ſudores matutinos, ob conſuetos labores quandoque turbatos, tum rheumaticos ſcapularum dolores eſt expertus: quibus omnibus, ac tumori ſtatim ascitico - tympanitico mature V. Sne. catharticis, carminativis, diureticis, tonicisque obviam itum. Data igitur præter ⊖ catharticum Anglicanum reſina jalappæ in 🜄, ♌ carminativus de tribus ℞a

♁ii

(*a*) Nov. act. nat. cur. T. I. Obſ. 29. Nro. 3.

♁ii ♀sata, ſuccini, ♀ri; rad. ſcillæ, ari, vincetox. cum ſalibus amaris digeſtivis, & nitroſis, demum & lixivium bened. MYNS. &c. & aliquamdiu ſollicite continuata, draſticis quoque v. g. cort. med. ſamb. clanculum ſimul ſuggeſtis; unde urina, flatusque cum alvo affatim proceſſere, ſimulque in 4. dies fluxere hæmorrhoides ad aliquot libras, at ſine tumoris decremento, & conſtanti morbi levamine, quin potius acceſſit clangoſa tuſſis, dyſpnœa pene ad orthopnœam usque aucta, faſtidium ciborum, ſopor, pulſus intermittens, demum & penis, non item ſcroti, tumor, ſummæ præcordiorum anxietates, hæmorrhoides cœcæ, & ultra modum profuſæ, lotio vix guttatim ſtillante. His æger oppreſſus malis ſedens exſpiravit. Neque melioris indolis fuere varices hæmorrhoidales in ſene ſcorbutico J. G. ERNESTII (*a*) haud ita multo ante mortem tempore pullulantes.

§. LIV.

DESINUNT hæmorrhoides vel per inducias; vel in perpetuum, idque aut innoxie, aut metaſtatice, variis de cauſis, nimirum

1. *Spon-*

(*a*) Annal. Vratisl. A. 1724. Tent. 28. Maji. d. 2. art. 3. §. 4. p. 492. Tent. 29. Julii. d. 2. art. 3. §. 4. p. 42.

1. *Sponte natura* citra manifestam caussam. Sic J. C. STUNZER (*a*) plures novit, queis ante 15, aut 20 annos hæmorrhoides fluxere, abhinc vero non amplius, integra nihilominus valetudine. Novi & ego tales.

2. *Senium* vel maxime morbo hæmorrhoidali finem facere consuevit, ob humoris boni inopiam, vasorum rigiditatem, corporis quietem diuturnam, &c. „Hinc Amatus „(*b*) hoc morbo affectos notavit, quibus re„frigerato sanguine temporis successu, & æta„tis ratione sanguis ex se cohibitus; & recte „habebant.“ Contra ea LUDWIG (*c*) „noti „mihi (inquit) fuere egregio quidem corpo„ris habitu præditi viri, qui in ætate adhuc „vegeta inter 40. & 50um annum edendi cu„piditate excellentes sæpius largius, & victu „jurulento nutriti, vini boni potu; sed sæpe „ultra modum delectati in vacillante sanitate „ex hæmorrhoidibus non quidem stato tem„pore; attamen semper certo supervenienti„bus solatium haberent; hi vero omnes post „50um annum hæmorrhoides non amplius „experti hypochondriacis, vertiginosis, & in„terdum vere melancholicis affectibus excru„ciati fuerunt.“ Non impune certe C. T. BIER-

LIN-

(*a*) L. c. p. 103.

(*b*) Curat. medic. Cent. 5. Cur. 3.

(*c*) L. c. p. 407.

ZINGII (*a*) ſeni 65to ætatis anno hæmorrhoides fluere deſierunt, quæ antea 3tia vel 4ta quaque hebdomade fluxere; ſiquidem reſtitante fluxu dolores ſpinæ dorſi & inteſtini recti non mediocres ſemel, atque iterum eſt expertus. Ex his igitur liquet, ſenibus hæmorrhoidum fluxum deſinere alias citra noxam; alias haud perinde

3. *Febris* quoque ſuperveniens aut molimina hæmorrhoidalia abolet cum euphoria, dum ſtaſes ſanguinis reſolvendo, circulationis æquabilitatem reſtituit; aut fluxum jam habitualem ſupprimit non ſine inſigni, & ſubinde funeſta functionum læſione. Poſterioris eventus exemplum præbet ROLLII (*b*) ſartor; prioris autem luculentum caſum ſuppeditat P. H. VOGEL apud A. E. BÜCHNERUM (*c*): nempe ſenex 60 annorum ſanguineo-melancholicus, robuſtus olim, carnoſus, ſanus, multi cibi, ac potus, corpusque in dies movens, ante 7 annos moleſtam cardialgiam nactus eſt, mane vel maxime ante egreſſum e lecto, & a meridie aliquanto poſt cibationem cum anxietate crebrisque ructibus affligentem, quam remedia ...sa hauſta potius au-

(*a*) Theſ. Obſ. de cur. med. Obſ. 54. p. 712.
(*b*) Vide §. 55. Nro. 11.
(*c*) Miſcell. phyſ. med. A. 1730, Maji, d. 4, art, 6, p. 1081, ſqq.

auxere accerſendo maciem, angentem ſub motu æſtum cum ſudore, anxietates, dolores hypochondrii lævi, crebras alvi obſtructiones, ac multum mictum. Sub his autem ſemel, iterumque ſanguinis pauxillum poſt alvi egeſtionem apparuit, ac ſubinde ſub ſiniſtra mammilla moleſtiſſima preſſio, & in femoribus dolores percipiebantur. Hæc triennium durarunt aſſiduo, niſi quod interdum uſu pilul. balſam., ☿ antiſpasm., eſſentiarum roborantium e millefol., cort. ☉, caſcar., pimpin., & Væ. Sbus. in pede lenimen, nunquam autem plenæ induciæ ſequerentur. Fluxit quandoque alvus; quandoque ſcybala continuis aliquot diebus muco griſco incruſtata egerebantur. Anno 1723 intumuit lævus teſtis (varicocele eſſe cenſebatur): tumorem intra 3. hebdomadas abegere phlebotomia pedis, jura radice cichor. hort. alterata, & ♌us aperitiv: PENOTI. A. 1724. principio Junii inopinantem vehemens corripit podagra 14. dierum; at ſine priorum ſymptomatum levamine, affligente præſertim multa illa ſub mammilla preſſione. Poſtmodo autem aſſiduæ mutationes acciderunt, & lævi inprimis lateris metaſchematismi, affligente jam acerba odontalgia, jam otalgia, jam cephalalgia: his autem obtinentibus æger a cardialgia cum ructibus prorſus immunis vixit. Vigente autem ſub his omnibus appetitu, excepto podagræ tempore, macies nihilominus crevit cum inſigni virium jactura. Tandem A. 1729. poſt aliquot dierum laſſitudinem vespere quodam

dam per 2. horas exhorruit, ſequente magno æſtu & alterum usque in diem durante cum vehementi ſiti, anorexia, & pervigilio, donec ſiniſtro in femore eryſipelas magno cum tumore, acutoque dolore emerſit prioribus malis levamen afferens. Impatiens æger ſequenti vespere tumori applicat frigidiſſimam ſecalis farinam cum dolorum quidem imminutione; ſed mox a ½ nocte gravis colica, ac vomitus multis cum ſudoribus frigidis, tantoque capitis ſtupore, ac debilitate ſecuti, ut æger periturus timeretur. Injectum ocyus enema alvum aliquot dies clauſam reſeravit, minuitque anxietates, ac virium deliquium. Inde bezoardicis cum analepticis datis revocatum eryſipelas, tanta cum inflammatione, ut ſicco fotu gangrena fuerit prævertenda. Abiit illud in duos abſceſſus. Interea multi ſudores, qua calidi, qua frigidi magna cum debilitate, pulſuque debili, inæquali, ac ſubinde intermittente, & urina rubella ſemper, ſine ſedimento, obtinebant; donec ſanmaturi abſceſſus apperti, pusque inde ſanguini mixtum eductum inſigni cum levamine. Ulcera ambo intra 14 dies invito medico natura conſanavit. Abhinc ægri ſtatus ſic ſatis evaſit tolerabilis; ſudores tamen, utut parciores, nec frigidi, ſatis diu adhuc tremulo, & intermittente cum pulſu, & urinis crudis pergebant, debilitabant, ſanationemque morabantur, perſtante præſertim anorexia cum ructibus, ac pervigilio, diætaque non ſatis obſervata, dum æger fructibus, potuique frigido

gido indulgebat. Idcirco dato Ʒe tempe-rante nitrato cum ſacharo lactis, ac ſubinde julapiis acidulatis, hi ſudores intra aliquot dies minuebantur, & oborta ſponte diarrhœa moderata, lotioque turbido bonum ponente ſedimentum plane conquievere. Ex hoc tempore (7ma morbi hebdomade) omnia in melius vergebant, ſomnoque cum appetentia reverſis vires etiam in dies crevere, ac ſubordinata in melius diæta nec cardialgia, nec ructus deinceps redierunt, ægerque meliori, quam ante plures abhinc annos valetudine eſt gaviſus. Interea femora (crura forte), præſertim ſiniſtrum, cum in morbo; tum etiam poſt illum tumebant: quæ primum ſibi relicta, cum ſponte non ſubſiderent, poſt aliquot hebdomades ad uſum ♀ri ⊕lati cum ¼ ♁ii diaph. ♂lis, & eccoproticorum maxima pro parte detumuerunt. Ex hac obſervatione ſatis apparet omnia quæque ſymptomata fuiſſe e cenſu moliminum hæmorrhoidalium graviorum, quæ febris critica ſuperveniens auſpicato diſcuſſerat.

4. *Graviditas* etiam interdum hæmorrhoidales moleſtias ſubmovet. V. RIEDLINUS *(a)* narrat auri fabri uxori non multo poſt initum conjugium dolores hæmorrhoidum occepiſſe, quandoque ad convulſionum usque

(a) Curar. medic. millenario Obſ. 779.

que metum increſcentes, inſtantibus præſertim catameniis; aliquatenus autem lenitos, ubi quid ſanguinis ex ani venis excreviſſet, donec conceptus cum fluxu menſium dolores ſimul hæmorrhoidum ſuſtulit. Utrum vero reverſis a partu catameniis hæmorrhoidales etiam niſus redierint, operæ fuiſſet pretium adnotare.

5. *Pathemata animi*, præſertim ira, terror, metus, mœror, hæmorrhoidalem fluxum cohibere ſolent, at plerumque cum ægrorum detrimento, regurgitans enim aliorſum ſanguis infarctum aliis in organis producit, functionesque lædit, id quod LUDWIGII (*a*) in ebrio accidit, qui cohibito per iram fluxu in furorem incidit.

6. *Vulnera ani.* Occalescentibus nempe inducta cicatrice poſt ſanationem hæmorrhoidalibus vaſis, in poſterum geneſin varicum, fluxumque ipſum, hæmorrhoidum accidere non ſinunt, quod poſt operationem fiſtulæ ani pluribus eveniſſe conſtat, uti & poſt adhibitam uſtionem (*b*). Sic apud J. STORCH (*c*) vir cholericus teneræ compagis ex hæmorrhoidibus ani fiſtulam nactus eſt, qua ferro,

(*a*) Vide §. 104.
(*b*) Vide §. 137. Nro. 2.
(*c*) Obſerv. clin. ann. o. Junii. d. 4. p. 610.

ro, & ſectione curata, hæmorrhoides non amplius reverſæ, ſanguine ad pulmones converſo, hæmoptoeu, & ex hac phthiſin letalem intulerunt.

6. *Applicata* externa, diſcutientia, repercutientia &c., quæ plerumque regurgitationem ſanguinis ad alia organa morbosque illorum creant. Sic ab humido frigore ſubſtitit fluxus ſexagenario STAHLII (*a*), ab ſitu ani discutiente ſeni ALBERTII (*b*), & a ſuffitu adſtringente viro STORCHII (*c*).

7. *Ingeſta* adſtringentia, vel ſanguinem commoventia, vel ſpasmos abdominis, vel alias vacuationes cauſantia. ALBRECHTI (*d*) Eccleſiaſti frigidus potus; HOFFMANNI (*e*) autem præfecto militum, vini Pontak uſus hæmorrhoidum fluxum cohibuit, nihil autem promtius eundem ſiſtit; quam improvidus millefolii uſus (*f*).

8. *Vacuationes* aliæ vel ſpontæ obortæ, vel arte excitatæ ſæpiſſime non modo molimina, &

(*a*) Vide §. 55. Nro. 6. b)
(*b*) Vide ibid. Nro. 12. c)
(*c*) Vide ibid. Nro. 13. d)
(*d*) Vide §. 55. Nro. 7.
(*e*) Vide §. 95. a)
(*f*) Vide §. 84.

& varices hæmorrhoidales diſſipant; verum etiam ipſum fluxum compeſcunt, prævertuntque.

a) *Sudores* nocturni ſpontanei, plerumque molimina, & anomalias hæmorrhoidales averruncare conſueverunt; hinc etiam nunquam impune interturbantur. In Annalibus Vratislavienſium (*a*) virum 43. annorum ſanguineo-cholericum, in hæmorrhagias narium nunquam proclivem; ſed pleuritides in vomicam abeuntes ſæpius perpeſſum, & ſemeſtri quovis largis phlebotomiis aſſuetum, Decembri menſe tantus corripuit ſpinæ dorſi rheumatismus, ut præ dolore, velut ex palo a nucha ad pectus per longitudinem ſpinæ dorſi trajecto, incedere prono capite, & neutrum in latus convertendo cogeretur, non ſine pallore, ac frigore faciei, totiusque corporis, tum aliqua pectoris anguſtia. Ad frictiones 🜄 camphorato calido factas dolor ſemper inſigniter mitigabatur, & ſuccedentibus ſudoribus nocturnis demum penitus deſiit. At non multo poſt enati ſunt novi vehementiſſimi dolores in hypogaſtrio, modo in alterutrius jam dextri, jam lævi ureteris regione a tergo deſuper verſus inguina; modo in urethra; jam in perinæo; jam in unico hypogaſtrii punc-

(*a*) Tent. 22. Anno 1722. Decembr. d. 2. art. 1. §. 2. p. 631.

puncto, sed moræ transitoriæ, ac citra ullum vel alvi, vel lotii impedimentum. Cum æger nunquam aut calculo, aut nephritidi fuisset obnoxius, nec ulla vel muci, vel sabuli, calculive excretio accidisset, symptomata hæc non abs re ad hæmorrhoidum nisus videbantur esse referenda; præsertim cum dolores dicti etiam in ano sæpe fuerint oborti. Verum etiam hæc altera dolorum caterva pedetentim ad uberes noctu succedentes sudores conquievit, sine ullo alio morboso incommodo, ægerque ad pristinam rediit sanitatem. Magis vero mirum est, ipsum fluxum hæmorrhoidalem ad sudores nocturnos obortos in RIEDLINI (*a*) mercatore desiisse.

b) *Vomitus*. G. DETHARDINGII (*b*) vir sanguineo-melancholicus, succulentus, 40 annis major; hilaris, liberaliori hæmorrhoidum a fluxu liberari cupiens, emetico sumto protinus ejus expers evasit; at non impune: namque lapso sub diæta lauta, vinosaque, ac vita sedentaria semestri incidit in anorexiam, angustias ad præcordia, & œdema pedum. STEGMANNI (*c*) quoque civis huc est referendus.

Pty-

(*a*) Vide §. 55. Nro. 10.

(*b*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obs. 11. p. 48.

(*c*) Vide §. 60.

c) *Ptyalismus.* F. LOSSIUS (*a*) „novit „feminam . . . . circiter 40. annos natam, „gracilis, & parvæ ſtaturæ, ab aliquot annis „hipochondriaca affectione moleſtatam, quæ „diuturno hæmorrhoidum fluxu emacerata, „cum nihil proficeret Væ. Sbus., purgationi-„bus, longo ſyrupi chalibeati, & aliorum re-„mediorum . . . uſu, aſſumſit tandem . . . „12. gr ☿ dulcis, additis 4 granis reſinæ „jalappæ; a quo cum alvus ſemel tantum „commoveretur, eandem doſin, ſequenti die „repetiit; ſed alvo ab eo iterum ſemel com-„mota incidit in ptyalismum moleſtiſſimum „per 14. dies durantem, ut nil niſi mortem „exſpectaret. Fluxu tamen ex artis lege ſe-„dato, ſimul etiam ſedatum hæmorrhoidum „profluvium; quod tamen poſt plures ſepti-„manas potu aquarum Ebeshamenſium . . . „repullulavit, licet minori violentia."

d) *Phlebotomia* venarum ſuperiorum v. g. brachii, &c. Nihil ſane tam certo ſangui-nem a vaſis hæmorrhoidalibus avertit, flu-xumque inde compeſcit, ac prævertit; quam ſecta in brachio vena. Apud J. STORCHIUM (*b*) ſexagenarius quadratus, ac robuſtus ſub inordinatiſſimo regimine diætetico ſic ſatis tamen ordinatas hæmorrhoides multis annis ex-

(*a*) Obſ. med. Libr. 3. Obſ. 25.
(*b*) Obſ. clin. ann. 1. Mart. d. 1. Nro. 8. p. 37.

expertus incidit in ischiadem, quam suo consilio Væ. Sc. in brachio, præsente fluxu hæmorrhoidum aggressus, & ischiadem & fluxum sustulit. Hujus autem in locum successit assiduus tenesmus, cum exeretione materiæ albæ mucosæ, & subinde purulentæ, imo calculorum pisa, fabasque æquantium. Doloribus nunquam intermittentibus, & nec ½ horæ somnum concedentibus crura demum œdema inflavit ac per trimestre cum lunationibus jam increscens; jam decrescens tandem in plenilunio mortem attulit. Vir alius (*a*) 30. annis major ab adolescentia fere ad 30. annum crebris narium hæmorrhagiis, semper tamen levantibus, obnoxius, ex quo iis per aliquot annos caruit, multos flatus, ac borborygmos patiebatur, & a levissima causa diarrhœam, ita ut demum etiam hæmorrhoidum fluxum observaverit. Cum autem copiosæ ab aliquo tempore cerevisiæ potu plethoram sibi causasset, Væ. Sem. in pede celebrare statuit; sed chirurgus persuasit in brachio faciendam: a qua æger (forte ob instantem tunc hæmorrhoidum fluxum interceptum) continuo ventre male habere, tumereque cœpit, non quidem aquoso tumore; sed quasi glandulis induratis abdomen refertum esset. A corporis motu ocyus magnopere languebat non sine scotomia. Postmodo per 14 dies

sæpe

(*a*) Ibidem anno. 2. Oct. d. 4. Nro. 9. p. 467.

ſæpe colicæ, & pruritus ani infeſtabant. Larga idcirco Væ. Sio. in pede facta, ſanguine nigro educto. Poſtridie toto ferme corpore præſertim circa pectus, ac humeros, neſcio quos motus ſentiebat, qui cum hæmorrhoidum niſus eſſe viderentur, datum infuſum millefolii mane bibendum, & quandoque doſis pilul. lenium. A. Væ. Sne, remediisque pene convalescens cum repente excanduiſſet ab ira, in pectoris incidit oppreſſiones cum tuſſi. Datum ea propter.

℞. Ræ rhei ℥ß.
— ♀ ʒj.
Ol. aniſi ℈ß. M.

S. m. & v. gtt. 30. Unde ſenſim mitius habens non tamen ante ex toto convaluit; quam proximo vere, poſtquam multi in facie vari, per æſtatem numero aucti, effloruiſſent. Abhinc ſic ſatis recte valebat; ſed non ſine ciborum delectu, & menſura, nam a copioſis, vel crudis cibis, ſtomachi ſemper nascebatur preſſio. Tandem vero iterum ſeſe hæmorrhoides quandoque inſinuare cœperunt. Perinde apud M. ETTMÜLLERUM (*a*) „mulier „vegeta, & floridæ faciei, corpulenta, cete„ra ſana: indeque luxui dedita, ætatis præ-
„ter-

(*a*) Colleg. conſulat. Caſ. 13. opp. T. 2. P. 2. p. 164.

„terpropter 49. annorum, & quod excurrit, „conqueritur de dolore lumborum lancinante, „& gravative distendente, successive incres„cente, una cum intenso dolore ardente, ro„dente, & nonnihil pulsante in interioribus „podicis: hinc laboriosam dejectionem pati„tur in tantum, ut quoties eam exonerare „nititur; hoc cum summis fiat doloribus. „Accedit tunc extremorum tremor, phlogosis „& æstuatio ex præcordiis caput petens, cum „faciei rubore intenso, & largo sudoris per „frontem, & tempora defluxu. Patitur hæc, „quoties alvum liberat, istis prioribus pathe„matis continuo eam torquentibus. Medi„cus ordinarius varia ordinat interna & ex„terna; linimenta & fomenta, clysmata, ve„nam in brachio secat, &c. Levatur his ma„lum, sed supervenit difficilis respiratio, ita „ut quoties parum ambulat, vel aliquot „saltem scalas ascendit, spiritus nonnihil „intercipiatur, & libera respiratio impediatur „cum pulsatione sensibili in temporibus, & „pedibus. Molestissimo hoc malo aliquam„diu conflictata, & diversi mode tractata a „medico, illud pedetentim evanescit; sed „. . . redeuntibus istis prioribus in lumbis, „ano, & vicinis regionibus malis.“

§. LV.

§. LV.

INTERCEPTIO *hæmorrhoidum*, vel fluxu illarum cohibito, vel nisu ad anum eliso, multiplicia mala post se trahere, ipsamque aliquando mortem causare solet, præsertim si hæmorrhoides vel criticæ fuere, vel habituales. Ac fluxus quidem monente A. C. CELSO (*a*) „in quibusdam parum tuto supprimitur, qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt; habent enim purgationem hanc; non morbum: ideoque curati quidam, cum sanguis exitum non haberet; inclinata in præcordia, ac viscera materia subitis, & gravissimis morbis correpti sunt.“ Et narrante J. L. HANNEMANNO (*b*) „Pastor quidam . . . hæmorrhoidibus laboravit, &, si non fluerent stato tempore, ea symptomata pati solebat, quæ patiuntur mulieres in mensium suppressione.“ Quibus a causis, hæmorrhoides intercipi soleant; paulo ante ex ordine vidimus, mala autem inde nascentia cum infinita esse possint; tum præprimis illa esse solent, quæ molimina hæmorrhoidalia constituunt. Crebriora sunt

1. *Ver-*

(*a*) L. c. L. 6. C. 18. Nro. 9.

(*b*) Acta. med. Hafniens. Vol. 3. Obs. 18.

(*c*) Vide §. præcedent.

1. *Vertigo*, quam cum cephalalgia quodam in viro L. HEISTERUS (*a*) obſervavit. Perinde P. ALPINI (*b*) „Senator venetus pro„ximo anno a ſuppreſſis hæmorrhoidibus, „quas multos annos habuit, in affectum ſco„tomaticum incidit.“ Plures quoque inſignes vertiginis a reſtitantibus hæmorrhoidibus, & ad caput regurgitantibus caſus refert F. HOFFMANNUS (*c*): his adde matronam LANCISII (*d*), virumque TISSOTI (*e*).

2. *Inſania*, ut eſt melancholia præſertim, ac mania, &c. ut ex GALENO (*f*) ſuperius meminimus, id quod etiam ZACUTI in gravida (*g*), viro (*h*) ac juvene (*i*) eſt obſervatum, queis omnibus melancholicum delirium ex intercepto hæmorrhoidum fluxu, ac niſu accidit. Et H. LUDOLFF (*k*) „nota mihi ſunt

(*a*) L. c. Band. Nro. 578.
(*b*) Med. method. Lib. 2. p. 371.
(*c*) Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 4. C. 3. Obſ. 2. 5. 8.
(*d*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*e*) Vide §. 104.
(*f*) Vide §. 53. III. A. Nro. 2. f)
(*g*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*h*) Vide §. 116. Nro. 1. g)
(*i*) Vide §. 117. β.
(*k*) Diſſ. de utilitate fluxus hæmorrhoidalis (4to Erfort. 1721. Reſp. I. G. BREITHAUPT) §. 49. p. 23.

„ſunt (ait) ex propria obſervatione duo ex-
„empla melancholia hypochondriaca virorum
„affectorum, ex malo hæmorrhoidum pro-
„greſſu orta. Primus erat vir juvenis 28
„annorum circiter, admodum plethoricus,
„frequentibus narium hæmorrhagiis antehac
„obnoxius, a prima adoleſcentia vitæ ſeden-
„tariæ propter ſtudia aſſuetus; cui vitæ ge-
„neri cum magis, magisque pertinacius in-
„dulgeret, & motus voluntarios corporis
„parciſſime inſtitueret, corpusque, animum-
„que ſcrupulando, meditando, lucubrando,
„ac judicando eximie defatigaret, incidit in
„hæmorrhoidum externarum ſuppreſſionem,
„quibusjam aliquoties obnoxius fuerat, &
„hinc ſucceſſu temporis varias moleſtias preſ-
„ſorias, tenſorias in abdomine. Jungeban-
„tur his animi perturbationes, vigiliæ, in-
„ſomnia anxia, meticuloſa, & ubi affectus
„ſumme vigebat, vim ſibi inferendam confi-
„tebatur patiens: *es wäre ihm, als wenn er*
„*ſich immer ermorden müſſe.* Sed per DEI
„gratiam reſtitutus eſt. Alter patiens ſexage-
„nario major, cholerico-melancholico-ple-
„thoricus per multos annos hæmorrhoides
„internas bene fluentes expertus, hinc ſani-
„tate optima, ac laudabiliſſima per ætatem
„fruens, incidit in illarum plenariam ſuppreſ-
„ſionem, quam mox inſecuta eſt melancho-
„lia hypochondriaca cum furibundis aliquando
„ſymptomatibus ſtipata: hectica jungebatur,
„& mors poſt aliquot menſes vitæ finem fa-
„cie-

„ciebat." STORCHII (*a*) quoque mulier juvenis cholerico-melancholica, tempore hæmorrhoidum dolentium ira, litibusque assiduis fluxum illarum intercipiens, incidit inde vespere quodam in lypothymiam cum cardialgia & delirio. Mane hora 3tia datus ℥is e sale nitro, ac cinnabari cum levamine. Ad horam 5tam, cum faucium strangulatio denuo immineret, secta ocyus pedis vena, inducias fecit, & subjuncta ℞a fl. pap. rh. c. liqu. anod. min. ægræ pristinam sensim valetudinem reddidit. Alii vero a suppressis hæmorrhoidibus in graviora etiam deliria, ipsumque in furorem aguntur, ut ebrio LUDWIGII (*b*) evenit, & apud HIPPOCRATEM (*c*) dum „ALCI„PUS per ora venarum, qui in ano sunt, san„guinem fundere solitus curari vetabatur; „curatus insania correptus est, quæ febre „acuta succedente cessavit." Memorabilem etiam id genus casum F. HOFFMANNUS (*d*) narrat: „vir fere 50us ex suppressis per po„tum aquarum salubrium frigidum, & balnea „hæmorrhoidibus podagram, & malum hy„pochondriacum, & spasticum sibi contraxe„rat, & . . . me in consilium adscito . . . „multum levabatur, ut etiam hæmorrhoides, „quæ

(*a*) L. c. ann. 7. Martii. d. 4. p. 410.
(*b*) Vide §. 104.
(*c*) Epidem. Libr. 4. Nro. 43.
(*d*) L. c. T. 3. S. 1. C. 9. §. 18.

„quæ diu ſubſtiterant, redirent. Cum vero paulo largius fluerent, enixe a me petiit, ut profluvium compeſcerem, quod tamen conſtanter renui . . . ſed æger inde „magnum periculum, ac debilitatem metuens . . . ab extraneo medico me inconſulto medicinas fluxum ſupprimentes, quibus „opiata, & martialia immixta, impetravit, „iisdemque crebro uſus eſt. Jam pulcherrime „omnia ſuccedere videbantur; fluxus quippe „3tio die ſubſiſtebat, æger ambulabat ſanus, „nihilque damni metuebat, ac reſidua pharmaca per 4. adhuc dies ingerebat; ſed nocte „concubia letalibus opprimebatur ſymptomatibus, ac incredibiles primum præcordiorum „anxietates, inquietudinem, & atrociſſimos „ventris dolores perſentiebat cum arctiſſima „alvi conſtrictione, quæ nec clyſteres admittebat, tantoque erat vis morbi, ut omnia „antiſpaſmodica, cinnabarina, & clyſteres „oleoſos eluderet, ac 3tio die, poſteaquam „æger adhuc ira correptus eſſet, aphonia, delirio, & convulſionibus funeſtum ſortiretur „eventum. Facta poſtridie ſectione vidimus „cum ſtupore non modo inteſtinum rectum; „ſed & totum coli tractum in ſiniſtro latere „ita conſtrictum, ut digiti craſſitiem vix ſuperaret, ventriculum inflatum, & in quibusdam locis inflammatum, ejusque cavitati ſerum ſanguinis putridum innatans; reliqua „omnia viſcera bene conſtituta.“ Capitis ſectio non eſt conceſſa.

Perinde B. W. ROEDDERI (*a*) viro illuſtri hæmorrhoides cœcas perquam inflammatas, ac dolorificas nacto, cum interna temperantia, extusque unquentum de linaria cum oleo momordicæ in uſum ducta dolores non ocyus abigerent, agyrtæ conſilio unquentum de lithargyrio illitum, eos continuo ſuſtulit; ſed poſtridio phreniticus factus æger adeo furebat, ut rabidi canis inſtar circum ſe omnia morſu imperceret, ac larga licet Væ. Sne. facta, 3tio die exſtinctus eſt.

3. *Apoplexia.* TRAJANUS Imperator, ita id e D. CASSIO referente XIPHILINO (*b*) „a repreſſo ſubito ſanguine, qui quotannis „ipſi per inferiora ſecedebat, in apoplexiam „incidit adeo, ut pars quædam corporis inde „reſoluta eſſet; tandem autem in univerſum „hydropicus factus periit“ Haud ſecius J. G. BOETICHERI (*c*) „vir robuſtus 48 anno„rum ſartor, & civis Hafnienſis opulentus, „temperamenti cholerico - ſanguineo - melan„cholici, animi moroſi admodum, invidi, & „iracundi, ut a leviſſimis cauſis vehementer „commoveretur, ex improviſo, cum a medicaſtro

(*a*) Abhandl. über F. HOFFMANN von der gewiſſen Vorherſagung des Todes in Krankheiten. §. 15. Anmerk. p. m. 70. ſq.

(*b*) Epitom. hiſtor. p. 350.

(*c*) Act. nat. cur. Vol. 6. Obſ. 40.

„castro . . . hæmorrhoidum fluxus, quem
„singulari naturæ beneficio utpote plethori-
„cus, & per multos annos hypochondria-
„cus, ordinate hactenus expertus fuit, ad-
„stringentibus eidem suppressus fuit, apople-
„xia satis vehementi non tamen prorsus fune-
„sta corripiebatur, quæ dein adhibitis con-
„venientibus remediis in dextri pedis paræsin
„degeneravit, hacque quoad maximam par-
„tem sublata tanta tendinum istius pedis sub-
„sequebatur rigiditas, ut sine summa mole-
„stia incedere, & obambulare haud potuerit.
„Oculi ipsius inde notabiliter minores evase-
„runt, & intro quasi acti apparebant, hinc-
„que torvus omnes semper intuebatur ob-
„vios. Intemperantiæ admodum erat dedi-
„tus; ideoque, quando vino inebriatus erat,
„sæpenumero, & tantum non semper epilep-
„siæ paroxismo graviter tentabatur. Acidu-
„lis, & thermis Pyrmontanis . . . usus qui-
„dem fuit; sed magno cum detrimento: si-
„quidem . . . . tendinum, & nonnullorum
„musculorum pedis rigiditas incrementum
„non exiguum cum frequentius recurrente pa-
„roxismo epileptico postmodum cepit; qui
„antea, tametsi sæpius mero oneratus fue-
„rit, non adeo vehemens, frequensque fue-
„rat. Ad historiam morbi paulò accuratius
„concipiendam recordari non pigebit, quod
„priora pathemata hypochondriaca cum aug-
„mento mali potissimum consistere deprehen-
„derim in copiosis doloribus spasticis, circa
„hypochondrium præcipue sinistrum, sese ex-
„seren-

„ſerentibus, moleſtiſſimo flatuum proventu,
„intumeſcentiam ſæpius renitentem efforman-
„te, & ad ſuffocationem usque cum frequen-
„ti tuſſi ſicca, urgente, borborygmis multis,
„tormentis colicis fere ſimilibus, ſtrictura
„gulæ atroci & frequenti, cardialgia dira, &
„pertinaciſſima alvi obſtructione, quorum om-
„nium intuitu ſolum phlebotomiam in pede ſi-
„niſtro inſtitui curavi, ſed & medicamenta
„appropriata, ac ad hæmorrhoidalis fluxus
„revocationem congrua exhibui: quibus etiam
„morbi ferocia aliquatenus quidem mitigata
„fuit; ſed hæmorrhoidum beneficium nondum
„conciliari, vel reparari, multoque minus
„morbus tam inveteratus eradicari poterat.
„Hinc fluidorum dyscraſiam tollere niteba-
„mur, remediis alterantibus, cacochymiam
„bilioſo - acido - craſſam, viscidam in primis
„viis, & meſenterio ſtabulantem incidentibus,
„præcipitantibus, abſtergentibus, & evacuan-
„tibus, vitia hepatis corrigentibus, prima-
„rum viarum pariter, ac reliquorum abdomi-
„nis viſcerum ſpaſticam ſtricturam tollentibus,
„atoniam autem externarum partium auferen-
„tibus, easque roborantibus, porro menin-
„gum cerebri læſam oscillationem, indeque
„dependentem totius ſyſtematis nervoſi, &
„omnium membranarum, fibrarumque motri-
„cium partim irregularem contractionem ſpas-
„modicam; partim etiam atoniam emendan-
„tibus, & quidem in forma decoctorum, in-
„fuſorum, eſſentiarum, pulverum, & pilular.
„non neglectis externis tonicis congruis ex
„ſpi-

„spirituosis, oleosis, & balsamicis paratis, ac „subinde applicatis: hisque omnibus tandem „obtinuimus, ut pedis rigiditas non modo a „pristino rigore multum remiserit; ægerque „passim in civitate obambulare, suaque offi„cia exequi potuerit; sed & paroxismus epi„lepticus mitior evaderet, rariusque recur„reret, quin & pathemata hypochondriaca „leniora persentiscerentur. Pulsus dextræ „manus interim durus, inæqualis, sæpe ce„ler, sæpeque intermittens observabatur. Quo„niam vero dissoluto, & inordinato vitæ ge„neri, intemperantiæ, gulæ, & iracundis com„motionibus nimium indulgebat, atque ab „hisce vitiis . . . . abstinere noluit, apople„xia tandem . . . . subito exstinctus fuit. „Hoc vero præsagium eo certius confirmare „potuit eventus, quo manifestius jam erat, „quod ob incrementum contractionis oculo„rum, dolorumque pedis, & occipitis spasti„corum, quin etiam ex levi quacunque oc„casione recurrentem epilepsiam, & pertina„citer continuantem morbum inveteratum ab„dominalem, depravata denique fluida, & pro„stratum solidorum tonum totius machinæ „ruina proxime jam jam immineat.“ Perinde LANCISII (*a*) matronæ subsistens hæmorrhoidum fluxus apoplexiam, & apoplecticum quid HAENII (*b*) ægro attulit. Soporosa inde

HOFF-

(*a*) Vide §. 115. Nro. 3. (*b*) Ibidem.

S

HOFFMANNI (*a*) vidua facta est. Apte huc etiam J. STORCHII (*b*) casus referri potest de cholerico 50 annis majore, praecocis irae, & ad haemorrhoides proclivi, qui finiente Martio 1729. crurum lassitudinem, & memoriae imminutionem questus, retulit se ante 4 hebdomadas baryecoiam, & amblyopiam, ac paulo post anorexiam experiri coepisse, & post 14 dies Vae. Sem. in brachio subiisse sine levamine. Suspicatur Auctor haemorrhoides vehementi ira fuisse suppressas, & ad caput regurgitasse, huncque sanguinis nisum Vae. Sne. brachii evasisse pertinaciorem. Frustra autem fuit omnis ad revocandas haemorrhoides conatus: hirudines ano admotae, Vae. Sio. in pede circa aequinoctia, ac solstitia facta pilular. BECCH. & ☿ antispasmod. assiduo fere usus, tum aquae amarae, ac Liebsteinensis potus nihil opis attulere. Quamvis enim appetitus, visus, auditusque aliquatenus redierint; memoriae tamen labes mansit eadem. Exacto sic incassum fere anno aeger ab aliis etiam opem poposcit, successu nihilo meliore. Tandem 1731. obiit, postquam ultimo vitae semestri rationis, memoriaeque prorsus impos evasisset. Funestiorem isto etiam historiam litteris prodidit, G. E. SCHMID (c) de

---

(*a*) Vide §. 119. Nro. 5.

(*b*) L. c. ann. 7. Mart. d. 4. p. 86.

(*c*) Diss. sistens virum apoplexia exstinctum ab haemorrhoidum inconsulta suppressione 4to Altorfii 1723.

de viro aulico, 40. annum egreſſo, vinoſo-
que, qui ducta uxore juvencula incidit in
uberem, diutinumque hæmorrhoidum fluxum.
Accitus veteranus medicus idoneis remediis,
ac diæta convenienti id præſtitit, ut ſanguis
nec tanta jam copia, nec quotidie excerne-
retur, parumque abeſſet, quin fluxus ad men-
ſtruas redigeretur periodos. Sed feſtinatio
uxoris virum perdidit. Clam illa ab alio me-
dico remedia fluxum cohibitura adferri jubet,
(in MRa. ſapore ⊕ ♂, ac terra catechu,
odore etiam opium detectum), queis per 2
vel 3 dies uſurpatis ita omnia e voto pro-
ceſſere, ut æger ultimo convivio amicos ad-
hibens abitum domum pararît; ſed nocte in-
ſequente æger repente aphonia, convulſivo
ſuperiorum artuum tremore, ac ſtertore cum
ſpuma oris correptus anum inſuper tam arcte
conſtrictum habuit, ut enema non admiſerit.
Paulo poſt exſpiravit. Thoracis, abdominis-
que viscera omnia ſecundum naturam reperta
ſunt; ſolum inteſtinum rectum, ac potiſſima
ſui parte colon usque adeo viſebantur con-
ſtricta, ut craſſitiem auricularis digiti vix mul-
tum excederent. Harum partium vaſa ſan-
guinea protſus vacua fuere; ſed in tenuibus
inteſtinis bina erant loca ſanguine referta, ac
velut inflammata. Sectio capitis non eſt con-
ceſſa. In ultimo illo convivio cum vino æger
abſtinuerit, ciborumque parum admodum aſ-
ſumſerit, ut a morte etiam ventriculus & in-
teſtina docebant; cauſa mortis non cibis aut
vino, ſed cohibito repente fluxui tribuenda

eſt. Si non idem, ſimillimus certe eſt caſus hic illi, quem ex HOFFMANNO ſuperius (*a*) dedi.

4. *Paralyſis* vel ex apoplexia, vel per ſe, eaque vel partialis, vel alterutrius lateris HIPPOCRATES (*b*) „ex venis in ano (ait) ſanguinem fundere ſolitis aliquantum apparentibus tenebricoſæ vertigines obortæ parvam, „ac ſenſim factam partium reſolutionem indicant; ex quo liberat Væ. Sio. & quidquid „hujusmodi apparere ſolet, mali aliquid denunciat.“ Apud HILDANUM (*c*) „ſeptuagenarius quidam . . . a multis annis, ſingulis menſibus fluxu hæmorrhoidum laboraverat, cum vero tandem in decrepita ætate, „& in hyeme ſuppreſſus eſſet fluxus, & æger „vernum tempus expectaret, ut eas aperiri „operam daret, en quadam die poſt prandium, cum rotam molæ circum volventem „attente inſpiceret, vertigine primo, mox „quoque paralyſi dextri lateris correptus fuit. „Ego cum . . . hæmorrhoidales venas aperuiſſem, ſuppreſſas enim eſſe probe ſciebam) „brevi ipſum reſtitui; quod alioquin in decrepita hac ætate, & tempore frigidiſſimo „vix fieri potuiſſet.“ J. D. GOHLIUS (*d*) narrat

(*a*) Vide præced. Nro. 2.

(*b*) Coacor. Nro. 346.

(*c*) De valetudine tuenda opp. p. m. 645.

(*d*) L. c. dec. 2. vol. 1. ſect. 1. p. 29. ſq.

rat medicum melancholico-cholericum 56 annorum ex motu hæmorrhoidum externarum nephriticum calculoſum, aliquamdiu hæmaturia, & iſchuria laborantem (quæ mala periodice affligebant), ſpreto Væ. Snum. prophilacticarum conſilio, tandem poſt modicam, ſed inſuetam vini Hungarici potationem in laſſitudinem cum preſſorio intra frontem dolore, tum balbutiem, frigus, ac denique hemiplexiam incidiſſe, urina, quæ hactenus diu, aſſiduoque cruore miſta erat, ſanguinis omnis experte facta, & 9no morbi die vera apoplexia obiiſſe.

5. *Spiratio difficilis*, ut dyspnœa; quam cum tuſſi ſunt experti PLENCIZII (*a*) vir, & tinctor WEISZII (*b*); anxietates aſtmathicæ, ut in GENSELII (*c*) viro; ſuffocatio orthopnoica, quam ad leviorem etiam corporis motum perpetiebatur STAHLII (*d*) vir; &c. Horum etiam numero accenſenda venit, STORCHII (*e*) ægra, quæ cohibito magnis doſibus ∇æ Japonicæ fluxu in ſpirationis difficultatem incidit

(*a*) Vide §. 115. Nro. 8.
(*b*) Vide §. 124.
(*c*) Vide §. 62. b)
(*d*) Vide §. 84. c)
(*e*) L. c. ann. 5. Januar. d. 4. §. 3. p. 25. & von den Krankh. der Weiber. 8. B. Caſu 48. p. 199.

cidit. Maxime autem dignus memoria eſt caſus, quem G. E. HERMANN (*a*) obſervavit: vir 48 annorum, robuſtus, ſanguineo-cholericus, in juventute crebras narium hæmorrhagias cum cephalalgia, & ſubinde ſcotomia vertiginoſa pati ſolitus, Væ. Sbus., ac pediluviis ſemper ab his liberabatur. Poſtea laborioſam cum aſſiduis itineribus vitam amplexus 7 fere annis ſaniſſimus vixit. Anno ætatis 31mo ditiſſimam nactus uxorem cum opipare, ac otioſe vivere cœpiſſet, obeſus, pletoricusque evaſit: unde anxia inſomnia, facies ruberrima, gravitas, ac laſſitudo artuum, vertigo, perfrictiones crebræ cum dyſpnœa. V. Ses. cathartica iterata, temperantia, diæta ſeverior, & corporis motus priſtinam reſtituerunt ſanitatem. At cum poſt aliquot annos in curis, ac mœrore minus iterum corpus moveret, ex improviſo incidit in ſpasticos dolores tenſivos circa ſtomachum præſertim, & hypochondria. Tandem neſcio qua ſenſatione in ano prægreſſa paucis poſt diebus completo 39vo ætatis anno, furentes hæmorrhoides enatæ ſunt, quas cum ſacculi herbarum reſolventium cum camphora, ſuffitus, et unquent, de linaria diſcutere nequirent. Auctor ſequens ſibi ſæpe expertum adhibuit remedium

℞. Mu-

(*a*) Primit. phys. med. Polon. Vol. 3. p. 55. ſqq.

℞. Mucil. sem. cyd. ▽a. sperm. ran. extr. ℥j.
V̄ camphorati ʒij.
Sach. ♄ni. ʒj.
Vitell. ovor. Nro. 1.
Olei. rosar. ℈j.
Terebinth. pauxillum.

Interna data eccoprotica, & antiphl. temperantia. His æger prorsus convaluit, & abhinc sub ordinato dein hæmorrhoidum fluxu plures annos recte valuit, donec 45to ætatis anno post iram rediisset morbus cum sævo ani dolore. Hic sibi sine remediorum usu relictus nocte quadam disparet, ægerque astthmate corripitur: Mane coryza, tussisque urgent, exscreat viscida. Secta in pede vena, pediluvia, & enemata crebrius, adhibita tumorem aliqualem in ano revocarunt, cui ocyùs hirudines admotæ. Ab his spirandi rediit libertas. Verum factis licet ad æquinoctia phlebotomiis, ac pediluviis, idoneisque remediis internis usurpatis, ex lævi tamen causa renascebantur hæmorrhoides cœcæ, hasque consequebatur humorum ad pectus congestio; integris quidem cum viribus; tum appetentia. Horum æger impatiens opem alius medici implorat. Mittit iste pilulas ☿les, cinnabarinas, essent. varias ♂les, nec non species limaturam ♂tis continentes, prò decocto aquoso m. & v. hauriendo. His remediis, dissuadente licet Auctore, per triduum usurpatis corripitur totius corporis tremore, palpitatione cordis, sibilo pectoris, aurium susur-

susurro, & aliqua mentis emotione. Abjectis ergo his remediis enemata, ac lenientia remedia morbum abegere, ægerque iterum convaluit; nisi quod ad finem usque 47. anni sæpe revocarentur hæmorrhoides cœcæ, & humorum ad pectus congestio. Tandem dum ob insignem calamitatem domesticam ira ingenti exarsisset, quo tempore tumebant hæmorrhoides, repente palbutie & amnestia corripitur, lapsuque temporis tanta memoriæ jactura secuta est, ut præteritorum vix recordaretur; præsentia vero cum impotentia loquendi proferret, salvo tamen judicio. Cassus fuit omnis labor in obtinenda humorum ab encephalo revulsione, nec hæmorrhoides amplius seu cœcæ, seu fluentes redierunt. Post exactas ita 18 hebdomadas repente dolores spasmodici ventrem, pedesque invaserunt, in dies increscentes cum pressione ad scrobiculum cordis, & alvina abstructione: quo facto post 8 dies pristina rediit & loquendi, & reminiscendi facultas; verum succedebat pedum tumor, insomnesque noctes extra lectum ducebantur. Sub initium quartæ hebdomadæ suffocatio coorta brevi mortem intulit. Felicior isto fuit J. STORCHII (a) vir corpulentus, 34 annorum, ictero colicæque alias obnoxius, & ab restitante fluxu hæmorrhoidali asthmaticus factus, quem tamen

(a) Obs. clin. ann. 8. Julii. d. 4. p. 545.

tamen auctor idoneis remediis pristinæ restituit sanitati. In annalibus Vratislaviensium (*a*) vir juvenis 20. annis major, patre podagrico, matreque calculosa prognatus, post multas narium in pueritia hæmorrhagias, dein ex peregrinatione, ubi gravi febre acuta continua decubuit, redux uberem, ac per 3. annos fere quotidianum hæmorrhoidum fluxum nactus est, ægre, nec nisi variis tentatis cohibendum; cujus in 3tium jam abhinc annum non reversi locum varia capitis, pectorisque mala sensim successerunt, ac tandem etiam gravis raucedo, & paryecoia supervenit.

6. *Febres* omnis generis, videlicet

a) *Acutæ continuæ.* H. LUDOLFFI (*b*) vir macer, plethoricus, 40 annis major, vitæ sedentariæ ob studia deditus, internasque hæmorrhoides jam sæpius non sine insigni euphoria perpessus, cum aliquando fluxum earum profusiorem nactus fuisset, medicus illum simul, ac semel suppressit. Quo facto secutæ gravissimæ circa præcordia angustiæ, ac febris acuta, cum multa mentis perturbatione, quam post paucos suppressionis dies mors excepit.

Per-

(*a*) Tent. 23. A. 1723. Mart. d. 2. art. 1. §. 2. p. 260.

(*b*) Diss. cit. §. 39. p. 23.

Perinde STAHLIUS (*a*) „in ſemina illuſtri hæ-„morrhoidales protuberantias, etiam externas „per aliquot annos adfuiſſe meminit, quibus „denique reſiccatis, mulierum conſilio, & „auſu perſona ipſa cum febre acuta epidemia „corriperetur, facta metaſtaſi ad ſplenem 7mo „die nigra copioſe vomuit, & mortua eſt. Ha-„bitus erat valde ſanguinei, mollis, teneri, „ſtatus plethorici, aliquoties abortibus in-„feſtata.“

b) *Chronicæ* lentæ, hecticæ, intermittentes. Ita refert A. MARCELLINUS (*b*) e vivis exceſſiſſe VALENTIANUM Imperatorem, „arefactis ideo membris, quod meatus ali-„qui, quos hæmorrhoidas nunc appellamus, „obſervati ſunt gelidis frigoribus concruſtati.“ Meminit & STAHLIUS (*c*) ſenis 60. annis majoris, robuſti, ac hæmorrhoidarii, qui humida, turbulentaque hyeme incidit in hæmorrhoidum ſuppreſſionem, indeque in pathemata colica, convulſiva, aſthmatica, inflationem ventris, cum nauſea, & anorexia; queis paulo poſt, cum nil niſi potulenta ſumeret, febris lenta ſe jungens hominem confecit. Haud multum ab hocce abludentem caſum.

J.

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoid. internar. motu. Cap. I. p. 5.

(*b*) Lib. 30. p. 427.

(*c*) Colleg. caſual. magn. Caſu 14. p. 181. ſq.

J. D. GOHLIUS (*a*) deſcribit & LUDOLFFI (*b*) quoque ſenex a ſuppreſſis hæmorrhoidibus in melancholiam, febremque hecticam letalem eſt prolapſus. Hujus quoque loci eſt, J. P. WOLFFII (*c*) obſervatio: conſiliarius 72. annum agens, gracilis, cholerico-melancholicus, inde a juventute motui corporis, præſertim equitationi deditus, ſanus, morbosque quosvis facile ſuperans, ab his demum, & aliis gravioribus, oborto ſponte ſat largo, at ordinato hæmorrhoidum fluxu ad ſenium usque immunis præſtabatur. Tunc vero a vita ſedentaria fluxus ſponte iterum deſiit, integro licet appetitu. Lapſo ita ſemeſtri, accedente item 6ta Octobr. gravi corporis perfrigeratione, & ira vehementi, ſenex ſubito horrore corripitur, dein æſtu cum tuſſi, viriumque & appetitus jactura, contumaci alvi adſtrictione, tumore ventris flatulento, ac dyſpnœa. His inſuper ſe junxere preſſorius pectoris, & ventris dolor, difficilis tenaciſſimi muci multo ſanguine grumoſo miſti expectoratio, virium in dies major lapſus, carnium inſignis extenuatio, urina ſaturate rubra, pulſusque celer, ac debilis. Alvo enematibus non obediente crevit morbus, febrisque 12a Octobris jam pro marasmode habe-

(*a*) L. c. dec. 2. vol. 1. ſect. 2. p. 61. ſqq.
(*b*) Vid. præced. Nro. 2.
(*c*) Act. nat. cur. Vol. 9. Obſ. 16.

habebatur. Accitus tunc Auctor potui dat aquam $\frac{1}{4}$ vini boni, & pauxillo elæosacchari citri acuatam assiduo, affatimque bibendam ad mucum, & alvum solvendam, æstum temperandum, ac vires erigendas. Ad dolores, flatusque dissipandos data hæc:

℞. Empl. carmin, SYLV. ℥ß.
Ol. bacc. lauri expressi ʒij. M.

Applicetur super ovali aluta ventri. Porro

℞. ♌ carminat. de tribus ʒij.
Liquor. anod. min. ℈j. M.

Sumat ante prandium & cœnam gtt. 40. in potu. Pro facilitandis sputis, & dypnœa præscriptum

℞. ⊕ puri.
♀ri ⊕lati ā ℈j.
Cinnab. nat. gr. xv.
Liquirit. coct. ʒj.
Ol. stillat. fœnic. gtt. iij. M. F. ♁.

S. m. & v. 1/3 ex infuso theæ cum semine badianæ. Porro

℞. ▽æ. rosar. & buglofs. ā ℥ij.
— cinnam. cydon.
— veron. ā ℥j.
Flor. benzoes.
Cinnab. nat.
♁ rad. irid. florent. ā ℈j.
Oxymel scillit ℥ß. M.

S. alternis horis cochl. ij. Nox placido somno transacta, & 13a Octobr. melius habuit, pulsu facto tardiore, animo hilariori, levatisque symptomatis. Post insomnem autem noctem die 14a rursus debilitas erat major, siccissimum os, ac pulsus celerior. Prioribus ergo addita:

℞. ℥ irid. florent.
— glycyrrh. āā ʒj.
Confect. alkerm. incompl. ℥ß.
Sachar. canar. ▽a. cinnamom soluti ℥jß.
Clyssi ℥ii ♀rati q. s. ad grat. acorem
F. l. a morsuli ad siccitatem tollendam
℞. ♎ lil. convall.
— Lavend.
— Matricar. āā ʒij.
🜄 camphorati ℥ß. M.

Ope quadruplicati lintei applicetur vertici, ac temporibus. Nocte inde placido somno exacta, sub diluculum diei 15æ nova inquies, pulsus celer, siccum os, æstus cum siti major, pectoris pressio, difficilia sputa, variæ a flatibus molestiæ, & dysuria. Renovatum ergo in ventre emplastrum; thoraci vero impositum calidum cataplasma e cepis in oleo olivarum frixis, & dysuriæ causa data MRa.:

℞. ▽æ. cerasor. nigr.
— hyssopi sine vino āā ℥jß.
Sem. lycopod. ʒß.
⏀ depurat. ℈j.
Syrup. papav. rhœad. ʒiij. M.

S. ſæpius cochl. ij. Ab his die 16a omnia ſymptomata emendata, lotiumque facile miſſum, copioſum, turbidum, ponens paulo poſt ſedimentum roſeum, ac furfuraceum, donec die 19a evaſit naturale, conquiescente febri, reverſoque appetitu. Solis ergo nunc primis viis tonus reſtituendus ſuperfuit. Idcirco in prandio vini puri modicum conceſſum; reliquo tempore aqua vino anatice miſta cum elæoſacch. citri Data MRa. tonica:

℞. ♃æ. ♂ii ♀ſatæ.
Eſſent. ſuccin. āā ʒij.
— Centaur. min. ʒj. M.

S. ter de die gtt. 40. Die 24ta tantæ jam vires, ut ½ die æger lectum reliquerit. Nocte tota dormiit. Ad ſaburram, ſi quam forte plenior victus cauſaſſet, data potio:

℞. M. P. balſamicar. gr. xv.
♀ri. ⊕lati gr. viij. ſolve in
▽æ fl. acaciæ ℥j. Adde
Syrup. fl. perſicor. ʒj. M. D. mane pro hauſtu. Cum nil præſtaret, circa meridiem ſubjunctus ♂ ex infuſo theæ:

℞. ♂ rad. jalappæ gr. x.
⊖ Epſomens. ʒj. M. D.

Ab hoc octies dejecit cum levamine, ac ſub prima mox ſcybalorum egeſtione hæmorrhoidum fluxus ultra ſemeſtre jam ſuppreſſus eru-

erupit, & in triduum duravit cum ea euphoria, ut nihil e morbo ſuperfuerit, præter alvum ſegnem, & flatulentiam, quæ poſt aliquot dies redibant. Hinc ceſſante fluxu ad alvum liberam ſervandam præſcriptum

℞. Fibrar. rad. hellebor. nigr.
Rad. liquirit.
Polypod āā ʒij.
Fol. S. S. S. ʒvj.
Herb. meliſſ.
Herb. epithym. āā M. j.
Agarici. albiſſ. ℈iij.
Sem. fœnic.
— aniſi āā ʒj. M. conciſa, contuſa, & per aliquot dies quovis mane ʒij. in aquæ fervidæ ℥viij. infuſæ D. U. tepide, addito, ſi lubet, ſaccharo. Quotidie inde aliquot dejectiones cum euphoria. Mirum autem, ante fluxum hæmorrhoidis ptyaliſmum ſponte accidiſſe, & ultra octo dies innoxie duraſſe, forte a morſulis; donec a ſequenti remedio deſiit:

℞. ℞æ. ♁ii ♀ſatæ.
Eſſent. cort. cascar.
♎. ⊕. dulcis āā ʒij. M.

S. ter de die gtt. 40. Cum autem æger appetitui largius indulgens. Sine corporis motu, quem inclementia cœli morebatur interdum a paſtu languorem, ac flatus pateretur. diæta parcior imperata ſub uſu ſequentium remediorum.

℞. ℞æ. ♂. hellebor. WEDEL.
Eſſent. centaur. min.
— — trifol. fibr. āā dr. ʒij. M.

S. ante prandium, & somnum gtt. 40. ex vino. His convaluit, fluxu hæmorrhoidali denuo ordinate, ut prius, statis temporibus procedente.

7. *Alvus clausa* nulla interdum arte humana referenda, id quod vel insuperabilis intestini recti, anique spasmus, ut in HOFFMANNI (*a*), ac SCHMIDII (*b*) ægris anatome a morte detexit, & in BEHRENSII (*c*) literato perinde forte locum habuit, efficit; vel certe abolitio cavi in ano a vasis, & glandulis recti e cohibito sanguinis effluxu tumentibus, præsertim, si & siccitas intestini recti, & scybalorum simul durities ad id concurrant. In Annalibus Vratislaviensium (*d*) plethoricus quidam ab hæmorrhoidibus multas ad superiora regurgitationes passus, iræque admodum deditus, neglecta Væ. Snc. autumnali, ventris repletionem, tensionemque pati cœpit; inde ioda, & febre acuta inflammatoria cum singultu non compescendo, ac tanta alvi obstructione laboravit, quam nec enemata acria, salina, lixiviosa, nec cathartica, nec nitrosa, digestiva, diluentia, aliaque idonea data, nec

(*a*) Vide §. 55. Nro. 2.
(*b*) Vide ibidem Nro. 3.
(*c*) Vide §. 51. B. a) Nro. 1. δ.
(*d*) Tent. 22. A. 1722. Novembr. d. 2. art. 1. §. 4. p. 495.

nec externa vel emollientia, vel discutientia, camphorata reſerare poterant, ægerque demum inde periit. Sic etiam, referente J. B. ALBRECHTO (*a*) „verbi divini miniſter 60. „ferme annorum ſub menſis Februarii finem „a. c. benigniſſimum experiebatur fluxum (hæ„morrhoidum). Cum autem una cum quibusdam „amicis in convivio poculum vini valde fri„gidum hauſiſſet; alioquin ſatis tenax diætæ; „excretio ſtatim turbabatur, quam ut promo„veret, ſtatim, neſcio quas, pilulas abſorp„ſit, quæ, ut eas guſtavi, maximam partem „erant aloeticæ. Ubi etiam poſtridie in ve„hementi illius temporis frigore cultui DEI „publico vacabat; inde autem magis ægres„cebat; ut illius finem facere cogeretur. „Loco autem quæſitæ evacuationis . . . ta„lis alvi obſtructio ſequebatur, ab intumes„centia inteſtini recti, ut ea nullo modo nec „per clyſteres repetitos, nec fomentationes, „nec V. Snem. in pede, nec interna nitroſa, „antiſpasmodica, & reſolventia, diſcutientia „tolli poſſet, ſed die tandem 12mo mors ſe„queretur. Monendum tamen eſt, obſtructio„nem quatridum jam duraſſe; antequam re„media legitima quærerentur; cum interim „varia tentamina non defuiſſe videantur, qui„bus ægroti ſtatus facile deterior reddi po„tuit

(*a*) Commerc. Nor. T. 10. A. 1740. hebd. 38. p. 301.

„tuit." Neque isto felicior fuit s. REISELII (a) faber ferrarius, robustus, 30. annis major ultra annum hæmorrhoidum fluxu gavisus, qui illi ligna in flumine colligenti ab aquæ frigore non multo post substitit cum tanta simul alvi difficultate, ut ani speculo aperienda fuerit, per quam modo purulenta egesta cum torminibus doloribusque; modo alvus plures dies clausa cum crebro tenesmo, donec lapidea scybala globulosa (lapides reapse domesticis credita) exprimerentur. Tandem remediorum, præsertim enematum, defectu æger totus emaciatus obiit. In thorace serum copiosum repertum, lævus pulmo accretus spumoso scatebat sanguine putredinem redolente; dexter flaccidus, maculosus, ac purulentus, nulla licet id tussi in vita doceretur. In cordis plane flaccidi thalamo dextro pendulus quidam globulus, pinguedini similis (an polypus?) & albæ quædam fibræ pingues inventæ; in sinistro nihil vitii. In abdomine coli flexus totum ventrem tegens brachii fere crassitiem habuit; feces sat coctas librarum aliquot continens, & ad hepar usque porrectus; cetera intestina flatu fuere distenta. In recto autem ab ano usque multæ glandulæ ½ digitum distantes circumcirca adnatæ vera erant alvi adstrictæ, ac purulentæ causa. Venæ fere vacuæ, in colo autem

(a) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 2. Obs. 117.

autem, & mesenterio turgidæ, crassæque, uti glandulæ numerosæ ac insignes. Vesicula felle vacua in hepate cetera sano. At non semper tam funesti est exitus alvina hæc obstructio; enim vero G. BAGLIVIUS (*a*) „novit hominem, cui ex hæmorrhoidum suppressione „alvus supprimebatur, fecesque difficulter prodibant, solutis hæmorrhoidibus statim etiam „solvebatur alvus.“ Perinde J. S. ALBRECHTI „(*b*) vir quinquagenarius hæmorrhoidum fluxum alias benigne perpessus, nunc, ex eodem uno abhinc anno cessante, obstructione „alvi, tenesmo, doloribusque nephritico-colico-hæmorrhoidalibus intensissimis, sitique „misere debilitabatur, multas noctes extra „lectum insomnes ducens. In hoc ægroto „clysmata adigi nequibant; statim quippe repulsa: neque vel minimas fomentationes „externe tolerare poterat æger, ob dolorum „atrociam. Proinde solum emplastrum de cicuta, illi de meliloto mixtum, imponi tentabatur, in subsidium vocatis interne ☿ibus „temperantibus nitrosis, diluentibus simul, „emollientibus, carminativis; interdum quoque propinata. BECCHER. pilularum dosi. „Quibus tandem post 10. dies elapsos hæmorrhoidalis fluxus largus cum euphoria „conciliatus fuit, cum antea lapilli aliquot

 „per

(*a*) De fibr. motr. spec. L. 1. Cap. 1. p. m. 358.
(*b*) L. c. T. 5. A. 1735. hebd. 30. N. 1. p. 235.

„per urinam excreti fuiſſent, viciæ magnitu-„dinem habentes.“

8. *Dyſuria*, *iſchuria*, perinde; ac alvi adſtrictio, a ſpasmo ſphincteris, ac vaſorum hæmorrhoidalium in collo veſicæ infarctu oriundæ. Sic C. VATERUS (*a*) „novimus (inquit) „ſenem quemdam hypochondriacum ex ob-„ſtructione, & ſuppreſſione urinæ a ſuppreſ-„ſis hæmorrhoidibus orta ſubito intra 3. dies „exſtinctum fuiſſe.“ Felicius res cecidit in „M. SEBIZII (*b*) ſene decrepito, nonagenario „majore, qui intercepto hæmorrhoidum flu-„xu, in iſchuriam graviſſimam, valdeque do-„loroſam inciderat. Nam cathetere in veſi-„cam immiſſo, non urina ſolum emanabat co-„pioſa; ſed etiam ſanguis plurimus, & ab om-„ni cruciatu liberatus fuit 2da aut 3tia vice „cathetere iterato.“

9. *Tumores* variæ indolis, ac ſæpe miri, ab hæmorrhoidali ſanguine alias ad partes regurgitante enaſci ſolent, videlicet

a) *Ery-*

(*a*) Diſſ. de Hæmorrh. fluxu ſalut. & morboſo. (4to Witemb. 1717. Reſp. I. H. BERGERO) theſ. 6. p. 9.

(*b*) Diſſ. de urinæ ſuppreſſ. Reſp. M. A. SCHILLING. 4to Argentor. 1651. theſ. 67.)

a) *Eryſipelas*, *phlegmone*, *furunculi*, ſeu inflammationes, præſertim inteſtini recti, in fiſtulas facile abeuntes, ut ſuperius (*a*) meminimus. Aliquando vicina loca, ac vel maxime veſicam inflammatio corripit. Sic J. HOFFERI (*b*) comes ſanguineo - cholericus, ac ſpongioſo laxus poſt 26. annorum militiam domum redux uxore ducta in graves, ac diutinas lites implicitus ſub inordinato 6. rerum non naturalium uſu ſexennem hæmorrhoidum fluxum regularem 44to ætatis anno amiſſum, biennio impune tulit. Abhinc autem verno tempore in hypochondriaca incidit ſymptomata, quæ ſibi relicta initio Novembr. dolorem ſibi junxere circum anum cum ſenſu corporis duri, totum ſphincterem cingentis, in dies uſque adeo creſcentem, ut æger omnia demum ſtando tantum exequi deberet, inſomnis, lotiumque flammeum ſpiſſum reddens, cum tumore duro hæmorrhoidalium, ac ſpermaticarum venarum, donec inſequente februario in graviſſimam lapſus eſt cyſtitidem, cui ſcroti, ac penis inflammatio ſe jungens in gangrænam dextrum etiam inguen corripientem abiit, in læva autem nate abſceſſus ſinuoſus erupit, non ſine gangrænoſa labe. Operoſe ſanatus ter adhuc cyſtitidis recidivam, nempe Octobr., Martio, ac Nemb. ex ordine,

(*a*) Vide §. 53. II. Nro. 7.
(*b*) Ac Helvet. Vol. 2. p. 50. ſqq.

ne, perpessus est: abhinc sanatus non amplius hæmorrhoidum fluxum recuperavit. Hepati quoque suppressio hæmorrhoidalis fluxus male cedere subinde visa est, a qua letalem hepatitidem J. STORCH (*a*), & J. G. ERNESTI (*b*) observarunt. Anginam quoque ex suppressis hæmorrhoidibus natam refert L. MERCATUS (*c*), & furunculos inde natos VICAT (*d*) in virgine curandos habuit.

b) *Abscessus*, *Ulcera* non ani tantum, de quibus vidimus, verum & aliarum partium, ut articulorum viscerum, &c. ex prægressa nempe vel acuta, vel chronica ibidem inflammatione. Sic vidit C. VATERUS (*e*) „in „viro quodam . . . ex hæmorrhoidibus male „curatis, & suppressis fistulam ingentem in „intestini superiore parte per tunicas latera„les in vesicam urinariam usque penetrasse, „tantæ magnitudinis, ut etiam feces alvinæ „simul cum urina transierint; siquidem in ca„davere ipsius post mortem aperto totum fere „intestinum rectum una cum vesica urinaria „sphacelatum, & perforatum repertum.“ J. G.

(*a*) Obs. clin. ann. 5. Febr. d. 4. Nro. 2. p. 56.

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 29. A. 1724. Julii. d. 4. art. 3. §. 4. p. 41. sq.

(*c*) De morb. intern. L. 3. C. 7.

(*d*) Vide §. 62. b)

(*e*) Diss. cit. thes. 16. p. 15.

G. SOMMERI (*a*) vir ſuppreſſo, ſuſpenſa inter ſcapulas radice quadam cichorii radici ſimili, hæmorrhoidum fluxu debilitante, poſt ſemeſtre nactus eſt in perinæo tuberculum, ex quo ſponte rupto biennium egrediebatur ſanguis cum pure ſeroſo non ſine graviſſimo dolore. Multis incaſſum tentatis demum uſu thermarum Pyrmontanarum ulcus coaluit, ac dein hæmorrhoides reverſæ ſunt, quamvis non raro ſuperfluæ. Simile fere eſt, quod narrat G. E. SCHMID (*b*) de ſene 60 annis majore, ſucculenti, ſpongioſique corporis, hæmorrhoidum fluxui æquinoctiali nullatenus moleſto, ac totum pene menſem duranti, a multis annis obnoxio, quo aliquando per frigus, ac terrorem ſuppreſſo mox humor quidam cum dolore pulſante naſcebatur in medio illo ſpatio, ubi coeuntes nates convallem formant, ita tamen, ut non accurate profundiſſimo in loco tumor emineret, ſed in dextrum magis latus inclinaret. Poſt aliquot dies tumoris in medio alba efflorescentia maturum pus monſtrabat. Cum nemo adeſſet ulcerum tractandorum peritus, fiſtula inde nata. Singularem quoque caſum narrat, C. T. BURGHART (*c*) de puero 9num agente annum, ſano hactenus, nec narium hæmorrhagiis

---

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 1. Obſ. 42.

(*b*) Diſſ. cit. §. 10. p. 12.

(*c*) Satyr. ſiles. medic. ſpecim. 3. Obſ. 7. p. 50.

hagiis obnoxio, nec unquam vel crustam lacteam, vel aliud exanthema cutaneum passo, qui ex improviso multum sanguinis floridi per aliquot dies iterato dejecit. Mater dysenteriam esse rata variis adhibitis remediis fluxum sistit. Sequitur mox partium circumjacentium inflammatio, ac dein venarum hæmorrhoidalium suppuratio. Ulcus, nescio quibus, remediis aliquanto post clauditur, sed hujus in locum circa poplitem dextrum alii abscessus, ac ulcera fœda pullulant; queis denuo sanatis, cœpere hæmorrhoides rursus quovis mense fluere, quæ, si consueto tempore non statim fluerent, continuo nascebantur vel in facie, vel circa poplitem tumores ex inflammatione pus colligentes; ægro pallido, debili, emaciato, non sine indubia secuturæ mortis prognosi. Utrum autem huc etiam referendum sit ulcus lumbare in viro quodam 32. annorum calculoso, ac hæmorrhoidum fluxum semel experto, ut vult J. D. GOHLIUS (*a*), viderint alii, siquidem illud & a calculo effici potuerit. Nec etiam satis liquet, num vomica pulmonum in M. E. BLOCHII (*b*). Icterico sexagenario, in hæmorrhoidalis fluxus suppressionem ab ira lapso, huic, an hæmoptysi, cui perinde obnoxius fuit, sit tribuenda, nisi forte & hæc ab illa sit orta, quod

(*a*) Act. nat cur. Vol. 3. Obs. 10.
(*b*) Medic. Bemerkungen Nro. 12. p. 11. sqq.

quod ibi diſerte non refertur. At certe ab reſtitantibus hæmorrhoidibus bis phthiſin obſervaverat STORCHIUS (*a*), & W. VANLIL (*b*) meminit juvenis 19. annorum, prius valde plethorici, nunc temperati habitus, profuſis narium hæmorrhagiis identidem obnoxii, quæ illum jam inde ab anno valde debilitarunt. Poſt varia incaſſum tentata ac Væ. Ses. complures jam in brachiis jam pedibus factas, Auctoris opem petiit, quo tempore utraque e nare uberrime ſanguis fluebat, non guttatim; ſed in filo, ad minimum corporis motum, donec in ſyncopen laberetur. Pallor, debilitas, ac macies in juvene tunc præſens non ab ultima hac hæmorrhagia ½ horam durante; ſed a prioribus ſimul ſumtis repetenda erant, proindeque & noviſſimam illam hæmorrhagiam non plethoræ; ſed vaſorum laxitati, ac ſanguinis aquoſæ tenuitati (qualis tunc excernebatur) tribuere oportebat. Cum nec turunda 🜅 rectificato imbuta utrique intruſa nari, nec injectio ichtiocollæ in aqua, & alcohole vini decoctæ hæmorrhagiam cohiberent, interna quoque remedia dari cœpta, ac primum quidem ♌ ⊕li ex ▽a frigida, at ſine ullo ſucceſſu. Cortex Peruv. in ſubſtantia hæmorrhagiam quidem prohibere obſer-

(*a*) Prax. caſual. med. T. 1. d. 4. p. 164. 263.
(*b*) Samml. auserleſ. Abhandl. zum Gebrauche pract. Aerzte. 7. Band. 3. Stück. p. 440. ſqq.

observabatur; sed æger sub ejus usu magnum experiebatur in extremis manuum digitis pruritum, proclivitatem ad lipothymias, & alvi obstructionem; licet istam eccoproticum datum promte sustulerit. Cortici ergo non satis opitulanti suffectus sequens ℥is.

℞. Aluminis ℥ß.
Sangu. dracon. ʒ. v.
Boli Armen. ʒj. M.

S. alternis horis, quantum digitale capit, ex aqua frigida. Primum quidem anxietates quædam, ac pressio in pectore inde nascebantur; sed brevi cedebant pectoralibus remediis. Hujus ℥is quinquies absumti (ergo ℥vj, & ʒij.) usu hæmorrhagia desiit, superstite porro etiam alvo adstricta. Post semestre belle exactum nactus est phlegmonen labii superioris cum febre. Cathartico e manna, & ⊖ GLAUB. alvus obstructa reserata est; labio impositum cataplasma resolvens, & suppurationem promovens, qua post 6. dies procurata labium ad pristinam suam conditionem reductum est, & febris usui cort. Peruv. prorsus cessit. Juvenis tunc sanus, valentiorque esse videbatur; at, lapso trimestri, toto corpore efflorüere parvæ pustulæ, quarum aliquæ suppurarunt; aliæ rursus evanuerunt. Abhinc vero secunda valetudine fruebatur, & aliquanto inde post nactus est hæmorrhoidum fluxum, quem cum spreto Auctoris consilio ad illum non turbandum, empyrici cujusdam ope-

opera cohibuiſſet, incidit in hæmoptoen, ac phthiſin immedicabilem, quæ poſt 8 hebdomades a cohibito hæmorrhoidum fluxu illum e medio ſuſtulit. Denique non eſt hic ſilentio prætereundum, quod ſua in chirurgia notavit olim F. WURTZ, nimirum externa quædam vulnera hæmorrhoidum ſuppreſſione evaſiſſe incurabilia, dubio procul ob aſſiduum ſanguinis hæmorrhoidalis regurgitantis ad illa affluxum.

c) *Scirrhi* e lento ſanguine hæmorrhoidali ad glandulas, vel viſcera congeſto, quales F. RONCALLI (*a*) ſacerdos in lingua ac ſub maxilla. Ictericus Vratislavienſis (*b*) in hepate poſt ſuppreſſum hæmorrhoidum fluxum ſunt adepti. In ſelectis medicis Francofurt. (*c*) narratur anus anno 60mo proxima menſium per ætatem deficientium in locum nacta fuiſſe fluxum hæmorrhoidum regularem cum euphoria, quem tandem, ubi immodicus, ac debilitans, & pedum oedema cauſans evaſiſſet, dum uſu tonicorum, & refracta eſſentiæ millefolii doſi cohibuiſſet, in dextri hypochondrii incidit tumorem, ac ſcirrhum hepatis, demumque emaciato corpore, ac fatiſcentibus

---

(*a*) Hiſtor. morb. 7. p. 36.

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 3. A. 1718. Martii. d. 4. art. 12. p. 837. ſqq.

(*c*) T. 1. Vol. 2. art. 3. Obſ. 1. p. 100.

bus sensim viribus e vivis excessit. S. R. E. COHAUSEN (*a*) letalem inde ventriculi scirrhum enatum commemorat.

d) *Cancer*, e scirrho sensim enatus, ad quem forte HIPPOCRATIS (*b*) observatio est referenda: „Larissæ EUDEMUS valde & diu-„turnum patiebatur sanguinis profluvium per „ora venarum, quæ sunt in ano (Græci hæ-„morrhoidas dicunt), adeo ut exsanguis es-„set, & bilis commota. Leniter tamen ha-„bebat toto corpore, & alvus deorsum con-„turbata biliosa demittebat, & hæmorrhoides „remittebant. Post epotum medicamentum „deorsum purgans probe repurgatus est, ac „insuper ptisanæ succum ebibit, & amplius „alvus turbabatur, dolorque ad præcordia „aderat. In hoc hæmorrhoidibus manus est „admota, cum male quodam modo affectus „esset venter, & amplius curatione opus esset, „ac vomitus afflixit. Tandem vero ex irrita-„to medicamentis cancro febris adorta est, „nec ante mortem dimisit. Interdum quo-„que cum rigor subiens dimisisset, febris ad-„fuit, ipsique ex alvo bilis secessit, flatus par-„tim prodibat; partim intus remanebat, do-„lorque ventrem affligebat. Hæmorrhoides „vero

(*a*) Commerc. Nor. T. 43. A. 1743. hebd. 16. Nro. 2. p. 125. hebd. 17. Nro. 2. p. 134.
(*b*) Epidem. Libr. 5. Nro. 20.

„vero deinceps a purgationibus extra anum „eminere cœperunt, & per eas flatus exſiſte- „bat, quia a ſternutatione ortum ducebat.“ Ceterum tota hæc hiſtoria manca eſt, & per obſcura.

e) *Steatomata, atheromata*, apud H. BOERHAAVIUM (*a*) filius marchionis DESAINT-AUBAN a pluribus annis hæreditarias hæmorrhoides ſæpius pati ſolitus, ceterum longe ſaniſſimus, cum eas aliquando prætumidas nactus fuiſſet, cum atroci dolore, ac uberrimi ſimul ſanguinis puriſſimi ex iisdem in dies profluvio, non ſine gangrænæ metu, BOERHAAVE illas leni victu, pacantibusque remediis ſine igne, ferro, ac ligatura ſanavit, abhinc Marchio 1½ anno manſit ſaniſſimus; deinceps vero ſteatoma ſenſim 10½ menſes in thorace prope 7 ℔ enatum truculentiſſimam orthopnœam, demum etiam letalem induxit. Octiduo ante obitum per biduum hæmorrhois fluxit, cum inſigni; at non diuturno morbi levamine Atheromatis autem e reſtitantibus hæmorrhoidibus caſum refert BOENNEKEN (*b*) ſenior: Eccleſiaſtes 57. annorum, cholericus, ſanus, hilarisque, lucubrationibus deditus, virili in ætate hæmorrhoidum fluxum

una,

(*a*) Opuſculor. hiſtor. 2. p. m. 113. ſqq.

(*b*) Fränk. Samml. 3. Band. 15. Stück. Nro. 3. p. 212. ſqq.

una, alterave vice eſt expertus: hoc autem non amplius reverſo, ſæpius ani pruritus, lenisque ardor cum teneſmo accidit, donec poſt 48 annum homo cœpit moroſus fieri, mœſtusque cum virium ſenſim lapſu. Hæc ſtudiis, curisque auctis etiam in dies crevere, fatiscente ſenſim appetentia, & ſiti obrepente, quam vino ſedare ſolebat. Poſtmodo coxæ, dorſique dolores, ac per vices flatus moleſtabant; color faciei floridus mutatus in pallidum, plumbeum, flavescentem. His aliquot annos durantibus ſe junxit ſegnis alvus. Demum poſt uſum internorum, externorumque rediit hæmorrhoidum fluxus, at ſine levamine: crevit potius teneſmus, ac dolor circa oſſa iſchii ad collum usque veſicæ excurrens; unde interdum dyſuria. A variis iterum remediis breves tantum omnium induciæ obtentæ. Tandem fluxu hæmorrhoidum iterum ceſſante æger deterior factus, viresque fatiscebant; ſed poſt trimeſtre ante æquinoctium vernum rediit immodicus fluxus, nec moderandus quidem. Aliquanto poſt ſub ſcrobiculo cordis tuberculum ortum eſt cum preſſione in dextrum usque hypochondrium ſe extendente, tactuque ibi hepar durum repertum. Acceſſit aliquoties vomitus ingeſtorum, & preſſio illa crevit nullis remediis abolenda. Tandem natum œdema pedum, & febris hectica cum vigiliis, donec æger obiit. In abdomine ſeri 2. vel 3. menſuræ. Hepar exterius ex fusco, ac flavo variegatum, mole ingens appendit ℔jx & ℥j, mul-

multis tuberculis purulentis acuminatis in superficie inæquale, interna sua substantia tota fere in atheroma versa, ita ut cultro incisa vix guttam sanguinis præbuerit. In sima parte sinistri lobi, qua stomachum tangit, aderat tuber pugno æquale, conicum, apice in ventriculo foveam imprimens, totum atheromaticum, lævusque hic lobus trans ventriculum lienem attingens, cum eodem arcte concretus erat. Vesicula fellea semiplena liquido fusco, & crasso, bili parum analogo. In toto tubo intestinali, ac mesenterio passim sanguinis stases, & maculæ gangrænosæ, præsertim in fine recti, sed sine vestigiis ulceris. In abdominis aorta; vena portæ & cava paucus sanguis, omentum atrophicum. Cor vacuum, pulmones accreti. Cetera secundum naturam. Caput secare non concessum

f) *Sarcomata.* Singularem hujus rei casum narrat M. ALBERTI (*a*): Ecclesiastes 58 annorum, cholerico-sanguineus, robustus, obesus, plethoricus, victu pleno, vinoque Hungarico usus, sanus hactenus, ante paucos annos hæmorrhoidalia molimina cum fuisset nactus, eaque fomento e radice acaciæ oppugnasset, rupta hæmorrhoidalia tubercula insig-

---

(*a*) Diss. de excrescentia nasi cum hæmorrhoidum anomaliis connexa (4to Halæ 1729, Resp. I. G. SCHIERWASSER) §. 2. p. 9.

insignem sanguinis copiam profuderunt. Ubi autem fluxus hic substitit, aliquanto inde post intensi nephritici dolores secuti sunt; his finitis successit angustia, & oppressio cordis, quam superveniens narium hæmorrhagia solvit. Postmodo numerosa tubercula sanguinolenta in facie emersere, copiosum pus, ac sanguinem excernentia. Demum in lævo narium latere effloruit macula rubra; successive in protuberantiam elata; ad quam auferendam cum varia spirituosa adhiberentur, illa brevi in grandem excrevit molem, pinnis narium firmiter adhærescens; dextram narem penitus occludens, in sinistra vero exiguum tantum relinquens foramen, pro pauco muco excernendo, & aere, utut ægre, attrahendo. Tegebat illa simul totum os, & menti partem, ut & spirationi, & cibis, potuique ingerendis molestiæ multum facesseret, substantia erat carnoso-vasculosa, extrinsecus rubra, & numerosis tuberculis verrucosis obsessa, cujus in meditullio delitescebat pus in saniem jam inclinans, olim forte in cancrosum virus abiturum. Huic malo insolita alvi obstructio juncta fuit. Post 3. annos demum ferro ablata non amplius recrevit moles: sub separatione sanguinis ultra libram effluxit. Post plagam ex arte consanatam ob fluxum hæmorrhoidum non reversum gutta rosacea faciem non deseruit, & aliquo inde post tempore æger fieri cœpit splenecticus. Vexabant recursantes anxietates, ad præcordia insignes, cum pallore fugaci, & imbecillitate memo-

riæ

riæ, priſtinæ tamen diætæ ſuæ tenax manſit. Alium quoque idem hic Auctor (*a*) non multum abludentem adfert caſum; literatus ſanguineo-melancholicus poſt crebras olim narium hæmorrhagias inter 30, & 40 annum prima vice nactus eſt hæmorrhoidum fluxum, cui pro dyſenteria habito, ſuppreſſoque ſucceſſerunt inſolitæ cephalalgiæ cum varoſa naſi excreſcentia; unde tandem carnoſa verruca, valde ſanguinolenta dextro in latere naſi ſuccrevit celeri incremento, præſertim a topicis coſmeticis, acribus, arrodentibus: donec Auctor conſultus curam ad hæmorrhoidales motus dirigendo malum profligavit. Permultum hiſce anologum eſt, quod J. S. CARL (*b*) memorat: viro melancholico-ſanguineo, ſtrictioris corporis, hæmorrhoides cœcas, indeque dorſi, ani, & aliarum partium vagos dolores rheumaticos, arthriticosque ſæpe paſſo, quovis æquinoctio naſi apex inſigni cum rubore intumeſcebat, leviterque dein compreſſus aliquot guttas floridi ſanguinis profundebat, cum omnium ſymptomatum vel abolitione vel inſigni remiſſione. Status hic ubi bene a juventute ad 70um uſque annum manſiſſet; demum deſiit, ſuccedente impetuoſa, & intra biennium letali hæmaturia.

g)

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoid. inſolitis viis (4to Halæ 1718. Reſp. I. S. GANZLAND) §. 8. p. 17.

(*b*) Act. nat. cur. Vol. 4. Obſ. 84.

g) *Varices* aliis in partibus, ab ano etiam remotioribus. Rariſſimum hujus generis caſum vidit A. G. RICHTER (*a*): „femina „30 circiter annorum, animo, & corpore valde ſenſibili prædita fluxum menſtruum profuſum pati ſolita, Göttingam venit, &, ut „tumorem, quem in mamma dextra habebat, „exſcinderem, rogavit. Tumor autem ille „magnitudinis nucis juglandis, mobilis, & „inæqualis erat. Deſcendebat ex illo tumo„re ad papillam ſeries minimorum tumorum, „quorum quilibet piſum magnitudine æqua„bat; surſum autem ex illo funiculus ad axil„lam procedebat, tenſus, durus, digiti craſ„ſitiem habens, ſenſim prope axillam evanes„cens, ut finis illius diſtinqui haud poſſet. „Quoties ægra tunc tumorem digitis compri„mebat, & fricabat, proſiliit ex papilla liquo„ris ſubrubri, aquoſi inſignis ſatis copia: „quo facto evanuit ſeries illa minorum tumo„rum, major ille mollis, flaccidus, collapſus „2/3 partes magnitudinis ſuæ amiſiſſe depre„hendebatur. Ad priſtinam magnitudinem in„tumuit iterum intra paucas horas. Dolor „oriri ſolebat urens, quoties tumor nimis „intumescebat, expreſſo liquore, collapſo„que tumore evaneſcebat iterum. Quam ob „rem quovis mane mulgere quaſi tumorem „ægrota ſolebat. Continebat ille plerum„que

(*a*) Obſ. Chirurg. Faſc. 3. Cap. 4. p. 65.

„que ℥j. ▽æ. illius subrubræ omnis acrimo-
„niæ, & fœtoris expertis. Funiculus autem
„ad axillam procedens idem semper deprehen-
„debatur. Is autem singularis hujus tumoris
„ortus fuerat: ante plures annos fluxum hæ-
„morrhoidalem profusum passam aliquoties se
„esse ægrota meminit, qui quidem cum vires
„valde exhauriret, medicus quidam medica-
„mentum quoddam propinavit, quo sumto
„disparuit fluxus, neque rediit: hoc facto
„post aliquot tempus ægrota illam indusii
„partem, quæ mammas tegit, sanguine tinc-
„tam aliquando reperit, nescia, undenam huc
„sanguis pervenerit. Tandem vero forami-
„nulum illa detegit in cute prope papillam,
„ex quo liquorem rubrum prodire sentit.
„Tandem tumor ille apparuit, increscens sen-
„sim ad magnitudinem ovi gallinacei. Diu
„autem jam foraminulum istud aquam rubram
„eructaverat, antequam tumor ille apparuit.
„Elapsis autem aliquot mensibus subito tota
„intumuit mamma mirum in modum ad axil-
„lam usque. Rediit illa sensim sub interno
„cicutæ usu ad pristinam magnitudinem; su-
„perstite autem tumore illo, quem jam de-
„scripsi, nullo remedio discutiendo. Dispa-
„ruit ab hoc tempore foraminulum illud, &
„liquor ex ipsa papilla prodire incepit. Tu-
„morem illum scirrhosæ naturæ haud esse in
„aprico erat, oriebatur sine dubio ex varico-
„sa vasorum quorundam dilatatione; quare
„ægrotæ operationem flagitanti abnui. Ex-
„scindi forsan tuto potuisset tumor ille vari-

 „cosus

„cosus; cum vero funiculus ille ad axillam „procedens fasciculus esse videretur vasorum „simili labe affectorum, qui humorem illum „subrubrum advehebant, cumque funiculus „iste ob situm profundum, dubiamque ori-„ginem exstirpari vix posset, metuendum si-„ne dubio erat, ne post operationem vel fi-„stula remaneret, vel novus tumor oriretur. „Exhibui itaque ægrotæ varia remedia resol-„ventia interna, externaque, ut quidquid for-„san callosi, & indurati dilatata hæc vasa cir-„cumdaret, dissolveretur. Horum remedio-„rum vi factum quoque est, ut imminuere-„tur tumor ille; profluvium autem ex illo „idem semper fuit. An non ex suppressis hæ-„morrhoidibus natus esse hic morbus vide-„tur? commendavi saltem ægrotæ usum vari-„orum remediorum, quibus fluxus ille resti-„tui potest; quibus autem quonam cum effec-„tu illa usa sit, hactenus nescio

h) *Hæmorrhoides cœcæ, spuriæ.* Sæpissime omnino evenit, ut hæmorrhoidali fluxui suppresso hæmorrhoides cœcæ succedant multis cum molestiis, ut in BURGHARTI (*a*) puero, viduaque HOFFMANNI (*b*) ac milite apud THEDEN (*c*). Spuriarum autem ex veris post

(*a*) Vide præced.
(*b*) Vide §. 108. a)
(*c*) Vide §. 117. a.

post fluxum suppressum enatarum præter DIETRICHS (*a*) etiam H. F. DELIUS (*b*) exemplum suppeditat, vir 76. annorum, robustus, eusarcus, plethoricus, mansuetus, ad viriles usque annos assiduis laboribus implicitus, ante annos circiter 30. vitam quietiorem nactus incidit in malum hypochondriacum & molimina hæmorrhoidum, quarum ad fluxum provocandum cum frustra varia usurpasset, demum usu thermarum carolinarum impetuosus obortus fluxus illum sanum reddidit. Redibat abhinc fluxus 6ta vel 8va quaque hebdomade justa copia, præsertim iterato per plures dein annos ▽æ. Carolinæ usu, ac Væ. Sbus. ordinate institutis. Ante 5. circiter annos fluxus fieri cœpit inordinatus, ac sanguinis loco aqua rubella cum albo muco egerebatur, non sine dolore dorsi, lumborumque; vertigine, ac sæpe turbato somno. Iteratæ Væ. Snes. numerosa enemata, vino suffecta ▽a. & decocta, ac omni septimana sumtum ⊖ anglicanum ad ℥ß. vel j. aut alia salia media fluxum revocare nequiverunt; periit potius appetitus, vires, carnes; & aliquot febris intermittentis accessiones ingruerunt. Dato autem vino iterum ac tonicis vires, & valetudo nuperna receptæ. Ad cetera

(*a*) Vide histor. 1.

(*b*) Fränk. Samml. 6ter Band. 32tes Stück. Nro. 2. p. 114.

ra vero symptomata abolenda bibit ▽as. Seydschitzenses amaras; at sine ullo levamine, quin imo nimia ab iis catharsis revocavit debilitatem, ac vertiginem, ut ab ulteriori potu fuerit desistendum, & vires cortice Peruv. & aurant. reparandæ. Interea a tempore ▽æ. Seydschitzensis potæ 2. vel 3. parvæ ani varices 30 jam annis præsentes cœpere nunc elongari, ac velut inflari, & in sarcomata nucem juglandem magna degenerare. Sitæ erant introrsum in anum, ac deorsum versus perinæum; circiter ¾ pollicis pone sphincterem admodum relaxatum, ampliatumque occipiebat pedunculus durus, calamum scriptorium crassus, longitudine ultra ½ pollicem in decursu extrorsum cum interna recti tunica concretus, extra sphincterem autem libere pendulus, & in sarcoma irregulare juglandis magnitudine intumescens, quod carni crudæ simile, ad sensum solidum; sed minimo attactu sanguinem præbebat, uti & sub incessu, & alvi egestione; siquidem similis alia excrescentia minor ab ossis sacri regione descendens totum fere orificium ani præcludebat. Tumor hic non jam varix; sed condyloma (sine ullis tamen syphilitidis indiciis) indolens erat, quod perpetuo madebat. Aeger appetitu, viribusque, somnoque haud carens, cum sanari cuperet, nescio quo Auctore sumsit ter quotidie ℥ cort. Peruv. ʒj. cujus a 10. præbiis vehemens colica, alvus pertinaciter clausa, magnique febriles motus coorti, quæ mala nonnisi 4. hebdomadum spatio fotibus, enema-

tibus-

tibusque domabantur, superstite tamen insigni debilitate, anique excrescentiis nil mutatis. Cum paulo ante dicta mala non a cortice nata crederentur; ad hujus usum reditum, sed pejore etiam successu; nam præter priora symptomata totius quoque corporis emphysema supervenit, abactum semper iterum revertens, nec ulla arte præpediendum, Sarcomata etiam ani in pejus ruentia plumbeum colorem, suspectumque odorem contraxere, nullis remediis emendanda, quæ demum æger una cum emphysemate tumulo intulit.

10. *Exanthemata* varia, præsertim chronica, ut scabies, herpetes, vari, &c. Sic W. GABELCHOVERI (*a*) caupo quamdiu per plures annos hæmorrhoidum fluxum rite, statisque temporibus experiebatur, sanus vixit; ubi vero ille cœpisset fieri inordinatus, ita, ut & insueto tempore, & parcior egereretur; molesta effloruit scabies, qua pruriente, dum se æger scalperet, mox effluebat aqua satis limpida. H. F. LEDRAN (*b*) consulebatur pro viro 50 annorum, a pluribus annis hæmorrhoidum fluxum statis temporibus pati solito; qui ubi ultimo biennio substitit; semestri post susurrum aurium causavit, suppuratione serum lac-

(*a*) Curat. & Obs. med. Cent. 3. cur. 22. p. 35.
(*b*) Chirurgische Gutachten p. 244.

lactis æmulante ſublatum. Abhinc autem effloruere in facie rebelles herpetes cum ſuſurro ſæpe alternantes. Similia quoque in capite nactus eſt BÆUMLEINII (*a*) vir. Perinde V. RIEDLINI (*b*) mercator 40 annorum, tenuiorisque habitus a plurium annorum dolore cervicis per obortum hæmorrhoidum fluxum liberatus, iſto deinceps ſub quavis alvi egeſtione apparente, longe ſaniſſimus vixit; donec æſtate obortis quavis fere nocte ſudoribus fluxus hæmorrhoidum penitus evanuiſſet: quo facto illico rediit cervicis dolor, & hinc inde per corpus exanthemata eryſipelacea effloruere, quæ dum externo 🜄 uſu diſpuliſſet, itaque prægreſſa acetarium deinde comediſſet; nox minus quieta ſecuta: mane vero vertigine primum, tum vomitu correptus eſt. 🜍a bezoardica data utrumque ſedavit, & pro revocando hæmorrhoidum fluxu data eſſentia ♂ LUDOV., incertum, quo ſucceſſu.

11. *Hydropes* varii, de quibus HIPPOCRATES (*c*): „diuturnum ſanguinis profluvium per ora venarum, quæ in ano ſunt „(hæmorrhoidas dicunt), curanti niſi una ſervetur, periculum, ne aqua inter cutem, aut tabes

(*a*) Vide §. 55. Nro. 13. d)

(*b*) Curat. med. millenario. Obſ. 465.

(*c*) Sect. 6. Aphor. 12.

„tabes ſuccedat“ Multi ſane funeſtum hujus effati exemplum præbuere, quibus importuna medendi methodo fluxus hæmorrhoidum fuit cohibitus; quos inter G. E. STAHLII: „Vir 40 annorum, habitus corporis ſanguineo-cholerici, mutatione tamen diætæ ad „melancholicum habitum declinantis, ab aliquot annis verno & autumnali tempore, poſt „aliquot dierum aſthma humidum, & tuſſim, „hæmorrhoidum internarum fluxum experiri „aſſueverat, cum inſigni de cetero euphoria, „& ſanitate ſatis exquiſita. A. 1689 cum ſub „autumnum dyſenteria graſſaretur, & ex ipſa „ejus vicinia aliquot funera efferentur, eo„que ipſo tempore hæmorrhoides ipſi expedi„te; ſed liberaliter procederent, vano metu, „ne ab his in dyſenteriam facilis fieret tranſi„tus, fluxum illarum intempeſtivo aliquot „adſtringentium uſu ſimul cum copioſo abuſu „nucis moſchatæ præmature ſuppreſſit. Ceſſa„verunt hac vice ſine inſigni incommodo. „Subſecuto autem vere maturius coorta tuſſis „cum aſthmate intenſiore gravius fatigant vi„rum. Conſulit medicum empyricum; qui „modo opiatis; modo ſalibus volatilibus; „modo regimine diaphoretico per calidiora „brevi; ſed forti exercens patientem, cum „ſimul ipſi, ubi de hæmorrhoidum adſuetudi„ne ſibi familiari admonuiſſet, reſpondiſſet, „ſe vel maxime ab ipſis hæmorrhoidibus, „utpote morbo eum curare neceſſe habere, „citiſſime patientem in hydropem conjecit, „qui impetuoſe prævaleſcens ab aliis medicis

„con-

„contemperatus, & leviter ſublevatus poſt 3. „tamen quadrantes anni nonniſi morte ceſſa- „vit.“ (*a*) Idem etiam fatum habuit ejusdem Juvenis (*b*). Perinde F. LOSSII (*c*) virgo provectioris ætatis, cum pertinaciſſimam catameniorum obſtructionem crebro, diuque uſu aloeticorum oppugnaſſet, incidit in immodicum hæmorrhoidum fluxum, quem ubi ſpretis idoneis, legitimisque remediis nonniſi topicis adſtringentibus repreſſit, in letalem hydropem eſt prolapſa. Haud ſecius J. J. ROLLE apud A. E. BÜCHNERUM (*d*) meminit ſartoris 36. annorum, a 20 ætatis anno hæmorrhoidum fluxui ordinato obnoxii cum integerrima ſanitate; at poſtquam biennii ſpatio 3na ſemper 7. hebdomades durante laboraſſet, eamque remediis domeſticis perperam ſuppreſiſſet, hæmorrhoidalis etiam fluxus ſubſtitit; unde enatum aſthma periodicum, inflatio hypochondriorum, cardialgia, dyſpepſia, calor lentus, oedema pedum, imo ipſe hydrops, & e ſubſequente viſcerum gangræna æger deceſſit. Felicior his fuit J. STORCHII (*e*). Jll. femina phlegmatico-cholerica circiter 33 annorum

(*a*) Confer. colleg. caſual. mag. caſ. 14. p. 184.

(*b*) Vide §. 53. III. A. Nro. 2. f)

(*c*) L. c. Obſ. 26.

(*d*) Miſcell. phyſic. mod. A. 1730. Aug. d. 2. art. 3. p. 1247.

(*e*) Von Weiberkrankh. 8. Band. Caſu 12. p. 63.

norum, quæ post insignes uteri hæmorrhagias jam ab anno ægrescens demum in hydropem pene conclamatum devoluta est. Cognito vero, quod non multo abhinc aliquoties hæmorrhoidum fluxus apparuerit; ad huncce promovendum data sequentia

℞. Ꞧæ rhei ℥ß.
— ♀ri ʒj. M.

S. mane quovis gtt. 40. Porro

℞. Magnes. alb.
Crem. ♀ri āā ʒjß.
Specif. ceph. ʒß. M.

Divid. in doses jx. Consulebatur insuper vapor lactis, cruribus, & abdomini applicandus. Ab his brevi sudor largus erupit, minuebatur tumor, & hæmorrhoidum fluxus crebrius venit. Deinceps usu Ꞧæ ♀ri, & eccoproticorum sanatio est absoluta. Vixit inde femina 17. annis, ac tum ex angina inflammatoria periit. Ita etiam apud J. D. COSCHWITZ (*a*) æger a suppressis hæmorrhoidibus varia symptomata perpessus, cum medicus illorum provocationem renuens multo potius

(*a*) Diss. de damnis, ex empyria medica oriundis (4to Halæ 1728. Resp. I. C. EHRLICH) p. 44.

potius molimina repressisset; incidit in hydropem, non prius sanandum; quam hæmorrhoidibus revocatis.

12. *Dolores* variis in partibus, iis nempe similes, quos molimina hæmorrhoidum producere assolent (*a*): ut spinæ dorsi, quales pertulit æger FEUERLINI (*b*) & complures alii, maxime vero solennis hic esse consuevit.

a) *Cephalalgia*, cephalæa, hemicrania, aliive in partibus ad caput pertinentibus dolores. Cephalæam sane ALBERTI (*d*) Consiliarius; hemicraniam vero VICATI (*e*) virgo inde pertulit. In viro L. HEISTERI (*f*) suppressis hæmorrhoidibus successit hypochondriaca passio variis cum symptomatibus, mox in clavum degenerans. Huc etiam perrarus ille pertinet maxillæ dolor, quem J. H. DEGNER (*g*) in Ecclesiaste sanavit

b) *Car-*

(*a*) Vide §. 33.
(*b*) Vide §. 71. c)
(*c*) Vide §. 75. c)
(*d*) Vide §. 55. Nro. 1.
(*e*) Vide §. 62. b)
(*f*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obs. 161.
(*g*) Diss. de clavo hæmorrhoidali 4to Helmstadt. 1734. Resp. I. G. BAULBACH. §: 11. p. 15.

b) *Cardialgia*, quam ab hæmorrhoidibus interceptis passi sunt ERNDTELII (*a*) quinquagenarius, & Centurio MOLLERI. (*b*)

c) *Colica*. Hanc M. ALBERTI (*c*) singularem observavit in sene 60 annis majore, „qui ante plures annos proximiores hæmorr„hoidales motus, imo incipientes fluxus ob„tinuit, qui cum ob dolores pruriginosos, & „quantisper ardentes viro molesti, & suspecti „fuerint, ita permisit quo mediante unquen„to ex cerussa alba, ☿o præcipitato, bolo, „oleo hypericonis, sperm. ran. &c. parato „hæc molestia opprimeretur. Abhinc dolori„bus ischiadicis, & nephriticis, nec non Asth„mate periodico corripi cœpit, quibus affec„tibus hactenus per multos annos laboravit. „Interim harum calamitatum levamen ex usu „congruo Væ. Snis. sensit, sed cum per pau„cos annos in regimine, & reliquo vitæ ge„nere variæ turbæ intercesserint, ita ante tri„ennium æquinoctialibus, & solstitialibus tem„poribus hac colica affligebatur. Accidit ve„ro, ut ultimo præterlapso solstitio denuo „hæc colica, licet mitiori gradu, corriperet, „quæ tamen mox post usum pilularum STAHL: „remi-

(*a*) Vide §. 74.
(*b*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*c*) Diss. de colica hæmorrhoidali §. 7. Tract. de hæmorrhoid. P. 2. p. 192. sq.

„remisit, posteaquam sub aliquot dejectioni-
„bus patiens aliquam quantitatem sanguinis
„hæmorrhoidalis evacuaverat. Præterito
„æquinoctio eadem colica mitiori iterum gra-
„du insultavit, posteaquam iterum eximius
„error in diæta præcessit, qui liberiorem hæ-
„morrhoidum recursum impedivit; sed acci-
„dit, ut non modo una vice, sed intra de-
„cursum 14 dierum quater hæc colica recur-
„rerit, ultima vero vice ita extreme vehe-
„menter, ut metus mortis institerit.“ Per-
inde in Annalibus Vratislaviensium (*a*) vir 50
annis major, inordinato hæmorrhoidum flu-
xui obnoxius, & ab hujus per pravum regi-
men retardatione, asthmaticam præcordiorum
angustationem, dolores dorsi, capitis obnu-
bilationem, vertiginemque &c., ac demum
suppressionem fluxus, indeque assiduam fere
colicam, & arthritidem passus, Julio 1726.
rursus vehementi colica prehensus est cum
permagna artuum lassitudine, femorumque
dolore, ita ut nervi (tendines) justo sibi bre-
viores fieri viderentur, scalasque amplius con-
scendere nequiret. Venter velut ab ingruen-
te hydrope fiebat gravis. Sæpenumero in to-
tius cutis superficie subita oriebatur formica-
tio, ac si semodius milii ab humero ad femo-
ra usque deflueret. Sub his malis æger ema-
cia-

(*a*) Tent. 37. A. 1726. Julii. d. 2. art. 1. §. 2.
p. 30.

ciatus, carens appetitu, somno, viribus; remediorum tamen segnis usurpator. ALBRECHTI (*a*) quoque quinquagenarius ab hæmorrhoidibus interceptis colicos dolores est perpessus, & apud F. HOFFMANNUM (*b*) vir 58. annorum post habitum plurium ante annorum hæmorrhoidum fluxum ante 4. annos subsistentem incidit sæpius, maxime brevi ante novilunium, in molestum sub egestione ani ardorem, quem excepit cephalalgia, & atrox colica cum vomitu, & pituitæ cruentæ rejectione. Væ. Sio. in pede circa ambo æquinoctia facta cum insigni semper symptomatum levamine, quin tamen recidivas arcuerit. Inprimis autem observavit, simul ac vel studiis se daret; vel meridianum somnum capite parum perinclinato caperet; protinus floridum sanguinem cum saliva effluere. Illud præterea cruentum sputum secutæ sunt plerumque pectoris pressiones, ac puncturæ ad lævam scapulam tendentes, sinistræ manus refrigerationes, gelidique sudores, sæpius etiam pedes invasit efflorescentia miliaris, quæ evanescens lanquorem corporis, ac sensum frigoris in pedibus, & dorso reliquit. Alius (*c*) litterius 62 annorum, corporis strictioris, compagis debilioris, diætæ tenax; at studiis, & quieti

(*a*) Vide §. 55. Nro. 7.

(*b*) Consult. & resp. med. Gent. 2. Cas. 15.

(*c*) Ibidem. Casu. 14.

quieti deditus, ſatis diu ante circa ambo æquinoctia hæmorrhoidum fluxum per aliquot ſæpe menſes inhærentem patiebatur; qui ante aliquot annos prava medicatione cohibitus, abhinc inordinate procedere cœpit, ſæpiusque molimina tantum illius, maxime circa plenilunium, affligebant, nimirum lipothymiæ, conſtrictiones & anxietates ad præcordia, tenſivi circa dorſum, ac hypochondria dolores, cruenta ſputa, & crebræ colicæ. Sic etiam ultima æſtate in plenilunio accidit, ut noctu repente ingens colica invaſerit, quam anxia compreſſio ad cardiam; vomituritio, vomitusque ipſi exceperunt. Carminativis, enematibus; litu, & fotibus mollibus, ac diſcutientibus fruſtra adhibitis medicus colicam hæmorrhoidalem eſſe ratus, quod ſine victus errore, & ſolenni turbis hæmorrhoidalibus tempore acciderit; conſulit Væ. Snem., ægro olim ſemper utilem: hanc cum alii medici, debilitatem virium cauſati, reſpuiſſent, creſcebant interea omnia mala, ac paulo poſt ſupervenit vehemens horror, huic ſucceſſit æſtus, poſt paucas horas erupit ſudor gelidus, & æger debili facto ac inæquali pulſu, ex hoc bidui morbo obiit.

d) *Iſchias* J. STORCHII (*a*) vir 60 annis major cum ante 15, & amplius annos hæ-

(*a*) Prax. Caſual. med. T. 1. d. 4. p. 453.

hæmorrhoides Væ. Sne. in brachio turbasset, ac suppressisset; incidit in ischiadem utriusque lateris. Datum

℞. M. P. BECHER ℈j.
— purgant. ℈ß. M.

℞. ♁ antispasm. ʒj.
Magnes. alb.
Arcan. dupl. āā ʒß. M.

Ab his dolor desiit. Perinde (*a*) mercator a restitante hæmorrhoidum per plures jam ante annos habituali fluxu, incidit primum in dorsi dolorem, qui inde in coxam commigrans, per totum femur, & crus ad pedem usque excurrebat. Dato autem ♁ digestivo, & carthartico e M. P. purg. ac BECCH āā ʒß rediit hæmorrhoidum fluxus, dolorque desiit. Haud ita felici licuit esse I D. GOHLII viro.

e) *Podagra.* Hanc ex anomalia hæmorrhoidum ter nactus est FRITSCHIUS (*b*) reverso illarum fluxu semper iterum cessantem, & P. FORESTUS (*c*) refert Hollandiæ Præsidem 50 annorum ab hæmorrhoidibus sibi familiaribus suppressis, correptum fuisse tertiana, post 3. insul-

(*a*) Ibid. T. 2. d. 4. p. 428.
(*b*) Vide §. 75 b)
(*c*) L. c. Lib. 29. Obs. 4.

insultus sponte iterum desinente, non multo autem post nova prehensum febricula incidisse in podagram, & chiragram vehementem, tres continuas hebdomadas durantem. Datum ei eccoproticum ter, quater alvum solvit; & interposito decocti solventis usu denuo subjunctum multam evexit bilem: pedibus topica emollientia admota cum levamine. Demum alvo sponte soluta fluxus etiam hæmorrhoidum comparens brevi podagram, chiragramque sustulit, ab hoc tempore non amplius reversam. Perinde HOFFMANNI (*a*) vir a suppressis hæmorrhoidibus podagram cum passione hypochondriaca contraxit, in quam etiam prolapsus est senex HELWICHII (*b*), germanusque H. LUDOLFFI (*c*) 30 annos natus, sanguineo-melancholicus, plethoricusque, qui ab aliquot annis hæmorrhoidibus turgentibus sæpius vexatus excreto ex iis sanguine præclare levatus incidit in tertianam fere quadrimestrem, & ad omnia remedia contumacem; cui demum se junxit Oedema pedum genuumtenus. Tandem rheda per 16 milliaria vectus, & aliquot diebus vino Rhenano usus, pergente febre, mane quodam, oborto celeri alvino stimulo, semel, atque iterum sine ullo dolore egerit sincerum sanguinem: quo facto febris

(*a*) Vide §. 55. Nro. 2. Adde sq. f).
(*b*) Vide §. 55. Nro. 13. b).
(*c*) Diff. cit. §. 43. p. 25.

bris illico desiit, pristinaque rediit sanitas. Sub uberiori itinere tertium quoque sanguinem dejicit, summo levamine. At mutato dein vitæ genere, statione, climate, post unum alterumve annum fluxus hic rursus desiit, reversis tantum sæpius moliminibus spasticis, pressoriis hypochondriacis. Medicus non tam fluxum revocare; quam potius morbum omnem abolere medendo connixus, omnia symptomata exasperat: accedunt dolores dorsi, lumborum, hypochondriorum immanes, non multo inde post motus arthritici, ac denique acerrima podagra, pene funesta. Accitus alius medicus nulla amplius arte potuit hæmorrhoides revocare, & quamquam symptomata subinde mitigarentur; morbus tamen mansit: donec æger petechiis correptus e vivis excessit. Dignus quoque memoria posterorum casus exstat apud H. BOERHAAVIUM (*a*): anus Hiberna 62. ætatis annum agens, post juventutem hilarem, ac tranquillam, sub salubri corporis motu transactam, ad 30 usque vitæ annum nullo tentata morbo, abhinc sæpius colica hysterica laborare cœpit. Paulo post catamenia penitus substiterant, horumque loco hæmorrhois periodice fluxit. Evenit 13 circiter annis, post violenta quodam exercitia, ut hæmorrhoides ovorum instar immaniter tumuerint cum summis cruciatibus; cumque topi-

(*a*) Consult. medicar. Vol. 2. Casu 24. p. 99.

topicis admotis intropulsæ, suppressæque fuissent, continuo podagra ægram prima tunc vice aggressa est, a qua liberari deinceps non potuit, valedixit dein solitis exercitiis; unde plethora nata, ac postmodo scorbutus. Aliquando latiores maculæ rubræ, velut a morsibus pulicum, toto corpore apparentes, intra 4. vel 5 dies denuo disparebant: ægra doloribus nunquam magis libera erat; quam præsentibus his maculis. Podagra binis præteritis annis nullam corporis plagam intactam reliquit, sed caput inprimis, ac stomachus patiebatur; hinc anorexia, ac post esum subita regurgitatio, & sæpé bilis puræ vomitus insecutus, demumque stomachus nihil, ac ne bis coctum quidem panem ferebat, excepta panatella vin. stomach. julepis carminativis, ac spirituosis liquoribus. Inducias dolorum tabaci fumus maximopere adferebat. Nuper indomabilis pruritus tota in cute vexavit, subnascentibus hic illic superficialibus ulcusculis. Consultus Auctor præscripsit quidem remedia; sed eventus quis ab iis fuerit, haud constat.

f) *Arthritis*, *rheumatismus*. Illa plerumque vaga esse solet, raro fixa, qualem ALIX (*a*) in se ipso; tum ALBERTI (*b*) juvenis, &

(*a*) Vide §. 71. f).
(*b*) Vide 115. Nro. 3.

& vir GENSELII (*a*) a suppressis hæmorrhoidibus perpessi sunt. Perinde P. MONAVIUS apud CRATONEM (*b*) conquestus est; se a suppresso hæmorrhoidum fluxu in arthritidem incidisse, & I. C. STUNZER (*c*) curandam habuit anum pene sexagenariam, quæ quoties hæmorrhoidum fluxus emansit, universali arthritide corripiebatur, P. E. DILLENII (*d*) plebejus 40 annorum sanguineo - cholericus nactus est cœcas hæmorrhoides. Chirurgus tumori dolenti applicat unquentum nephritico anodynum: unde tumor in ano disparuit, sævusque dolor evasit mitior, circa os sacrum tantum jam restitans; sed atrocior, pedes, brachia, nuchamque periodice invasit; ita ut iste gravior fieret, quo prior circa os sacrum mitior evaserat. Arthritis erat vaga. Larga in talo pedis Væ. Sonc. balneo vaporoso, vesicantibus ad brachia, & externo ℞ theriacalis camphorati usu, interne vero diaphoreticis, refrigerantibus, cinnabarinis, & anodynis datis æger convaluit intra 14 dies. Externe ℞ dictus; interne MRa simplex plurimum profuere. Perinde F. LOSSII (*e*) matrona juvenis, sedentariæ vitæ, sabulo rhenum, &

(*a*) Vide §. 62. b)

(*b*) Epist. 236.

(*c*) L. c. p. 61.

(*d*) Misc. nat. cur. cent. 7. Obs. 53.

(*e*) L. c. Obs. 24.

& leucorrhoeæ obnoxia, post enema, dein catharticum, tum brachii phlebotomiam, demum apozematis purificantis, eccoprotici usum, denuoque venam pedis tusam, ac tandem jura aperientia, lenientiaque, interposito rursus cathartico; ubi ▽as ♂les haurire cœpisset, a prioribus quidem malis minus passa est; sed hæmorrhoides cœperunt dolere, dein fluere; ita, ut per aliquot annos sub quavis dejectione sanguinis ad ℥iij, ac plures excreverit: unde minus vegeta, & pallida evasit. Tandem fluxu sponte cessante ab arthritide sæpius affligebatur. Apud F. HOFFMANNUM (*b*) vir sanguineus 47 annorum laute; sed sub mobili vita nutritus ad 30 annum sanus, dein ex assidua sessione; & lucubrationibus incidit in angustam spirationem; meteorismum, tormina; & ossis sacri dolores; quæ arte provocatæ hæmorrhoides sustulere, abhinc 10 annis quovis mense affatim fluentes, interdum etiam cum diarrhœa. Istam ante 7 annos pota ob imbecilitatem stomachi ▽a sedlicensis effecit annuam cum virium jactura; nonnisi ▽a Egrana dein cum vino sub epulis pota sedandam; sed simul hinc turbatæ hæmorrhoides; unde podagra periodica nata, cui ante biennium depulsæ successit arthritis vaga, & huic demum etiam ante semestre desinenti contumax oculi dextri ophtalmia cum ejus lateris hemicrania, post octo

(*a*) L. c. Cent. 1. Cas. 5.

octo dies lævum in latus commigrantes, atque hinc post 14 dies in dextrum iterum latus redeuntes, quæ alternatio fere singulis 14 diebus accidit. Varia his malis medicatio facta, vario perinde successu. Ejusdem (*a*) femina 50 annis major post menses penitus amissos ante 2 annos enormes quandoque uteri, anique hæmorrhagias perpessa, ubi ab his phlebotomiis, remediis temperantibus, antispasmodicis, leniterque diaphoreticis, & infuso millefolii, libera evasisset, procedente tempore incidit in dolores ischiaticos, & lumbares, nec Væ. Se. nec eccoproticis, nec temperatis diaphoreticis, nitrosisque leniendos; donec sponte loco mutato mox ad scapulas, & pectus, mox ad genua transirent, indeque in pristinam denuo redirent sedem. Calculorum quoque interdum excretiones cum lotio molestæ successerunt, calculosis, rheumaticisque doloribus crebrius alternantibus, qui tamen a motibus animi, ac varietate tempestatis semper acerbiores facti ægram ita afflixere, ut & vires, & carnes decesserint, malo jam ultra annum durante. Notatu vero dignum fuit, quod cum ægra ad leniendum aliquatenus assiduum, & gravem lumborum, & coxarum dolorem situm dorsi curvum sibi elegisset, inferiorum dorsi vertebrarum ligamenta usque adeo relaxata fuerint, ut illæ

e

(*a*) Med. rat. syst. T. 4. P. 2. S. 2. C. 8. cas. 1.

e ſitu ſuo quodam modo protruſæ prominerent, & ipſa ſine dolore erecta incedere vix poſſet. Solicita dein Auctoris ope ægra priſtinam recuperavit ſanitatem. Apud eundem (*a*) Cauſidicus, 30 annis major, gracilis; at fibroſus, ultra 15 annos pene ſingulis menſibus hæmorrhoidum fluxum habuit, toti ſuæ familiæ ita ſolennem, ut non modo uterque parens eum continuo pateretur; ſed liberi quoque, imo & feminæ circa 12 & 15 annum, rite licet fluentibus catameniis, eidem eſſent obnoxiæ. Hoc fluxu a 4 menſibus non reverſo inſignis animum, corpusque languor invaſit, ſimulque dolor tenſivus, & conſtringens in ſterno; ac thorace cum frigore, ac ſpiratione præſertim a motu difficiliore; & alvi ſegnitie eſt obortus; 4. Væ. Sbus. pedis non abolendus. A fortiori autem corporis motu cum aliquando fluxus, exiguus licet, rediiſſet, omnis ocyus dolor, ac moleſtia deſiit, non ſine ſenſatione calidi cujusdam humoris a thorace ad pelvim ſenſim deſcendentis, ceſſante autem fluxu dolor priſtina loca repetiit. Haud multum abſimilem hiſtoriam narrat J. J. FORTIS (*b*) de Abbate annum 51 agente, parentes hypochondriacos nacto, qui ipſe multis abhinc annis malo hypochondriaco obnoxius a moderato quandoque hæmorrhoi-

(*a*) Ibid. caſu 8.

(*b*) L. c. Cent. 3. Conſ. 11. p. m. 328.

hoidum fluxu oborto levabatur. Poſt graves autem animi motus incidit in immodicum hæmorrhoidum fluxum cum lipothymia; quo ſuppreſſo ſtatim ſupervenit intenſiſſimus lævi thoracis dolor maximo cum fervore, ac dyſpnœa, lotioque multo, crudo, aquoſo. Sedato dolori ſucceſſit febricula levis, 1mo vel 2do die iterum ſoluta, omnia hæc mala ter rediere, & quidem ſemper ab animi pathematibus cum pondere quodam in ano ad perinæum usque protenſo, dolore dorſi, & ſtomachi imbecillitate.

13. *Hæmorrhagiæ vicariæ* omnis fere generis; quæ inhibitum hæmorrhoidalem fluxum reſarcire ſolent, cujusmodi ſunt inprimis.

a) *Narium Hæmorrhagia.* Duo ejus luculenta exempla narrat M. ALBERTI, ac primo quidem loco (*a*) tabellarius 46. annorum, ſanguineo - melancholicus juvenis crebras narium hæmorrhagias paſſus, dein multis itineribus deditus; dum hyeme quadam domeſticam rem procurat, externas nactus eſt hæmorrhoides, quæ poſt paucum fluxum iterum deſiere. Inſequente hyeme cœcas adeptus hæmorrhoides cum gonagra, & iſchiade; ſimplicia tantum uſurpavit auxilia, artificioſis abſtinens; vere autem peregre profectus, poſt vini

(*a*) Diſſ. de inſolitis. hæmorrhoid. viis. §. 16.

vini Thuringici in via potum, dolorem pulſatilem, ardentem, & lancinantem externum circa anum in diſtantia 2 digitorum latorum ſenſit, demumque ſub alvi dejectione inter eundum urgente, in loco dolente perruptio ſpontanea accidit; & ad venulam in ſuperficie loci affecti ſitam per aliquam moram ſatis inſignis ſanguinis quantitas guttatim effluxit, ſumma cum euphoria; fluxuque dein ſponte iterum ceſſante homo abhinc nunquam amplius vel hæmorrhoides cœcas, vel dolorem coxæ, genuve paſſus eſt; ſed hæmorrhagiæ narium aliquoties iterum per annum, præſertim vere, & autumno, ſuccedebant, queis ſub negligentiori diæta, & regimine intermittentibus vel eryſipelas capitis, vel acer rheumatismus naſcebatur. Alter (*a*) „Parochus „ . . . 30 annorum, ſanguineo-melancholi„cus, ob frequentiorem uſum vini Hungarici „hæmorrhoidarius redditus; qui vero incon„grua diæta hoc hæmorrhoidale negotium „turbavit, abhinc narium hæmorrhagias, quæ „in pueritia ipſi familiares fuerant, repetitas „expertus fuit; quas vero utpote in officio „ſuo moleſtas . . . cohibuit. Inde tubercu„lum ſanguinolentum in extrema narium ſu„perficie obtinuit; quod frequenti compreſ„ſione adeo irritatum fuit, ut in majus con„crementum tranſierit. Id ipſum vero, dum

„Væ.

(*a*) Diſſ. cit. de excreſcentia naſi &c. §. 4. p. 17.

„Væ. Snes. repetitæ in pede inſtitutæ, hæ-
„morrhoides denuo revocatæ, & in ordinem
„deductæ, & tandem deſiccativa remedia ex-
„trinſecus, nec non revulſoria alia admini-
„cula applicata fuere, iterum ſucceſſive eva-
„nuit; licet jam in ſatis magna mole exſtite-
„rit.“ Pari modo ab hæmorrhoidum ſuppreſ-
ſione narium hæmorrhagiam SCHURIGII (*a*)
vir, ac SCHWERDTNERI (*b*) pater perpeſſi ſunt.

b) *Palati* quoque e venis profluvium ſan-
guinis ab hæmorrhoidum interceptione litera-
to ZETTERMANNI (*c*) accidit, & C. HELWI-
CHII (*d*) viro annum 30 ætatis agenti, ſan-
guineo-melancholico, qui in Italico itinere
ex abuſu generoſi vini 27mo ætatis anno hæ-
morrhoides nactus fluentes; ubi eas ſupprimi
ſivit, abhinc jam gravativo circa ſacrum os
dolore, jam ſpasmis vagis, jam gravibus an-
xietatibus, imo & lipothymiis, aliisque ma-
lis afflictus eſt; donec aliquo poſt tempore
lancinantem primum circa uvulam dolorem,
ardoremque ſenſit, quo brevi iterum deſinen-
te aliquanto poſt per biduum ſanguinem ſcre-
avit ſenſim, & per intervalla citra ullius af-
fec-

(*a*) Vide §. 133. a)
(*b*) Vide §. 104.
(*c*) Vide §. 108. b)
(*d*) Miscell. nat. cur. dec. 3. ann. 9. Obſ. 118.
p. 214.

fectus indicia. Variis adstringentibus adhibitis efficere nequivit, quo minus hæc oris hæmorrhagia aliquoties rediret circa illas ipsas lunæ phases, quibus antehac hæmorrhoidalis fluxus contingebat. Veri quoque est simile, propolam AMATI (*a*) huc perinde, non ad hæmoptoicos, esse referendum. Luculentissimum autem hujus commatis casus memoriæ prodidit J. W. F. BOENNEKEN (*b*): faber ærarius 49. annorum, cholerico-sanguineus, nullis vel hæmorrhagiis, vel morbis periculosis obnoxius, serius & levia scorbuti symptomata sentire cœpit, & conqueri simul interdum de doloribus lumborum, anorectica flatulentia, & alvo obstructa. Cœcas insuper hæmorrhoides, interdum & stillantes cum acerrimo tenesmo experiebatur. His autem, nescio cur, restitantibus cum aliquando ex itinere frigido, nebulosoque rediisset, salivam cruentam sputare cœpit: quod malum cum a collutoriis stipticis potius invalesceret, inspecto postridie ore, visebatur linguæ apex & latera, gingivæ, velum pendulum turgidissimis varicibus undique obsessa, ac sanguis non ex his modo; sed etiam raninarum finibus copiosus profluere; imo & ex linguæ superficie leviter pressa, velut e madida spongia sanguis floridus egrediebatur, ac, si quæ varicu-

(*a*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*b*) Act. nat. cur. Vol. 8. Obs. 41.

riculæ creparent, novæ mox ſuccrescebant. Porro toto corpore præſertim in pedibus, ac pectore rubicundæ, ſcorbuticæ petechiæ, in brachiis vero maculæ latæ, lividæ, dolorificæ adfuere. His omnibus febriles motus ſe junxerunt. Sanguis e pedis vena eductus, ubi coivit, lividus erat, viridis, gelatinoſus, cruſta tenaci, velut corio, coopertus. Væ. Snem. ſyncope ter, quater ſecuta. Cum bina collutoria adſtringentia ſanguinem non cohiberent, revulſio, & hæmorrhoidum revocatio tentata acriori enemate; ſed latentes in recto inteſtino flatus minimum ejus admiſerunt. A meridie diei 3æ cum ad compescendam oris hæmorrhagiam nec novum collutorium, nec ℥es temperantes, nec litus antiſepticus, nec ptiſana hordei cum ſcordio quidquam opis ferrent, nec dolores faucium, ac tonſillarum externis epithematibus lenirentur, media nocte ſpongia marina cocta ſemicircularis figuræ collutorio impragnata ac linguæ ſubdita hæmorrhagiam paulisper minuit, ac horæ ſomnum procuravit; ſed a cohibito in vaſis ſanguine lingua plus tumuit cum dolorifico, & quaſi igneo ardore, ac rigiditate. Diei 4æ mane ſpongiis ſuffecti ſacculi ex herbis vulnerariis, & adſtringentibus, datumque eccoproticum, quo bis alvus mota. A meridie læto omine dolor in lumbis obortus cum teneſmo: ad promovendas igitur hæmorrhoides injectum enema, & pro ſacculis oris linteola ſtiptico liquore imbuta pro obvolvenda lingua adhibita, hæmorrhagiam oris pau-

paulatim cohibuere. Interne data MRa. e temperantibus, diapnoicis cum opio. Circa ½ noctem febriles motus orti mane iterum desiere. Pro inflammatione veli, & uvulæ pene gangrænescente præscriptum gargarisma antisepticum. Mane diei 5æ datæ ℞æ. rhei ▽sæ. ʒiij. cum liqu. ∀æ. fol. ♀ri. ʒj. alvum semel moverunt, & a meridie hœmorrhois stillare cœpit: idcirco iterata enemata. Subortæ autem tunc dysuriæ, & ischuriæ occursum ℞a. ⊖. ♀ri. & fotu e fl. samb. & chamom. in lacte coctis ano, perinæoque admoto, quo fluxus hæmorrhoidum redditus uberior somnum etiam accivit. Die 6a nonnisi tenax mucus vix ullatenus cruentus exscreabatur; rursus ergo datæ ℞æ. rhei ▽sæ. ʒvj. pro dosi, & ad assiduos lumborum dolores mitigandos imperatus usus infusi e millefolio, adianth. alb., cort. citr., & sem. fœnic. Hodie primum a lingua, palato, & gingivis corruptæ partes abscedebant, & mundificatio occepit non sine dolore, & ardore partium læsarum, cui perinde provisum. Sub noctem febriles motus graviores non insalubres coorti. Die 7a rursus ℞æ. rhei ▽sæ. ℥ß. exhibita, præter infusum lenissime diureticum. Hodie screatus mucosus, & maculæ illæ scorbuticæ pallidiores. Vesperi ad præcavendam febrim data MRa. antipyreta. Die 8vo desiit oris, anique hæmorrhagia, curatio ulterior ad oris ulcera, vires & scorbutum directa, ægerque consanatus. Minus vero molesta fuit id genus hæmorrhagia palati in J. C.

BÜN-

GÜNDELLI (a) viro mediæ ætatis, a juventute tubercula in ano jam plus: jam minus tumescentia gestante, at sine ullo molesto symptomate. Horum nonnulla cum aliquando solito magis intumuissent cum vehementi dolore, omnia quæque topica eludente, maximum ex iis aperiri jussit: quo facto egressus mediocri copia sanguis coactus illico dolorem solvit, simulque præter apertam varicem aliæ quoque duæ collapsæ sunt. Post aliquot hebdomadas in medio maxillæ superioris pone dentes incisorios ex vena identidem sponte rupta sanguis scaturiebat, semelque tam ubertim, ut hiatus linteo carpto fuerit obturandus. Nullus vel oris, vel capitis præibat dolor. Fluxus triduum durans, sua semper iterum sponte conquiescebat superstite in loco vesicula, quæ post 6. vel 8. horas rursum decrepans, novam causabat hæmorrhagiam. Desinens postmodo malum in biennium jam non revertit, neque etiam intra hoc tempus ani tubercula tumescebant.

Aurium e meatibus enatam ab hæmorrhoidibus interceptis hæmorrhagiam raro exemplo refert S. LEDELIUS (a): eruditus juvenis 30 annorum, hypochondriacus, continuæ alvi constipationi obnoxius, 4to tantum quovis

vis

(a) L. c. 15. Beobacht. p. 70.
(b) Miscell. nat. cur. dec. 3. ann. 5. Obs. 265.

vis die deſidens, menſtruum hæmorrhoidum fluxum ab aliquot annis patiebatur cum levamine, quo ob neglectam diætam aliquando ſuppreſſo, ſecuta 8. dierum ſuppreſſio alvi, dolor hypochondriorum, cephalalgia, anorexia, ſitis, ac vigiliæ. Variis remediis parum opitulantibus cephalæa immanis in plures hebdomadas affligebat, donec eam inſignis ex auribus hæmorrhagia oborta ſolvit in momento. Lapſo menſe rediit idem hic fluxus eodem cum fructu; ſed eum revocatus aperientibus, ac præſertim ℞æ. metallorum fluxus hæmorrhoidalis demum abolevit, recurrente nihilominus itentidem, in primis a cibis flatulentis, & exceſſu in potu, cephalalgia.

d) *Hæmoptoe* vero multo ſæpius hæmorrhoidum ſuppreſſioni ſuccedere conſuevit, in quam prolapſi ſunt SCHMUKERI (*a*) complures ægri, AMATI (*b*) homo, ac duo STUNZERI (*c*) viri, quorum poſterior (*d*) poſt fluxum ſuppreſſum, cum diætam non mutaret, hæmoptoe correptus eſt; quam pediluvia, & Væ. So. in pede compeſcuere, abhinc, ubi ſalem amarum, enemata mollia, pediluvia, ac pedis phlebotomiæ fluxum revocaſſent, æger ut

---

(*a*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*b*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*c*) Vide §. 148.
(*d*) L. c. p. 100. ſq.

ut ante ſanus vixit. OETHEUS apud J. SCHENKIUM (*a*) alius meminit viri, qui a ſuppreſſo hæmorrhoidum fluxu poſthac menſtruam ſemper hæmoptoen patiebatur. BERCHELMANNUS (*b*) quoque curandum habuit Paſtorem 67. annorum, qui per 25. annos hæmorrhoidum fluxui obnoxius ubi hunc amiſiſſet, in ſputum, vomitumque cruentum incidit; Auctoris tamen opera priſtinam recuperavit ſanitatem. Perinde J. STORCHII (*c*) homo 38. annorum, ſanguineus, euſarcus, utroque parente phthiſico natus, multis junior narium vexatus hæmorrhagiis, A. 1718 ætatis 26 multum equo, & curru vectus hæmorrhoides nactus eſt, qua cœcas, qua fluentes, queis adſtringente ſuffitu repreſſis, crebra, ac diuturna, utut non copioſa, ſucceſſit hæmoptoe. Quot annis quidem 4. Væ. Ses. inſtitutæ; ſed confuſæ jam in brachio; jam in pede, hinc iterum hæmorrhagiæ narium indicia redibant. Septembri 1727. conſultus Auctor ſuaſit æquinoctiales, & ſolſtitiales Væ. Ses. per plures annos, ſemper in pede, ac minimum ad ℥viij — x. Porro per menſem, bis quavis hebdomade, pilulas vel BECCHERI, vel STAHLII; ad tuſſim vero ℥rem pectoralem cum infuſo herbarum, in paroxiſmo

---

(*a*) Obſ. med. L. 3. P. 1. Obſ. 159.

(*b*) Fragmente zur Arzneikunde. 3. Päckchen n. 8. p. 74. ſqq.

(*c*) Obſ. clin. ann. 8. Decembr. d. 4. p. 668.

mo autem ℥em e nitro, & corall., ac pediluvia. Decembris 10ma A. 1730. referebat, ſe per biennium hoc ſic ſatis bene valuiſſe, parca interdum, nec periculoſa hæmoptoe recurſante. A Dominica 1ma poſt trinitatis laboravit 18. hebdomadum 4na, in medio triplici, ad ℥es, eſſentias, electuaria cum vino ante inſultum ſumta, pilulasque catharticas, quæ ſæpe alvi loco vomitum civere, contumaci; demumque ℥e ſem. Lycopodii ad ℈j e ♌ frumenti, ante acceſſionem ſumto profligata, relictis tamen poſt ſe ſudoribus nocturnis. Ante 8 circiter hebdomades a doſi ℥is antiſpasmodici veſperi ſumti hæmoptoe jam ab anno quiescens revertit; ſed ℥e ex nitro, & corralliis, ac pediluvio iterum ſopita. Poſt 4. hebdomades rediit gravior cum vehementi dolore in quadam dextri lateris plaga, mox ſub coſtis. Admoto ad locum dolentem fotu ex aceto vini, in quo folia roſ. rubr. intabuere, & Væ. Se. brachii hæmoptoe denuo quidem ſubſtitit, ſed ex illo tempore homo ſpasmos in pectore ſenſit, & dolores dextro in femore, ac dorſo ab humeris ad anum usque protenſos cum inſigni raucedine, ſæpe revertente. Poſt 4 alias hebdomades hæmoptoe iterum revertit, æger noctu exſcreabat cum ſanguine rutilo multum muci lenti, qui interdiu ſtrias tantum ſanguinis vehebat. Cum fruſtra ℥em ante proficuum cum potu pectorali ſubadſtringente uſurpaſſet, nec plus opis tuliſſent adſtringentia ab his; ab illis glutinantia, trachomatica; ab aliis opiata præſcripta, hæmoptyſi, 10mo quovis die re-

cursante, consultus denuo Auctor, cernens naturam tot remediis, inprimis adstringentibus confusam, jubet ægrum sepositis omnibus remediis aliquamdiu abstinere, & aliquot paroxismos sub leni regimine, tenuique potu perpeti; in declinatione imperat Væ. Sem. in pede, & hirudines ad anum. Ab his plus, quam ab omnibus hactenus usurpatis, profecit, & iterata ante vernum æquinoctium Væ. Sne. in pede, toto insequente anno penitus fere liber ab hæmoptoe effectus est. Aliis autem id genus hæmoptoe magno stetit. Vir certe J. C. BAEUMLINI (*a*) inde phthisicus demum periit. L. WOLFSTRIGELII (*b*) vir 49 annorum, melancholici habitus, & per aliquot annos hypochondriaco malo admodum vexatus, præprimis de dolore hypochondrii lævi conqueri solitus, post suppressum hæmorrhoidum fluxum, quo alias levari solebat, hæmoptoe bis intra semestre correptus est, qua 3tio reversa interiit. Lien ei magnus erat, lividus, flaccidus, vasa mesenterica, & gastro-epiploica atro sanguine turgida, & quasi varicosa; ren sinister dextro & minor, & flaccidior, dexter autem in parte superiori extrorsum, cystidem habuit, lusoriæ instar pilulæ, turgidam sero subflavo, quod ex ea dissecta cum impetu erupit; nullaque via erat con-

---

(*a*) Commerc. Nor. T. 13. A. 1739. hebd. 52. Nro. 2. p. 413.

(*b*) Miscell. nat. cur. dec. 1. ann. 1. Obs. 43.

conſpicua, qua illuc pervenit. Pulmones turgidi & inflati erant a ſanguine nigro, fermentescente, qualis etiam in liene, & confiniis venæ portæ, ac dextro cordis ventriculo repertus eſt. Hanc ipſam obſervationem diſſimulato veri Auctoris nomine inter ſuas retulit S. BLANCARDUS (*a*). Paulo diutius vitam traxit J. D. GOHLII (*b*) bibliopægus ex interceptis prava medicatione hæmorrhoidibus perinde hæmoptoicus, donec demum occubuiſſet.

e) *Hæmatemeſis* ſi non frequentius; certe æque frequenter, ac hæmoptoe ab interceptis hæmorrhoidibus progigni ſolet, præprimis autem a præpoſtero emeticorum uſu, ut accidit in ALBERTII (*c*) viro, ac cive STEGMANNI (*d*), quorum iſti etſi nihil a vomitu cruento mali evenerit, plerisque tamen aliis ille funeſtus eſſe obſervatur. Sic apud H. BOERHAAVIUM (*e*) Marchio pater DE SAINT AUBAN poſt hæmorrhoides prætumidas igne, ferroque exſtirpatas integro anno recte valens bimeſtrem deinde nactus eſt dyſpnoe-

(*a*) Prax. med. cap. 4. opp. med. theor. practic. T. 2. p. 83.
(*b*) L. c. dec. vol. 10. Sect. 3. p. 50.
(*c*) Vide §. 60.
(*d*) Ibidem.
(*e*) L. c.

pnœam, cui enormis 10 dierum vomitus cruentus superveniens, eum e medio sustulit. Perinde J. C. GOEFZIUS (*a*) refert senem 75. annorum vegetum post suppressas pravo regimine hæmorrhoides in inflammationem internam, & hæmatemesin letalem incidisse, postquam illum biennio ante iisdem malis correptum auspicato morti eripuisset. In Annalibus Vratislaviensium (*b*) vir post depulsam podagram & suppressum hæmorrhoidum fluxum, prius uberem, incidit in hæmaturiam, anxietates, spirationem brevem, capitis inflationem, & obnubilationem cum vomitu primum contentorum, dein etiam sanguinis, præsertim post usum calidorum elixiriorum contra priora symptomata. Post Væ. Snem. in pede data temperantia nitroso - cinnabarina, & eccoprotica; sed cum homo demum ob messem properans curationem abrupisset nondum triduanam, domi e suffocatione cum epilepsia repente exspiravit. Perinde F. HOFFMANNI (*c*) „generosus vir 45 annorum, temperamenti sanguineo - melancholici, aulicæ „vitæ deditus, assuetus victui duriori, vino „liberalius utens, lumborum dolore vexatus, „in hæmorrhoidalem fluxum incidit, quo ipse „do-

---

(*a*) Act. med. Vol. 2. Obs. 190.

(*b*) Tent. 36. A. 1726. Junii. d. 2. art. 1. §. 2. p. 667.

(*c*) Diss. de salubritate fluxus hæmorrhoidalis. §. 10. opp. Suppl. 2. Part. 2. p. 114.

„dolor ſenſim conquieſcit. Poſt 4 annos ceſ-
„ſantibus hæmorrhoidibus, & omiſſa . . . .
„Væ. Sne. cui alias aſſuetus erat, dictæ diæ-
„tæ indulgens, infeſtabatur dolore ſæviſſimo
„ſiniſtri lumbi, ut inſomnis multas noctes
„traduceret; urina mingitur rubicunda, vires
„proſternuntur, appetitus ceſſat; alvus ad-
„ſtringitur. Medicus . . . . calculi præſen-
„tiam ſuſpicatus ꭥum ſalis, nec non eſſen-
„tiam Zedoariæ volatilem ad flatus diſſipan-
„dos propinat per longum tempus: dolor in
„dies augetur, fixiorque redditur cum mag-
„na anxietate, animique crebra defectione,
„alter medicus in conſilium adhibitus prop-
„ter venarum turgescentiam, & ſanguineum
„corporis habitum ſuadet Væ. Snem. in pede,
„maxime cum antea æger ei aſſuetus fuit, &
„hæmorrhoidali fluxui ante aliquot annos ob-
„noxius: qua celebrata ſanguis cum impetu
„erumpit ad ulnam usque exſiliendo; dolor
„poſtea lumborum pauxillum remittit; vires
„interim fractæ manent, circa ſiniſtrum hy-
„pochondrium tandem dolor ſeſe magis ex-
„tendit, vomitu æger tentabatur, fruſtra da-
„tis omnibus abſterſivis, balſamicis, aperien-
„tibus, ſtomachiis internis: tandem cruentæ
„vomitiones ſequuntur, quibus etiam animam
„exſpirat.“ Multo hisce felicior fuit Vir J.
G. BRENDELII (*a*) „qui hæmorrhoides paulo
„lar-

(*a*) Diſſ. de cholera humida. 4to Götting. 1747.
Reſp. J. T. BELIO. §. 5. p. 13.

„largius fuſas pro dyſenteria habitas acceptis „ab empyrico adſtringentibus cum coercuiſ„ſet; in vomitum cruentum magna cum car„dialgia, torminibusque incidit, inter quæ „dum laxantur iterum hæmorrhoides, etſi „fluxus uterque terrere videretur, multum „tamen levaminis ſenſit, blandeque ſedato „demum utroque, a pedum oedematibus, „quibus ante laborabat graviſſimis, vindica„tus fuit.„

f) *Umbilicalis hæmorrhagia*, cujus non vulgarem L. G. KLEIN (*a*) ſuppeditat obſervationem: „puer ex primo in mundum introi„tu corpore plenus, parentibus natus habi„tus ſtricti, non hæmorrhoidariis, quadrien„nis, ſubito experitur ſanguinis e recto inte„ſtino fluxionem haud aſſiduam; ſed perio„dicam, & ſub alvi depoſitione duriore certis „temporibus, non autem regularibus notabi„lem. Transibat tandem eadem in ſtillicidium „ſinceri ſanguinis continuum. Conſulebantur „medici, atque chirurgi varii; tandemque per „ſuffumigium ano admiſſum male ſiſtebatur, poſt„quam biennium duravit. Aſt quid? Umbi„licus mirum protruſus plorat pedetentim ſan„quinem ſincerum, mox vero cumulatius pro„fluit iſte. Applicantur ſpecies nervinæ vino „incoctæ, quibus prominens umbilicus retra„hitur; ſuperhabentur ☋es ſtiptici; ſed incaſſum.

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 10. Obſ. 71.

„ſum. Qua de translatione morboſa adiit „mater miſeri medicos varios; præſcripſere „multa, nihil vero mutatum de morbo. Puer „cum haberet 11 annos, & meum poſcit au- „xilium ipſius mater. Profluvium jam tum „per quinquennium durans contingit pedeten- „tim quotidieque promanante ſanquine puro. „Puer corpore tener eſt, ac conſumtus, men- „te docilis, facie pallidus, ſtatura parvus, „dextri hypochondrii juncta eſt durities non „doloroſa, in abdomine incidunt ſpasmodicæ „ſenſationes, calor intercurrit volaticus cre- „bro cum horripilationibus alternantibus, ur- „get totius corporis lanquor, ſitis, ſom- „nus profundus, appetitus vagus, ventriculi „gravitas, ex dyspeptis aſſumtis, alvus ple- „rumque debite exoneratur, tuſſis ægrum-vel- „xat periodica, magis vere, atque autumno „pulſus celer eſt, pedes ſemper frigent; Præ- „ſcribo 1mo) elix. viſcerale balſami temper. „HOFFMANNI. cum liq. 🜃a fol. 🜿ri, eſſent. „milefol., caſcarill. aquos., ℞a ⊕li ♂ „LUDOV. 2do) infuſum theeforme ex mille- „fol., agrimon., hyperic., virg. aur., ſem. „fœnic. 3tio) frequentiorem pediluviorum, „atque enematum ſimplicium uſum, 4to) diæ- „tam exactiſſimam, regimenque temperatum. „Nil faciunt eadem; clyſmata autem omiſere: „quin laſſitudo increſcit, diarrhœa cum dolo- „ribus infimi ventris accedit. Appetitus ci- „borum quandoque excedens eſt. Præbeo „apozema ex plantis aperientibus pauco lacte „caprillo remixtum. Suadeo, ut aliquot hi-

rudi-

„rudines inteſtino recto admoveantur clysma-„te prævio. Commendo Selteranas pro ſolen-„ni cura junctis pediluviis domeſticis. Ne-„gligit mater conſilium: fato relinquitur puer. „Cum in præſenti habeat annos 24, tandem „percipio certius Pariſiis, ubi degit, ſilere „fluxionem umbilicalem, neque etiam recru-„duiſſe hæmorrhoidalem, iſtamque ætate cre-„ſcente ſucceſſive ſponte ceſſaſſe.„

g) *Hæmaturia* quoque non infrequenter ſuppreſſo hæmorrhoidum fluxui ſupervenire aſ-ſolet, cujusmodi exemplum VANDERMONDE (*a*) ſuppeditat, pluraque ejusdem generis etiam alibi (*b*) occurrent, queis & HOLLERI (*c*) no-bilis, & ISENFLAMMII (*d*) ſenex, & plures SCHMUKERII (*e*) ægri, & SCHURIGII (*f*) vir, et STORCHII (*g*) mulier, & Vratislavienſium (*h*) homo addendus.

h) *Stymatoſis* denique etiam interdum, utut rarius, ſupreſſarum hæmorrhoidum in lo-cum ſucceſſiſſe eſt obſervata, velut in RAIMAN-NI

(*a*) Journ. de Medecine T. 1. p. m. 168.
(*b*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. veſicæ §. 10.
(*c*) Vide §. 117. β.
(*d*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. albar. §. 16.
(*e*) Vide §. 115. Nro. 3.
(*f*) Vide §. 133. a)
(*g*) Vide §. 75. c.)
(*h*) Vide præcedent. e).

NI (*a*) & SEGNERI (*b*) viris, & I. A. GENSELII (*c*) miles gregarius post subsistentem familiarem sibi hæmorrhoidum fluxum, incidit in involuntarium, & copiosum sanguinis puri ex pene fluxum, etiam in somno citra mictionem, ardorem, aut dolorem, cum tensione tamen subinde abdominis, ac virium post mensem prostratione. Datis autem absorbentibus, temperantibus, emulsis nitrosis, & alcalinis, ac demum tonicis fluxus hic substitit, ægerque convaluit.

14. *Agmina symptomatum* complicatorum, & interdum satis mirabilium, dum sanquis hæmorrhoidalis ab ano quasi repulsus, quaqua versum in alias corporis partes regurgitat, earum functiones simul, ac semel lædit. M. ALBERTI (*d*) meminit juvenis theologi 21. annorum, melancholico-sanguinei, valdeque plethorici, & ante 4 annos largum hæmorrhoidum fluxum passi, qui secta ante aliquot tempus brachii vena, cum substitisset ejus loco magnus sanguinis in venis orgasmus natus est, in quibus æger insolitum ardorem, præcipue in brachiis, & palpitabundum in iisdem venis motum etiam sensit. Ventriculus in-

(*a*) Vide §. 84. d)
(*b*) Ibidem.
(*c*) Miscell. nat. cur. cent. 3. Obs. 51.
(*d*) Dissert. de hæmorrhoidib. juniorum §. 4.

insuper læsus erat, ægro in dies magnam sputi viscidi ex gula ascendentis copiam excernente. Junxit se his gravis passio hypochondriaca, & pertinax alvi obstructio. Perinde A. LOEWII (*a*) pharmacopœus 50 annorum ex familia hæmorrhoidibus masculo sexui hæreditariis obnoxia, juvenis adhuc fluxum hunc nactus est, menstruum & cum euphoria; quo restitante continuo supervenit corporis lanquor, tormina, gravitas ad os sacrum, æstus p. n. quasi continuus, defluxiones capitis biliosæ, ophthalmia; &c. virili autem in ætate fluxus excedere cœpit, namque singulis pene hebdomadis recursabat, sanguine ad libras manante cum virium lapsu, faciei colore subviridi, coxarum gravitate, crurumque debilitate, ut vix homo incedere posset. Sisti tamen cito non debuit, secus ocyus præcordiorum anxietates, dyspnœa, & cordis palpitatio aderant, lente autem ac circumspecte medendo obtenta est moderatio fluxus per multos annos. Numerosa quoque symptomata simul inde perpessi sunt ALIXII (*b*), GENSELII (*c*) ac HERMANNI (*d*) ægri, HOFFMANNI (*e*) vidua,

---

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 1. append. Nro. 1. Constit. epid. Sempronienfis A. 1706. p. 60.

(*b*) Vide §. 71. f)

(*c*) Vide §. 62. b)

(*d*) Vide §. 55. Nro. 5.

(*e*) Vide §. 108. a)

dua, plurimique alii, inter quos nobilis quidam apud G. H. VELSCHIUM. (a)

§. LVI.

Revocatio *hæmorrhoidis* interceptæ nulla subinde arte obtineri potest, obtenta vero tempestive tollit plerumque morbos a suppressione natos: ast ubi sero nimis obtinetur, vix quidquam opis adferre visa est. Judiciose profecto, ut solet F. HOFFMANN (a) „quam facile (inquit) & expeditum est, & „mensium, & hæmorrhoidum fluxum sistere; „tam arduum, & difficile erit eundem revo„care, inque ordinem redigere, & quidem „eam ob rationem, quia constrictis extremis „vasis, & partibus, per quas fluxio fit, & va„sorum & nervosarum partium motus statim „invertitur, & versus interiora, & superio„ra declinatur: qui motus alienissimus, si diu „durat, quasi in habitum abit, & ægerrime „emendatur. Hinc fluit ratio, cur mala illa „spasmodica a retento, vel intempestive co„hibito mensium, & hæmorrhoidum fluxu „tam pertinacia, ac fere insanabilia sint, nisi „mox inter initia convenientibus remediis iis „occur-

---

(a) Consil. medic. Cent. I. Nro. 7.

(b) Med. rat. syst. T. 2. P. 3. C. 6. §. 21. Scholio.

„occurramus." Exemplo ſit M. ALBERTII (*a*) Sereniſſima quædam ægra, cui ceſſans hæmorrhoidum fluxus, varias accivit ægritudines, variis quidem artis ſubſidiis leviores primum effectas; verum cum diæta, & regimen therapiam non adjuvere, afflictio increvit. Quam ne mineralium quidem aquarum uſus emendavit; imo auxit, ut ab ulteriori aquarum uſu fuerit deſiſtendum. Plura alia id genus exempla paſſim hocce opere lectori occurrent. Revocato autem mature ſatis fluxu graviſſima quæque mala ocyus, aut inſigniter imminuta, aut penitus ſublata fuiſſe docent plurimi caſus, ut ALBERTII (*b*), ALIXII (*c*), ALBRECHTI (*d*), SOMMERI (*e*), BERCHELMANNI (*f*), KLEINII (*g*), STAHLII (*h*), &c. J. J. SCHLIERBACH (*i*) meminit pueri cholerico-ſanguinei, gracilioris, qui

IImo

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidum prudenti therapia per acidulas, & thermas. §. 8. Tract. cit. P. 2. p. 172.

(*b*) Vide §. 55. Nro. 13. a)

(*c*) Vide §. 71. f)

(*d*) Vide §. 55. Nro. 7.

(*e*) Ibidem Nro. 13. d)

(*f*) Ibidem. f)

(*g*) Ibidem Nro. 9. b)

(*h*) Vide §. 84. c)

(*i*) Act. nat. cur. Vol. 8. Obſ. 49.

11mo ætatis anno præviis dorſi, ac ventris doloribus nactus eſt hæmorrhoidum fluxum quovis menſe per 3 annos rite revertentem illæſa ſanitate; ſed ubi dein per 4 periodos non rediit, ſucceſſit colica cum doloribus dorſi, ſequente brevi poſt lotii ardore, & inſigni ſcroti tumore, quem chirurgus pro ſcrotali hernia habens diſcutit herbis aromaticis in vino coctis; inde emplaſtrum ſtipticum, faſciamque apponit, interne præbet, neſcio quem ſpirituoſum liquorem, quo ſanguis magnopere commotus: hinc anxietas ad præcordia, temulentia, pavores in ſomno, puerque noctu ſurgens hinc inde per domum ſui inſcius oberrabat. Sed ℥re temperante nitroſo aliquoties dato ſymptomata omnia conquievere, tandemque fluxu etiam reverſo puer omnino convaluit.

§. LVII.

PROVOCATIO *hæmorrhoidum* ambigui ſemper eſt eventus, & periculoſa. Ex omnibus enim hactenus dictis probe expenſis, & ad ſe mutuo collatis ſponte fere ſua fluunt ſequentia corollaria, quæ præſentem theſin veram eſſe probant.

1. *Hæmorrhoides ſemper ſunt morbus.* Enim vero „quocunque modo accidunt hæ„morrhoidalia pathemata, inquit M. ETTMÜL-

LERUS

„LERUS (*a*) omnia ſunt præter naturam, cum „hæmorrhoidales affectus naturaliter nemini „contingant, adeoque ſemper eorum affectus „præſupponunt ſtatum præter naturalem, & „morbidum, hinc ſicuti mulieribus vitio „menſium ſupervenire ſolent.“ &c. In eandem ſententiam abit LUDWIG (*b*) dicens: „cum „hæmorrhoides in ſanis, & robuſtis homini„bus nunquam fluant: ſed in his tantum, „qui aliquam ſanitatis ſpeciem præſeferunt, „ob varia diætæ vitia, interdum excitentur; „facile concluditur, hunc fluxum, in primis „nimium, ſemper ex cauſis morboſis oriri, „ideoque etiam effectus ejus nunquam ſaluta„res eſſe poſſe. Dyscraſia humorum, & te„nuis ſeroſa cum acrimonia ſæpius conjuncta, „& atrabiliaria tenacitas, acrimonia nun„quam deſtituta; in laxitate & rigiditate ſo„lidorum cacochymiis his convenienti ſimul „ſe monſtrant, ideoque varias diſpoſitiones „morborum fovent. Quamquam vero in ri„giditate ſolidorum cum geneſi atræ bilis „conjuncta hæmorrhoidalis fluxus auxilium „eſt; tamen perquam raro moderatus cog„noſcitur: quemadmodum igitur nimis par„cus moleſtus eſt; ſic ex altera parte copio„ſa ſanguinis excretio, quoniam acrimoniam „non tollit; ſed tenuitatem & deffectum cruo„ris

(*a*) L. c. p. 144.
(*b*) L. c. p. 413.

„ris boni inducit, ſanitati infenſa eſt.“ Si itaque a morboſo tantum corporis ſtatu hæmorrhoides ortum trahunt, liquet ipſas etiam morbum eſſe debere, atque hujusmodi ſtatum, ſi prius non adfuit, provocatione hæmorrhoidum arte facta induci absque periculo non poſſe. Cum autem hæmorrhoides ſemper ſint morbus, utpote effectus corporis morboſi, tunc

2. *Criticæ hæmorrhoides etiam ſunt, minus tantum malum, collatæ cum morbis, quorum ſunt criſis*; at ita, ut facile in majus degenerare, idque vel exceſſu, vel defectu, queant. Nam cum malum hoc admodum mutabilis ſit indolis; facile in nimium fluxum, vel ſuppreſſionem utrumque periculi plenum, deturbari poteſt. Unde non abs re S. A. D. TISSOTUS (*a*) „raro (ait) beneficium, „& flebile quidem beneficium ſunt, hæmorr„hoides.“ Hunc ſecutus HILCHEN (*b*) „hæ„morrhoides ſuas & ad cœlum usque extol„lant (ait); nobis ſane laus hæc ſemper me„rito, & ex jure ſuſpecta erit; eſt enim hæ„morrhoidalis fluxus vacillantis ſanitatis co„mes, & aurei illi montes, quos ſibi hæ„morrhoidarii medici pollicentur, parturiunt „ſæpe pœnitendos morborum ſucceſſus.“ His binis

(*a*) Epiſt. ad ZIMMERMANN. Obſ. 2. Nro. 8.
(*b*) Diſſ. de dolore coxæ. §. 11.

binis, quæ ex ipſa iſtius fluxus ſponte etiam oborti natura eruuntur, prius expenſis, videamus nunc ecquid ipſa provocatio mali directe cauſare valeat.

3. *Provocatus arte fluxus poteſt eſſe incongruus morbo*: i. e. quoniam diagnoſis moliminum hæmorrhoidalium non ſemper abſoluta haberi poteſt, ob ſigni pathoghomici defectum, facile evenire poteſt, ut ad præſentiam quorundam ſymptomatum hæmorrhoidalia molimina mentientium, & ex longe aliis interea cauſis enatorum, animum quis præſertim, qui ubique hæmorrhoides clam ſubeſſe ſuſpicatur, adjiciat ad hasce provocandas, ſicque unum curaturus morbum per alium pro uno duos efficiat, prioremque illum deteriorem etiam reddat. „Præconcep„ta opinio, inquit HAEN (*a*), ubique hæ„morrhoidas quærendi id damni praxi intu„lit, ut vera cauſa dolorum in lumbis, in ano, „in veſica urinaria prætervideatur, homines„que neglecta vera ærumnarum cauſa fru„ſtra ad hæmorrhoidas torqueantur. Con„tigit videre in praxi ſic diſpoſitiones cal„culoſas, ſic recti inteſtini inflammationes, „deſperatas relaxationesque eſſe neglectas, ne„glectu fere eſſe reddita.“ Porro dum fluxum provocare ſatagimus, non raro

4. Pro

(*a*) L. c. §. 19. Nro. 6. p. 37.

4. *Pro fluxu hæmorrhoides cœcæ furentes oriuntur* cum discrimine, nedum utilitate, eo, quod ad fluxum facilem, moderatum, ac placidum nec vasa sæpe disposita sint, nec sanguinis aut indoles, aut motus localis. Quam autem gravia symptomata, ac perniciosi inde effectus sæpe oriantur, satis superius (*a*) vidimus. J. G. HOYERI (*b*) vir vitæ delicatæ, & uberi vino assuetus quandoque dysaresteſi vexabatur: medici Væ. Ses. cathartica, aliaque idonea dantes motum quoque crebriorem cum strictiori diæta imperarunt, donec alius superveniens hæmorrhoidum provocatione opus esse persuasisset: idcirco pilulas balsamicas, essentiam dulcem, hirudines, frictiones ani, &c. diu in usum duxit; at sperati fluxus loco nil nisi fistulam ani letalem obtinuit. Sed ut demus, erupturum adhibita arte sanguinem, num per anum ideo semper erumpet? Imo vero

5. *Stymatosis*, *hæmaturia*, *hematemesis*, *hæmoptoe*, &c. perinde evenire poterit. Cum enim hæmorrhoidalia vasa non modo per intestinum rectum; sed vesicam etiam, vaginamque uteri, ac penem discurrant, evenire utique potest, ut major forte in harum partium; quam ani vasis adsit dispositio ad hæmorrhoidalem sanguinem excernendum. Tum-

(*a*) Vide §. 53. II.

(*b*) Act. nat. cur. Vol. 3. Obs. 17.

tumne autem eſt ſanguinis ex veſica urinaria profluvium? At demus etiam hæmorrhoides ipſo ex ano fluxuras, ipſe hic

6. *Fluxus fruſtraneus vel noxius eſſe poteſt*; enim vero præpoſtero ordine poteſt oboriri vel

a) Internarum hæmorrhoidum fluxus, ubi externis opus eſt, vel viciſſim: „male ſæpius „videmus, inquit HAHN (*a*), eorum ſucce„dere conatus, dum otiante plane natura illi „non piceum illum, qui forſan tota morbi „cauſa, ſanguinem educunt, ſed eum, qui „ex iliacorum vaſorum propaginibus floridi„or, vegetiorque, & quo homo miſer maxi„me indiguiſſet, profluit: unde efficitur, ut „ille longe debilior, mœſtior, magisque atra„biliarius reddatur.“ Quod ſi vero etiam ex iis, unde opus eſt, ſanguis erumpat vaſis, poteſt utique fluxus accidere.

b) *Nimius* vel mox initio, vel certe deinceps; quandoquidem id variæ, ac leves ſæpe cauſæ homini non ſemper evitandæ (ut ira, motus, potus, &c.) efficere ſolent: unde peſſimæ ſequelæ (*b*). Alias

c) *Parcus* vel *mucoſus* tantum elici poteſt, qui nullatenus; aut non magnopere ſymptomata, morbumque levat. Porro poterit eſſe

d) *Non*

(*a*) L. c. Nro. 1. p. 35.

(*b*) Vide §. 53. III. B. Nro. 1. a. b. c. d.

d) *Non levans*, utut ſufficiens, certum enim eſt, haud ſemper oborto fluxu ſymptomata ſopiri; ſed ſæpenumero pergere: quis autem a priori dixerit fluxum profuturum? denique etiamſi initio levans fuerit, morbumque prævium ſuſtulerit; habitualis tamen factus, ſi deinceps

e) Suppreſſus fuerit, quid eſt uspiam morboſi, quod non accerſere valeat (*a*)? Id autem nullatenus a noſtro pendet arbitrio, ut pro libitu hunc fluxum vel conſervemus, ne unquam ſubſiſtat; vel ſuppreſſum ocyus, facileque revocemus; quippe qui nulla ſæpe arte ſit revocabilis, ut ante dictum (*b*) hinc etiam GALENUS (*c*), ubi varia fluxum hæmorrhoidum concernentia expendiſſet. Subdit demum „aliter autem non eſt aſſuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas, evacuationi, ut quæ periculoſam habeat utramque immoderantiam, ſive ſupra modum ſanguis excernatur; ſive ex toto ſupprimatur.“

(*a*) Vide §. 55. (*b*) Vide §. 56.
(*c*) In HIPPOCRAT. Aph. comment. Nro. 25.

Errata.

Pag.	lin.			
1	5—6.	hæmorr-hagia	lege	hæmo-rrhagia.
2	8	appelatione		appellatione
	10	clarum, id omnino		clarum id omnino,
	23	unde		unde unde
3	1	ατιόςαξις		απόςαξις
3	21	HAMBERGIO		HAMBERGERO
4	18	autichorosi		aut ichorosi.
5	penu.	juxa		juxta
8	15	referrenda		referenda
12	4	diſtribuntur		diſtribuuntur
14	14	protrusæ		protruso
16	6	oblegat		ablegat.
	17	dedectum		detectum.
17	9	alliis		aliis
	15	prudenda		pudenda
22	8	Chriſtæ		Criſtæ.
	9	DIEIRISCH		DIEIRICHS.
30	13	annum		anum
31	22	anomalis		anomaliis
33	18	Frax.		Prax.
36	18	puella		puellæ
40	9	connatu		conatu
	18	tenuo		denuo
44	5	pro divitatem		proclivitatem
47	5	prodividatem		proclivitatem
55	14	apud		Apud
56	12	quod rare		quadrare
66	13	uleus		ulcus
70	11	dispnæa		dyspnœa
74	14	Ulmenſia		ulmenſis
75	14	ſiſtul		fiſtul.
77	13	hæmorrhagialium		hæmorrhagiarum.
78	17	quieverit		quiverit
	penul.	clim.		clin.
79	7	ſtereore		ſtercore
	8	molis		mollis
	11	profluere		proflueret
90	5	corralliorum		coraliorum
93	25	maleatione		malleatione
97	6	accenſentur		accenſetur
116	31	apra		apta
123	2	ſixi		fixi
	22	acidere		accidere
126	13	non		nomen
129	13	ne		nec
133	22	viro		viri.
142	20	ſuccuſatoriis		ſuccuſſatoriis

Errata

Pag.	lin.		
159	2	tuberculum esse lege inguinale.	turbeculum inguinale
161	5	I. E. DRANII	LEDRANI.
162	3	moles	molles
167	3	integro	integros
	6	unde triginta	undetriginta
169	20	referatur	referantur
172	9	firpandorum	sirpandorum
178	10	spelo	speculo
180	16	illiaco	iliaco
	19	pereptat	perreptat
189	6	horore	horrore
190	18	copiosæ	copiose
191	7	semper	super
195	14	errectione	erectione
197	3	C.	c.
199	10	pronunciare	prænunciare
209	1	2	1
216	2	quia	qui
222	3	quippe	quique
254	15	grisco	griseo
256	penul.	innitum	initum
257	17	Occalescentibus	occallescentibus.
261	4	hipochondriaca	hypochondriaca
262	ult.	sana :	sana,
269	19	tantoque	tantaque
270	8	postridio	postridie
272	8	solum	non solum
	18	viscidam	viscidam,
274	16	facta	facta,
	17	assiduo	assiduus
278	23	39vo	39no
	26	unguent,	ungvent.
279	13	asthtmate	asthmate
280	9	palbutie	balbutie
284	13	dypnoea	dyspnoea
287	27	indulgens. Sine	indulgens sine
	28	morebatur	morabatur,
288	6	referenda	referanda
289	25	quadridum	quatriduum
293	ult.	Nemb.	Novembri
301	3	quia	qui
	17	sensim 10 1/2	sensim per 10 1/2
305	24	bene	pene
319	17	parum perinclinato	parumper inclinato
	penul.	Jeterius	Jetus.
322	20	sere	fere
323	27	quodam	quædam
332	8	casus	casum.

WENCESLAI TRNKA
DE KRZOWITZ
S. R. I. EQUITIS MEDIC. DOCT. IN REG. UNIVERS.
PESTIN. PRAX. MED. PROF. P. O.

HISTORIA HÆMORRHOIDUM

OMNIS ÆVI OBSERVATA
MEDICA CONTINENS.

VOLUMEN II.

OPERIS POSTHUMI
EDITIONEM PROCURAVIT
FRANCISCUS SCHRAUD
IN EADEM UNIVERS. INSTIT. MED. PROF. P. E.

VINDOBONÆ,
APUD CHRISTIAN. FRIDERIC. WAPPLER.
MDCCXCV.

SERIES OPERIS.

PARS II.

a b)

§. 74.

3) In-

β. Ca-

b) Un-

1. Ca-

SECTIO III.

DIAETA.

* * *

HISTORIAE SELECTAE:

HISTO-



HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM.

PARS II.

DE METHODO MEDENDI HÆMORRHOIDIBUS.

PROLEGOMENON SUMMA CURATIONIS CAPITA.

Si ullo uspiam in morbo, priusquam manum ad medendum appuleris, omnia ſollicite circumſpicienda, & providenda futura ſunt, ne ſecus; quam res exigit, remedia adhibeantur; hæmorrhoidali mehercle præprimis in morbo ad id animum advertere oportet: quippe ubi vel leviſſimum ſæpenumero qua in medela; qua diætetico regimine admiſſum errorem ægri graviter & cum vitæ ipſius quandoque jactura luere ſolent, ut id allata deinceps exempla ſatis ſuperque docebunt. Ap-

prime itaque in hæmorrhoidum curatione trias illa therapeutica: *indicans*, *indicatio*, *indicata*, & memoria probe tenenda, & acri, ſagacique judicio practico inſpicienda eſt, quam proinde rite ordinatam, præmittam.

§. LVII.

I. INDICANS eſt hæmorrhoidalis morbus: hinc

II. INDICATIO multiplex, nempe ut

A. Fluxus hæmorrhoidum, ſi eſt

a) Salubris vel neceſſarius ob habitum,

1. Inſtans (evidentibus notis) leniter promoveatur;

2. Præſens vero jam, isque

α. Moderatus non turbetur; ne vel nimius evadat, vel ſupprimatur

β. Difficilis facilitetur obſtaculis remotis v. g. ſpasmis, lentore, &c.

γ. Nimius minuatur, vel cohibeatur caute:

3. Suppreſſus denique

α. Re-

α. Revocetur, ſi eum natura vel poscit, vel molitur denuo (ſublatis obſtaculis, & motu ſanguinis ad vaſa hæmorrhoidalia determinato); ſin minus,

β. Compenſetur arte.

b) Inſalubris, inutilis, non neceſſarius.

1. Inſtans discutiatur;

2. Præſens prudenter abigatur;

3. Recidiva præcaveatur.

B. *Symptomata* mitigentur, tollantur

C. *Effectus* hujus morbi ſolennes

a. Futuri & prævifi prævertantur;

b. Præſentes vero jam tollantur

III. INDICATA hocce in morbo primaria duo eſſe vult L. F. B. LENTIN (*a*) nempe

1. *Solventia* & moventia ſtaſes viscerum infarctorum,

2. *An-*

(*a*) Beobacht. einiger Krankh. Nro. 25.

2. *Antispasmodica;* ſed multiplici hic ſæpe remediorum apparatu opus eſſe ſatis innuunt indicationes variæ paulo ante dictæ rite expenſæ.

IV. CONTRA INDICATA denique, ſeu morbum ipſum ſeu ſymptomata ſpectes, ſunt univerſim duo.

1. *Acria* omnia nervos gravius laceſſentia, &

2. *Calida* motum ſanguinis augentia.

Ab his enim & morbum & morbi cauſam intendi conſtans docuit obſervatio. Hinc tironibus alte, ſerioque inculcandus eſt ſequens therapeuticus canon: *omnis morbi hæmorrhoidalis therapia eſto ordinata & placidiſſima*, id eſt: curatio hæmorrhoidalis cujusvis affectionis duas habeat dotes oportet, ſcilicet & ordinate & placidiſſime inſtituatur, ſummopere cavendo ne vel tumultuoſa, vel impetuoſa ſit. Ad tædium pene duo hæc paſſim ſuis in diſſertationibus inculcat obſervanda M. ALBERTI haud ignarus, nunquam iis ſatis aures tironum imbui, ut videre eſt in diſs. de hæmorrhoidibus longævitatis cauſa §. 28.(*a*), de

---

(*a*) Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. p. 148.

de hæmorrhoidibus excedentibus §. 25. (*a*), tum de hæmorrhoidibus cœcis §. 23. (*b*) &c. Ante omnia vero in diſs. de hæmorrhoidum ſalubri, & inſalubri promotione (*c*) rem nervoſe urget in hæc verba: „negotium hæmorr„hoidale utpote ſenſibile, & in anomalias „valde pronum nihil minus; quam tales in„conſideratas, præcipites, & audaces inva„ſiones perferre poteſt: inde ut plurimum „evenit, ut ejusmodi motuum hæmorrhoida„lium aggreſſiones, atque impulſus non di„rectum effectum, & ſcopum aſſequantur; ſed „periculoſas ſanguinis orgaſticas commotiones „acerbiores, graviores, & tenaciores viarum „ſtricturas ſpasmodicas, ſanguinis denique „exitioſas incarcerationes cauſentur. Ab „ejusmodi imperito auſu aliquando in ſub„jectis de cholerico temperamento paulo lar„gius participantibus illud ſuſpectum prove„nit phænomenon, ut loco promotionis hæ„morrhoidum pertinaciſſima alvi obſtructio, „atrociſſimi interni ardores, angores, & do„lores conſequantur, ut talis extrema cala„mitas aliquando ſtatum, & caſum propinati „veneni . . . æmuletur. Quid quod accidit, „ut oblata remedia hæmorrhoidum fluxum

„im-

(*a*) Ibidem p. 211.
(*b*) Ibidem p. 301.
(*c*) §. 10. p. 29. ſq. Reſp. 1. c. WOYT. 4to. Halæ 1726.

„impellentia poſt excitatam tenacem alvi oc-
„cluſionem plane alienas evacuationes, velut
„mictum cruentum, extreme angentem ſtran-
„guriam, periculoſam dyſuriam, aut exce-
„dentes vomitus, vel iliacæ paſſionis pro-
„dromos, & ſchemata excitent & cauſentur.„
Quæ hic a tumultuaria & impetuoſa in pro-
motione moliminum hæmorrhoidalium thera-
pia conſequi notat Auctor, his ſimilia & gra-
viora etiam ab ejusdemmodi curatione in pro-
vocandis, revocandisve, aut reſerandis cœ-
cis hæmorrhoidibus evenire ſolent, imo in
ipſis etiam ſymptomatibus perperam tractatis,
id quod Ill. STÖRK (*a*) meminit ab ſe viſum
„dum urina (inquiens) a dolore hæmorrhoi-
„dali retinetur; vitanda ſunt omnia fortiora
„diuretica, ſolis decoctis ex radice althææ,
„& glycyrrhiſæ utendum eſt, & venter, &
„partes circa anum debent emollientiſſimis
„cataplasmatibus involvi, foveri. Vidi a
„dato his in circumſtantiis ſpiritu terebin-
„thinæ urinam magis fuiſſe retentam, intu-
„muiſſe ventrem, ortum eſſe enormem in
„pelvi dolorem, & ægrum 3tio die poſt mul-
„tas anxietates, & poſt cru[illegible]les mingendi,
„ac alvum deponendi tenesmos obiiſſe. To-
„tum inteſtinum rectum, & pars veſicæ huic
„adjacens erat inflammata, aut gangrænoſa.„
Terebinthinæ [illegible]us acre, & impetuoſe agens
reme-

(*a*) Ann. med. II. p. 153 ſq.

remedium, dum ſanguinem ad vaſa recti, & veſicæ hæmorrhoidalia, jam alioquin turgentia uberius, & perpetim compulit, non potuit non exitialem his partibus ſtatum induxiſſe. Hocce itaque tirones exemplo admoniti ſapiant, oportet. Queis breviter præmiſſis ad omnis generis in hæmorrhoidalium affectionum therapia ſolennia indicata percenſenda tranſitum faciamus, quæ a multiplici experientia clariſſimorum in arte virorum ſeſe commendarunt; vel quæ uſus docuit, eſſe vitanda.

SECTIO I.

PHARMACA.

CAPUT I.

EMETICA.

§. LVIII.

I. Emetica num unquam hæmorrhoidalibus in affectionibus præbenda sint, merito ambigere licet; quando quidem non modo impetuosa sint remedia, quæ paulo ante dictum est excludi a therapia nostra oportere, sed etiam humores ab ano sursum ciendo sanguinem hæmorrhoidalem ad superiora regurgitare cum pessimis ægri rebus faciant, ut postmodo danda clare docebunt exempla (*a*).

§. LIX.

(*a*) Vide §. 60. 54. Nro 8. (*b*).

§. LIX.

1. *Indicant* nihilominus emeticorum lenium usum duo sequentia:

a) *Cruor in ventriculo extravasatus* vomitu spontaneo non eluendus, quem suppressæ, vel anomalæ hæmorrhoides illuc effuderunt. Unde M. ALBERTI (*a*) de curratione hæmorrhoidibus suppressis facienda disserens „excludimus (ait) itaque quascunque „immoderatas commotiones, & evacuationes, „in primis vero emeses, quæ facile motus „hæmorrhoidales tam ad ventriculum, quam „superiorem corporis regionem ducunt, & ad „vomitum cruentum disponunt, aut in hepar „& lienem periculosos effectus, & affectus „provocant. Si vero contigerit, ut artifex „prudenter, & certo judicare poterit, quod „ob hæmorrhoidum perturbationem, aut sup„pressionem non modo molimina ad cruentum „vomitum pertinentia orta sint, sed & actua„lis eruptio sanguinis intra ventriculum suc„cesserit; sanguis vero intra ventriculi cavita„tem profusus per vomitum non evacuetur, „sed in ventriculo delitescat, & multis an„goribus ansam præbeat, tunc & non aliter „nisi in hoc maxime reservato casu, & statu „con-

(*a*) Difs. de hæmorrhoidib. suppressis §. 24. Tract. de hæmorrhoidib. l. c. p. 244.

„cedimus mitissimam vomitus provocationem, „quo radicem ipecacuanham commendamus, „quæ post lenem, quem provocavit, vomi„tum, subtilem stricturam in affectis locis re„linquat.“ Utrum vero uspiam aliquo in praxi exemplo id Auctor exploratum habeat, me præterit; nec ullo id alius observatoris casu assertum facere licet. Meliori autem jure emeticum poscit.

b) *Saburra* biliosa, vel alia quævis primis in viis collecta; qua emetico excussa ille continuo cum euphoria minuitur, aut prorsus conquiescit. Sic B. HERMANNI (*a*) „Vir honestus 40. & aliquot annos natus, „hæmorrhoidum fluxui non raro, sed tum in„primis & copiosiori, & diuturniori obnoxius, „cum ex officii civilis ratione Baccho vel plus, „vel sæpius solito litare tenetur; tali enim „prægressa causa non dies duntaxat aliquot; „sed integras septimanas nonnunquam dura„vit cum inappetentia, virium lapsu, colore „faciei decolore, &c. Sumpta itaque aliquan„do a dicta causa occasionali, & appetitu pro„strato indicatione ♀ri emet gr. jv. sat „alias robusto exhibui, & en! vix dum ces„sante vomitu hisce concitato omnis illico „fluxus, qui a 14. diebus jam continuaverat, „cum euphoria cessavit. Quo successu permo-

„tus

(*a*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. Obs. 216.

„tus aliquot poſtea vicibus in ſimili caſu ſi-
„mili uſus remedio, ſimili quoque ſemper i.
„e. optato gaviſus eſt ſucceſſu.“ Huc etiam referre licet C. PEZOLDI (*a*) Equitem Saxonem 45 annorum, ſanguineo - cholericum, iræ, gulæque impotentem, & a 16to ætatis anno menſtruo hæmorrhoidum fluxui obnoxium tam uberi, ut raro infra ℔. jv. quavis periodo ſanguinis amitteret. Hic in Sileſia hyemem inter lautas epulas, vinique Hungarici compotationes exigens poſt hæmorrhoidum fluxum paulo diutius reſtitantem capiplenio, & hæmorrhagia narium corripitur; ſed promotis Væ. Sne. in pede hæmorrhoidibus utrumque deſiit. Demum 3tia Martii iter ingreſſus ſub hæmorrhoidum fluxu, hunc ſucculſſionibus corporis, & madore pedum ab aquis nivoſis ſæpius transvadatis, ita auxit, ut ſanguis ex ano velut e gutturnio rueret- cum virium lapſu, & hæmorrhoidum tumore dolorifico. Secta a balneatore brachii vena, tumentibus hæmorrhoidibus apertis impoſitum emplaſtrum ſarturninum; ſed his non ſatis opitulantibus 8va Martii Vratislaviam petiit, collapſa valde facie, amiſſisque (ut rebatur) ex ano pene 64 ℔. ſanguinis tam acris, ut cutem, & papyrum eroſerit. Recurſante identidem fluxu cum debilitate, & 6 dierum teneſmo inter deſidendum tremorem omnium ar-

(*a*) Obſ. med. chir. 51.

artuum ad eclysin pene causante, nec nisi flatus proliciente, datus interne ʒ ex ♁ ♂, ⦶, corall. cinnab. ess. cit. sicc. tum *MR*a. ex ess. millefol., & cort. ⊙, cum ♌. ⦶. dulc. Externe adhibitus fotus ex verbasc., chamom. &c. in lacte coctis. Ab his a meridie pulsus paulo fortior; sed æger a somno aliquamdiu subdelirabat, pergente fluxu, & lotio ad vitri latera copiosas crystallos deponente. Die nona a somno iterum subdelirus, ab ira bis dejecit, tenesmo sine ullis fere jam flatibus, at cum magno totius corporis tremore pergente, hæmorrhoidibusque cum dolore protuberantibus. Die 10. ter multa dejecit, tota nocte pervigil. Tenesmus cum tremore in desidendo ad eclysin fere, flatibus iterum cum sanguine prodeuntibus. Datæ 2 doses ʒis contra abortum Aug., & spec. de hyac. cum ⦶., & ess. cit. sicc. cum levamine, & a suffitu e verbasc. cum colophon. ac mastich. multa pituita alba alvo excreta. Die 11. a somno bono creber tenesmus cum tremore, & hæmorrhoidum dolentium fluxu. Datus prior ʒis sine ⦶. Die 12. post suffitum, & sumtum mane ʒem dolor pectoris cum anxietate non ferenda. Idcirco datis pilulis STAHLII, die 13. post aluum rediit hæmorrhoidum fluxus cum tenesmo, & ardore in Recto. Injecto enemate ex decocto furfurum tritici cum verbasco ac V. O., datus ʒ ex ♁ ♂, dente hippopot. ⦶o., corall., cinnab. & ess. citr. sicc. Die 14. somnus bonus, pulsus magnus, plenusque, &

hæ-

hæmorrhoides fluxere ſine ullo tumore, ac ſuperſtite adhuc dolore ac teneſmo, cum dejectionibus. Injecto ergo enemate datum infus e millefol. cum cinnab., & mac. Die 15. omnia priſtina cum anxietate poſt paſtum. Datus ☿is prior, ac elixir. ſtomach. cum balſamico HOFFMANNI, & ♀u maſtich. Die 16. omnia eadem. Poſtridie uritanus in ambitu, & veſtigia quædam adhuc ſanguinis in alvo viſa. Anxietati a paſtu ſublatæ ſucceſſit dolor pedis. Ex ☿e priore corallia omiſſa, & ſuffecti lap. 69. Die 18. ſudor tota nocte; dolor pedis deſiit; cum alvo ſanguis tenuis, aquoſus redditus, hæmorrhoides denuo cum pruritu protuberabant. Multus iterum die poſtero ſudor. Die 21. decedente omni hæmorrhoidum tumore, ac fluxu ſuperfuit pruritus. Hodie ac biduo præcedente purulenta quaſi ſanies alvo prodibat. Aeger bene habens medicum dimiſit; at pruritus ani non prius omnis deſiit; quam poſt duodecim vomitus, & 6 dejectiones bilioſas fruſtis bilioſis intermiſtas a datis ♀ri emet. gr. iij. abhinc vero homo plane convaluit, hæmorrhoidibus poſthac omni iterum menſe rite fluentibus. Satis itaque apparet, uberem hunc fluxum ſi non ex toto, magna ſaltem ſui parte a biblioſa colluvie ex ingluvie, ac ira in itinere proveniſſe, cujus reverſuri indicium ani pruritus manſit, quoad emetico excuſſa ano, catoque bile demum deſiiſſet, abacto ſimul recidivæ periculo.

§. LX.

§. LX.

2. *Contraindicant* vero emeticum omnia alia adjuncta præter sanguinem, & saburram stomachi adeo, ut illo dato quævis hæmorrhoidalis affectio in anomalias degenerent. Unde & M. ALBERTI (*a*): „vomitoria „hæmorrhoidariis valde sunt inimica, quæ „eximiam anomaliam motibus hæmorrhoida„libus communicant, & totum processum in „sensibilibus præcipue naturis adeo corrum„punt, ut ægerrime redintegrari queant". Enim vero emeticum in moliminibus hæmorrhoidalibus exhibitum tantum abest, ut ista adjuvet, ut multo potius motum sanguinis ab ano ad superiora invertat. Lugubrem id genus casum suppeditat M. ALBERTI (*b*): „Vir 40 circiter annorum, temperamenti me„lancholico - cholerici aliquot ab annis af„fectibus pectoris hæmoptoicis detinebatur, „qui successu temporis in dolores cardialgico„emeticos post assumtos cibos quotidie magis „increscentes, non obstante usu Væ. Snum. „in pede, desinebant. Hos in consilium vo„catus Practicus, dato annotericos motus „di-

---

(*a*) Diss. de hæmorrhoid. salubri & insalubri promotione. §. 9. p. 26.

(*b*) Diss. de fluxus hæmorrhoidal. provocatione (4to Halæ 1719 Resp. A. HERRMANN) thes. 17. p. 10.

„divertente ℥e rhabarbarino juncto ſtimulo „colocynthiaco præſentanee ſuſtulit; redibant „tamen poſt aliquot dies, & diſparuere rur- „ſus ſub iterato ℥is uſu cum levamine, in- „conſtanti tamen. Suadetur hirudinum uſus; „quem tamen recuſabat: potius alium adiit . . . „medicum. Hic poſtquam pravitatem ven- „triculi incuſaſſet, vomitorium præbet; cujus „uſum hyperemeſis ſecuta, accedente amau- „roſi, & actuali excretione ſanguinis, ſub qua „cruentam evomuit animam". Haud ſecius proxime inſtantem præſentemve fluxum hæmorrhoidum cohibent, ſanguinemque earum ad viſcera ſuperiora alliciunt, ac non raro cruentum inducunt vomitum. Sic A. STEGMANNI (*a*) „civis . . . . rite fluentibus quo- „vis vere, & autumno hæmorrhoidibus opti- „me ſe habuit per aliquot annos. Accidit „autem, ut quodam tempore vernali, & qui- „dem inſtante fluxu hæmorrhoidali propter „inappetentiam ventriculi vomitorio (neſcio „cujus conſilio) uſus ſit: vomuit etiam, & „per 3 continuos dies ſanguinem rejecit ni- „gerrimum. Steterunt exinde hæmorrhoides „fluentes, & illas exceperunt furentes, quas „tunc temporis ſopivit externis lenientibus. „Appropinquante vero autumno redeunt „hæmorrhoides furentes cum inſigni præcor- „diorum anxietate, metu ſuffocationis, & „ſin-

---

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 4. Obſ. 102.

„ſingultu moleſto . . . ordinabam illi optima „quævis interna, & externa, verum ſine ullo „levamine, & effectu. Refugi itaque irritis „omnibus aliis medicamentis ipſa ſic jubente „natura ad vomitorium, quo dato ſanguinem „craſſum, & nigrum rurſus rejecit, evane- „ſcentibus non longe poſt cunctis ſymptoma- „tibus. Quoties hinc ver, & autumnus re- „deunt, & vir hic inſigne pondus in dorſo, „lumbisque ſentit; toties utitur vomitorio, „& ejecto exinde ſanguine liberatur a præ- „dictis affectibus". Hocce in caſu unus quis- que mihi ultro dabit, emeticum, quemad- modum anomalo facto morbo evaſit, neceſ- ſarium; ab initio fuiſſe contraindicatum, exemplumque hoc vix eſſe imitabile ob ſin- gularem ſuam infrequentiam. Eo etiam for- midabiliora ſunt emetica draſtica, præprimis mobilioribus ægris propinata, ut cholericus quidam hæmorrhoidarius, cujus caſum C. F. DANIEL (*a*) literis mandavit, eſt expertus.

CAPUT

(*a*) Beiträge zur mediciniſchen Gelehrſamkeit, 2 Th. 10. Abhandl. 1 Fall. p. 255. ſqq.

CAPUT II.

CATHARTICA.

§. LXI.

II. CATHARTICA in omni omnino hæmorrhoidali affectione locum habent, nec nisi in placido, moderatoque hæmorrhoidum fluxu præsente contraindicantur, ne forte illum ultra modum augeant, nimiumque efficiant. In reliquis autem hæmorrhoidum malis cathartica triplici præprimis scopo adhibentur, videlicet: ut

1. *Alvus* dura, segnis, reddatur facilis, liberaque.

2. *Biliosa cacochymia* educatur.

3. *Fluxus hæmorrhoidum* excitetur, quatenus actione purgantis humores uberius ad vasa intestini recti derivantur. Quorum itaque trium casuum cum præcipua ratio in hæmorrhoidum medendi methodo sit habenda, erunt,

§. LXII.

1. *Indicantia* catharticorum sequentes affectiones hæmorrhoidales:

a) *Cœcæ hæmorrhoides* vel *molimina* earum triplici ex caufa utilitatem ex catharfi capiunt; primum enim alvum expediunt, ne a collecta fece, durataque non fine magnis editis nixibus egerenda compreffio venarum fedalium, & infarctus proindeque tumor, dolor, &c. hæmorrhoidum augeatur: tum etiam fanguinis uberiorem copiam ad vafa recti derivando fluxum falutarem imminentem promovent, fuppreffumque revocant (i. e. regurgitantem furfum fanguinem ad recti vafa denuo reducunt): denique & humorum copiam alias imminuunt, ficque ipfum vaforum fedalium infarctum minuunt vel prorfus etiam tollunt. Ad pofteriora duo pertinet, quod GALENUS (*a*) narrat: „Romæ . . . L. MARTIUS . . . „quotannis incidere in melancholiam con„fueverat . . . cum nihil (ab aliorum medi„corum opera) proficeret . . . Ego . . . ex „folo colore feci de noxio humore conjectu„ram, ipfumque effe melancholicum cognovi: „itaque eum ipfum evacuavi, & ftatim LUCIUS „eft melancholia liberatus. Huic (*b*) homini „expurgatione ambo hæc optima eveniunt, „quod & fuperfluitates expelluntur, & quod „ex acritudine eorum, quæ excernuntur, pa„rum-

(*a*) In lib. HIPPOCR. de humorib. Comment. 3. Nro 12.

(*b*) Ibidem in HIPPOCRAT. aphor. Comment. 6. Nro 47.

„rumper aperitur os venæ, quam vocant „hæmorrhoida, per quam excernitur pars ali-„qua ſanguinis vitioſi conſueti evacuari; quo „retento ſupervenit melancholia. Purgo igi-„tur ipſum non vere tantum ſed etiam au-„tumno . . . ſi ex contemtu aliquando pur-„gationem omiſerit, & morbum non anticipa-„verit, caſus perſentit paſſionis." Pro aver-tendis ſane hæmorrhoidalibus incommodis, præſertim ſanguinis ſurſum regurgitantis, nil utilius eſt, quam vere autumnoque & ſangui-nem (ſi opus ſit) demere, & alvum ducere, id-que vel maxime æquinoctiorum tempore.

b) *Suppreſſæ* quoque hæmorrhoides du-plici de cauſa catharſin exigunt, nimirum ad mala ſuppreſſo ex fluxu enata abigenda, tum ad fluxum ipſum (re ita poſcente) revocan-dum. Utrumque perficitur humoribus a ca-thartico anum verſus motis. J. A. GENSELII (*a*) viro „36. ætatis ſuæ annum agenti ex ſup-„preſſione . . . fluxus hæmorrhoidalis tam „atrox cordis palpitatio, cardialgia, aſthma, „tuſſis, anxietates ad usque deliquium animi „ingruebant, ut moriturum confeſtim time-„rent, quotquot intuebantur, ſinguli; aperta „vero laxantibus alvo ſtatim reſtitutus eſt. „Cum vero maturius; quam debebat, curæ „ſe

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 8. A. 1719 Jur. d. 2. art. 3. §. 3. p. 674.

„ſe ſubtraxiſſet, orgasmo humorum incarce-„ratorum, nec ſufficienter adhuc expurgato-„rum nondum plane ſopito in rheumatismum „arthriticum lapſus eſt, ex quo non niſi lon-„go tempore eluctabatur.“ Eandem cathar-ſeos in fluxu hæmorrhoidum ſuppreſſo revocando, malisque a ſuppreſſo illo ortis abigendis utilitatem experta eſt apud P. R. VICAT (*a*) virgo 40 annorum, e ſcrophuloſis parentibus orta, phlegmatico-ſanguinea, dudum valetudinaria, quæ poſt nimium hæmorrhoidum fluxum cohibitum in biennalem incidit rheumatismum, hemicraniam, aliosque dolores per vices torquentes. His ſilentibus ſucceſſere in aliquot menſes furunculi complures grandes; alius ex alio, modo ſinguli, modo numeroſi difficillime & quidem plerumque poſt 40 primum dies ſuppurantes, apice aliquot ante rupturam diebus nigrescente, acerbiſſimeque dolente. Ruptus tumor ſanioſum pus diu admodum, & cum roſionis ſenſu fundens ægerrime claudebatur. Tandem 10ma Octobr. varix hæmorrhoidalis ano protuberans poſt multos cruciatus crepat cum levamine, profuſo pauco ſanguine viscido. Menſes item a 10 diebus retardati ſimul fluxere; at parce. Eodem tempore furunculus, dudum in inguine apertus, brevi coivit. Abhinc ægra dies ali-

(*a*) Delectus obſerv. pract. append. obſ. 28. p. 284.

aliquot commodius habuit, donec 18va Octobr. denuo de anorexia, debilitate, vagisque imo in ventre doloribus quereretur. Quæcum instantem vel mensium, vel hæmorrhoidum vel amborum fluxum portendere viderentur, hunc Auctor promoturus præbet horis ante pastum cochlearia ij. infusi rhei vinosi cum ♀ro solubili, cujus post tridui usum varix rursus oborta, ac rupta, copiosiori nunc sanguine profuso, omnia ante dicta levavit mala. Vires valde exiguæ restaurabantur, finemque curationi imposuit usus 🜍æ ♂ii regulinæ LUDOLFI ter in dies ad gtt. 40. imperatæ, ex decocto sequenti:

℞. Saponar:
Cichor āā ℥jß.
Polypod ℥j. concis. coqu. in
▽æ ℔ vj. sub finem adde
Cort. cinnam. ʒij. colat. ℔ jv. D. U.

Horum ab usu ægra post 8 dies optime se habuit.

c) *Nimiæ* denique etiam hæmorrhoides non raro catharsi cedunt, quando nempe occasionalis earum causa primis in viis hæret, quæ ut plurimum colluvies biliosa esse consuevit. Hinc L. RIVERIUS (*a*) de curatione immo-

(*a*) Prax. med. L. 10. C. 10.

immodici hæmorrhoidum fluxus agens, „pur„gatio etiam blanda (inquit) humores bilio„ſos ſanguini impetum conciliantes ad inte„ſtina derivat.“ Perinde F. HOFFMANN (*a*): „quando cum virium jactura, & nobiliorum „functionum læſione effuſior fluxus diu perſi„ſtit, incipiensque viſcerum labes ſubeſt, & „magis ſeroſi, aquei; quam conſiſtentis, fi„broſi ſanguinis copia delinquit, conferunt „quam maxime ea, quæ ſuccos vitioſos, ac „bilioſos clementer, paulatimque per alvum „educunt, ſimul atque humorum motum a re„cto inteſtino ad tunicas, & glandulas reliquo„rum inteſtinorum alliciunt.“ Denique unus omnium inſtar audiendus hic O. BORRICHIUS (*b*) quærens: „an fluentibus liberaliter hæmo„rrhoidibus liceat uti cathartico? Dubitandi „ratio (ſubdit) inde proficiſcitur, quod pur„gantia turbent aperiantque, & hoc pacto „ampliorem profuſioni ſanguinis videantur ape„rire feneſtram. Contra humorum acrimonia „interea ſuadet catharticum, ne illi incubitu „longiori hæmorrhoidas patefaciant largius. „In hoc bivio tutius purgari; quam abſtinere „docuere me experimenta; fuere enim ex æ„gris meæ fidei commiſſis, qui menſtruis ejus„modi evacuationibus vexati cum viderent ſe

„tan-

(*a*) Med. rat. Syſt. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. Curat. §. 2.

(*b*) Act. med. Hafniens. Vol. 2. Obſ. 64.

„tandem debilitari non criticis; sed sympto-„maticis his excretionibus, opem flagitave-„re: quibus ego frequenter infuso rhabarbari „succurri, observans ternis alvi solutionibus „inter purgandum vix tantum cruoris effundi; „quantum una vice extra purgationis tempus „excerni solet; imo sæpe in ipsa purgatione „ne guttam sanguinis profluere, aversa alio „humorum rodentium acrimonia.“ Et vero aliorum id quoque comprobat experientia. Apud G. W. WEDELIUM (*a*) „vir primarius „per aliquot menses fluentibus hæmorrhoidi-„bus molestatus assumto leni purgante alias ipsi „familiari plurimis evacuatus est sedibus per „biduum, nec post feces aliud subsecutum „est; quam liquor plane biliosus: unde illico „hæmorrhoides substitere, nec per plures sep-„timanas post vel minimum de illis sensit „amplius.“ Imo interdum similis hæmorrhoidum fluxus vel nullis aliis; quam purgantibus cedit remediis; vel saltem non sine noxa alia medendi methodo tentatur. Sic „memi-„ni, ait R. SOLENANDER (*b*), me ANNAM ex „Ducibus Clivensium prognatam gravissimo „hæmorrhoidum, diuturnoque fluxu curantem „magna diligentia, summoque nisu, quia vi-„derem viribus labefactatis, spiritibusque „dissolutis summum discrimen imminere, pro-„fluvi-

(*a*) Opiolog. L. 2. S. 2. C. 5.

(*b*) Consil. 22. Sect. 4.

„fluvium obfirmaſſe (cohibuiſſe). Verum cum „illa inde, 1mo die recreata, ſequentibus mi„rifice gravari, & circa præcordia tumere, „atque inflari inciperet, revocatus 6to die, „coactus venis recluſis profluvium rurſus mo„vi; neque potui ſecure, & tuto ſtringere; „priusquam corpori lenibus evacuationibus, „hepatique neceſſario aliis alterantibus, at„que roborantibus proſpexiſſem". Atque ex his, pluribusque paulo poſt dicendis abunde liquebit (opinor), quanti ſint uſus cathartica in immodico hæmorrhoidum fluxu compeſcendo. Verum quamtamvis proficua hic ſint; tamen nec ſine ſelectu, nec ſine cautelis ea præbere oportet.

§. LXIII.

2. *Delectus* autem talis eſto, ut quacunque in hæmorrhoidali affectione, ubi alvus ducenda eſt, mitiſſima ſint eccoprotica, ſive lenitiva aut minorativa olim dicta. Namque monente L. RIVERIO (*a*) circa hæmorrhoidum dolorem, „purgantia potentiora in „hoc affectu non conveniunt; quia humorem „ad partem attrahunt, & tumorem irritant; „attamen alvus continuo emollienda eſt; „quia dura excrementa & cum aliquo conatu „emiſſa dolorem exaſperant". Perinde I. C. FROM-

(*a*) L. c Cap. 11. p. M. 376.

FROMMANNUS (*a*) de cœcis hæmorrhoidibus curandis agens „lenientia autem ſemper (ait) „præferenda ſunt purgantibus fortioribus, & „ad hæc non niſi per gradus progrediendum; „quippe hæc majorem ad vaſa jam ante affe„cta affluxum concitando obſtructionem, & „hinc dolorem pariter, ut in obſtructione „alvi pertinaciore, mirum quantum poſſunt „augere". Quid mirum? quando quidem draſticis purgantibus hæmorrhoides cœcæ nondum præſentes haud raro procurantur (*b*). Et quoniam ab iisdem viſus eſt immodicus hæmorrhoidum fluxus induci (*c*); tanto etiam minus convenient ipſo jam præſente, ne eundem reddant profuſiſſimum, & immedicabilem. Sed neque in ſuppreſſo fluxu revocando valentiora cathartica adhibere ſatis tutum eſt, ne, dum fluxum intendimus provocare moderatum, is aut immodicus accidat, aut ejus loco hæmorrhoides cœcæ dolentiſſimæ, furentes progignantur, ſerio enim ſuperius (*d*) eſt inculcatum, placidiſſimam medendi methodum in omni hæmorrhoidali affectione tenendam

---

(*a*) Tract. de hæmorrhoidib. P. 2. Probl. 30. p. 393.

(*b*) Vide §. 19. (*d*).

(*c*) Ibidem.

(*d*) Vide §. 57. IV.

dam esse „siquidem (*a*) negotium hæmorrhoi-„dale ita delicatum, atque facillimis anoma-„liis expositum est, ut vel levissima causa „pro turbis eminentibus concitandis satis fa-„ciat, quæ posthac non ita facile emen-„dari, & placari possunt". Commendatissima vero plurimorum suffragio hic sunt cathartica sequentia:

a) ⊖ *Epsomense*; quippe quod testante I. D. GOHLIO (*b*) „minores molestias sem-„per creare solet in subjectis hæmorrhoidibus „cœcis laborantibus".

(*b*) ⊙ *Fulminans*, quo nil efficacius expertus est S. T. QUELLMALZ (*c*) ad hæmorrhoidum fluxum vel excitandum, vel suppressum revocandum: „non semel (inquit ille) „auri hanc calcem extractis quibusdam ama-„ricantibus laxantibusque parce adjunctam „viris quibusdam athletico alias habitu cor-„poris præditis præscripsi, & mirum est dictu! „quam unica tantum dosis hæmorrhoides pe-„renni,

(*a*) M. ALBERTI diss. de hæmorrhoidib. excedentib. §. 25. Tract. de hæmorrhoidib. P. I. p. 211.

(*b*) Act. med. Berolin. dec. 2. Vol. I. Sect. 2. p. 78.

(*c*) Commerc. Nor. T. 5. A. 1735 hebd. 39. Nro 2. p. 306.

„renni, quamquam leniſſima, diarrhœa ſti-„patas excitare potis fuerit". At ſine ſalibus mediis remedium dandum eſt, cum iis enim hypercatharſin cum inteſtinorum ſpasmis creat.

c) *Tamarindi* vero præprimis in immodico hæmorrhoidum fluxu palmam aliis præripere creduntur FROMMANNO (*a*) teſte, non tam quod præter virtutem purgantem etiam aliquatenus ſtiptici ſint; quam quod ad bilioſam colluviem, cui toties immodicus hæmorrhoidum fluxus debetur (*b*), auferendam par ſibi remedium non habeant: Hinc etiam docet H. MERCURIALIS (c) tamarindos præcipue ad compeſcendum hujusmodi ſanguinem fluentem miram quandam poteſtatem habere, tam decoctos; quam in ſubſtantia uſurpatos; imo pruna noſtratia acidula, quæ aliquo modo tamarindos æmulantur, frequenter eſitata ante alios cibos huic rei etiam conducere.

d) *Rheum* autem hocce in morbo omnium eccoproticorum princeps eſt, omnium pene medicorum ſuffragio, quod præter vim catharticam etiam tonicam (in affectionibus hæ-

(*a*) L. c. Probl. XI. p. 266.

(*b*) Vide §. 22.

(c) RIVER. l. c. Cap. 10. p. m. 274.

hæmorrhoidalibus curandis perutilem) poſſideat. Solus illi, crebrius præſertim ſumto diffidit L. F. B. LENTIN (*a*): „ſæpe enim „ſumtum (ait) ſingularem poſt ſe relinquit in „nervis debilitatem, quam ipſe ſum expertus. Hac occaſione monendum duxi cum „rheo in feminis debiles nervos nactis, & ad „ſpasmos pronis caute admodum eſſe mercandum: verum eſt, a ℥e rhei ante ſomnum ſumti huncce tam placidum ſequi, ut cum ſomno ab opio non ſit conferendus; at expertus æger peculiarem per omnes artus percipiet ſenſationem, haud injucundam quidem; ſed aliquali tamen cum virium jactura „conjunctam". Interea nemo (quod ſciam) alius practicorum hæc eadem obſervavit, indubiisque conſtat exemplis, rheum in immodico præſertim hæmorrhoidum fluxu compeſcendo miracula ſæpe patraſſe. M. ALBERTI (*b*), poſtquam varia eccoprotica ab aliis commendata memoraſſet, demum „nos (ait) hoc loco „præferimus rhabarbarum, quod præ reliquis probatum, & ſecurum eſt, & hoc vel „in ſubſtantia, vel in ſimplici infuſo laudamus. . . Et tale quidem rhabarbarum licet, „ſi hæmorrhoidum fluxus diuturniori ſucceſſu „exceſſum commiſerit, repetito ordinare".

Perin-

(*a*) L. c. p. 162. ſq.

(*b*) L. c. p. 212.

Perinde apud F. HOFFM. (*a*), eodem in casu commendantur „rhabarbarina cum passulis mi-„noribus, & tamarindis, vel (quod idem) cum „cremore tartari, si corpus est biliosum, in „potione, elæosaccharo citri condita.“ Addamus observationes M. ETTMÜLLERI (*b*), „puer 12 annorum dolore, & fluore hæmorr-„hoidum internarum laborabat. Licet igitur „alvus quotidie esset aperta, idque forsan „occasione doloris stimulantis, dedit tamen „sequentem ☿em cum euphoria (præmissis „♂libus, sed irritis):

℞. ☿ rhabarbari ℈j.
Corall. r. ℈ß.
Lap. hæmat. gr. V. M.

„Inde enim omnia evanuerunt symptomata; „& cum post aliquot septimanas idem malum „recurreret, eodem ☿ denuo curabatur“. Pariter L. HEISTERUS (*c*) anniculo puero uberem ab aliquot diebus hæmorrhoidum fluxum post alvi dejectionem patienti (præviis ante obortum fluxum torminibus) dedit:

℞. Animæ rhei ℥ß.

Su-

(*a*) L. c.
(*b*) Obs. med. 303. Opp. T. 2. P. 2. p. 435.
(*c*) Medic. chir. u. anat. Wahrnehm. 2. Band. Nro. 221.

Sumat mane, versus meridiem, & 6ta vesperi gtt. xij. ad xv. Porro

℞. Lap. 69. citrat. ʒij.
Corall. r. ppt. ʒj. M. F. ℥.

S. vesperi ad cultri cuspidem. Ab horum usu fluxus desinens cum non multo post rediisset; imperatus ulterior horum remediorum usus. Idem (*a*) seni 60 annis majori assiduum a semestri hæmorrhoidum fluxum multis cum doloribus, extenuatione, viriumque lapsu passo, post multa ab aliis medicamenta incassum data præscripsit:

℞. Rhei ℥j.
⊖ ♀ri ʒj. coqu. in
▽æ font. ℔j. Colat. ℥viij. adde
▽æ Cinnam. c. v. ℥j. M.

S. mane, 3tia a meridie, & ante somnum Cochl. j. Intra 14 dies fluxus, doloresque fere prorsus conquievere, & appetentia, hactenus omnino nulla, rediit. Ab ulteriori itaque remedii m. & v. usu senex convaluit. O. BORRICHIUS (*b*) tantum rheo confisus est, ut neque gravidis immodico hæmorrhoidum fluxu laborantibus obfuturum censuerit:

„Quo-

(*a*) Ibidem Nro 466.
(*b*) L. c.

„Quoties autem (dicit ille) gravidæ ſuperve-
„nit fluxus hæmorrhoidum (ut fit quandoque),
„& is nec quiete, nec leniter adſtringentibus
„ſiſtitur, ægra interim quotidie lanquidiore,
„ambiguum eſt, utrum rhabarbaro locus ſit?
„Sed certum, potius iſthuc veniendum; quam
„cum evidenti periculo vel fœtus, vel puer-
„peræ, vel utriusque rem naturæ beneficio
„permittendam. Qui fortioribus hic inſiſtit,
„raro ita circumſpecte rem tranſigit, ut non
„alterutri immineat exitium". In aliis vero
extra graviditatem caſibus quantum ægris ſo-
lum rhabarbari infuſum commodi attulerit
in immodico hæmorrhoidum fluxu, paulo
ante ex eodem Auctore vidimus (*a*).

§. LXIV.

3. *Cautelæ* denique in catharticis adhi-
bendæ tamquam corollaria e præcedentibus
ſequentes eruuntur:

a) *Iterantur*, ſi opus ſit, cathartica in
diuturniori, ac rebelli hæmorrhoidum fluxu,
ut id ſuperius (*b*) M. ALBERTI cum rheo faci-
endum præcipit.

b) *Ta-*

(*a*) Vide §. præced. (c)

(*b*) Ibidem (d)

b) *Tamarindi* rheo præferuntur, vel certe junguntur, ubi manifesta colluviei biliosæ signa præsto sunt, ut id recte a F. HOFFMANNO (*a*) est notatum

c) *Tonica* pulchre catharticis junguntur, ubi alvus dura, difficilisque cum intestinorum laxitate hæmorrhoides vel causat, vel fovet. Hujus commatis exemplum R. LENTILIUS (*b*) literis prodidit mulier ad 24. annos nata, leucorrhœam diu passa, quater partu levata, post difficilem ante trimestre partum cœpit alvi constipatione vexari cum laboriosissima durorum scybalorum egestione. Post 6 hebdomades accessit hæmorrhoidalis tenesmus cum varicibus ani. Alvus quotidie cum vix tolerando labore, ac dolore feces cum sanguine reddebat. Ardor lotii aderat. Lactabat puerum; menstruis carebat, quæ semper alias lactans experiebatur. Cetera & appetebat, & dolore cessante bene habebat. Cum a bolo e pulpæ cassiæ ℥ß. cum ♁ Haly rec. ʒj., & laud. op. gr. j. sumto nil levata fuisset, postridie datum electuarium;

℞. Conf. fl. symphit.
— — Salv. āā ℥ß.
Pulp. Cassiæ ℥j.

Thur.

(*a*) Ibidem.

(*b*) Jatromnem. theor. pract. P. 2. C. 7. p. 402.

Thur. masc. succ. a. ppt.
Corall. a. ppt. āā ʒj.
♁ Haly. rec. ʒij.
Syrup. rosar. sicc.
— de Symphit. FERNEL āā q. S. F. elect. molle. S. M. & V. juglandis magnitudine.

Anus & varices ungantur calide sequenti litu:

℞. Unq. SCRETAE ad rhagad ℥jß.
Mucil. sem. cydon. ▽a malv. extr. ℥j. M.

Ab his ægra sensim integram recuperavit valetudinem, sola superstite leucorrhœa. Luculentior etiam est casus I. C. SPROEGELII (*a*): civis hæmorrhoidibus cœcis laborans repente insigni stranguria calculum vesicæ mentiente correptus est, cum tanta sphincteris vesicæ contractione, ut catheter calculi præsentiam detecturus spasmo, ac dolore prohibentibus nullatenus indi potuerit. Unde cum malum non tam a calculo; quam hæmorrhoidibus ortum esse liqueret, datum 3tio quovis die per 3., vel 4. vices eccoproticum ex ☿ti dulcis gr. v. cum s. q. conservæ rosarum, interpositusque usus ♃æ. ♂. cum vino malvatico

(*a*) Misc. nat. cur. Cent. 7. Obs. 67.

tico factæ. A prima catharſi mox omnis veſicæ dolor, ac ſtranguria deſiit, continuatisque cathartico, & ℞a ♂ æger ab hæmorrhoidibus cœcis eſt liberatus.

d) *Antispasmodica* quoque pulchro cum ſucceſſu adduntur eccoproticis. Hinc euporiſtus eſt nonnullis ♁is ſequens in omni affectione hæmorrhoidali:

℞. ♁ antiſpasmod. rubri.
Magneſiæ ⊕.
Rhei electi.. āā ʒij. M.
S. bis terve de die cochlear j. caffeaceum.

CAPUT III.

DIAPHORETICA.

§. LXV.

III. DIAPHORETICA quoque hæmorrhoidariis interdum utilia eſſe cenſuit F. HOFFMANN (*a*), idque in immodico præſertim hæmorrhoidum profluvio, ſi a vitioſa ſanguinis tenuioris conſtitutione provenerit; enim vero „tum quoque temperatiora diaphoretica (in-

(*a*) L. c.

„(inquit ille), corrigendo, & expellendo „acres humores, officium faciunt opportunum, „ibi maxime, ubi ſcorbutici, vel purpuracei „aliquid, aut alius exanthematicæ materiæ ſan„guinis, & ſeri contextui altius inhæret. Ho„rum in numero ſunt C. C. uſtum,,.. unicornu „foſſile, diaphoreticum ♂, acetum vini cum „lap. 69. mixtum, ▽a galegæ, florum ſam„buci, cardui benedicti, theriacalis, ſimplex „MRa, diaſcordium FRACASTORII, quæ in „potionem lege artis poſſunt redigi. Nec pro„letaria virtus eſt, liquoris anodyni minera„lis cum 4ta liquoris bezoardici BUSSIANI „parte nupti, infuſi item theiformis ex mille„folio, veronica, piloſella, aliisque concin„nati, & cum diſpoſitione in lecto, aut con„clavi ad blandum ſudorem poti. Atque etiam „non poſſumus non hoc loco merito commen„dare refractam camphoræ doſin ad gr. ß, „præſertim quando nitroſis & bezoardicis „♂bus commiſcetur; hac enim ratione acris, „& cauſtica materia, quæ ſæpe ſpasmorum „æqualem ſanguinis commeatum turbantium, „& hæmorrhagiam largam inducentium cauſa „eſt, obtunditur, & foras ejicitur, ſimul ad„ſtringentium, & anodynorum vis tantiſper „ne noceat, refrœnatur. Itaque non ineptus „cenſendus ille Veterum mos, quo campho„ram præcipuis ad ſiſtendas etiam hæmorrha„gias medicinis commiscuerunt, ut ut exigua „admodum doſi, cujus generis ſunt ſpecies de „hyacintho, diatrion ſantali, diatrion Abba„tis, trochiſci de carabe, ſperniola CROLLII,

„nec non famigeratissimus HEURNII ad sisten„dum sanguinis fluxum pulvis". Omnia hæc ut vera sint; nihil tamen effatu dignum a diaphoreticis in hæmorrhoidalibus malis præstitum apud observatores reperi; nisi forte titulo camphoræ cum *TRa* ♁ii exhibitæ huc referenda est F. HOFFMANNI (*a*) observatio: „Judæus annorum 50, natus patre hæmo„rrhoidario, & ipse a prima statim ætate san„guinis stillicidiis, in variolarum quidem, & „morbillorum morbo e naribus, ac postea „hæmoptysi obnoxius, 40 anno cœpit pri„mum pati hæmorrhoidalem fluxum, qui po„stea singulis fere mensibus, ac nonnunquam „sub fortiori, in itinere maxime, corporis „commotione rediit effusior. Quod cum sine „sanitatis detrimento contingeret, tulit pa„tienter; sed cum aliquot abhinc annis in„sisteret profluvium diutius, idque largum; „inde admodum fuit debilitatus, & appeten„tia cum digestione labefactata. Quare ut „auxilium quæreret, fuit coactus ad mode„randum fluxum; ex variis autem, multis„que remediis obtinuit nullum. Optimum „tamen tulit ♁ *TRa*. ex ⊖e ♀ri, & regu„lo ♁ii parata, & non tam acris; quam quæ „cum ⦶o conficitur, in cujus uncia soluta „camphoræ ℥ß, & mane, vesperique cum „aquæ frigidæ haustu sumta ad gtt. 20". Ambi-

(*a*) Ibidem Observ. 2.

biguum quoque eſt, eſſentiæ ne alexipharmacæ STAHLII, an unguento debeatur apud P. H. G. MOEHRINGIUM (*a*) curatio ſeptuagenarii proceri, macri, turgidis vaſis præditi, qui in hyeme poſt ventris dolores, & anorexiam, crebrosque meteorismos hyberno ſolſtitio ſub frequenti teneſmo feces cum ſanguine egerere cœpit; abhinc vero ad 19am Junii] usque jam ſerum ſubcruentum; jam flaveſcens liquor; jam ſanguis merus prodibat, meteoriſmo nunc facto moleſtiore, tumidisque varicibus per vices ex ano proſtantibus: donec ante noviſſimum triduum ani inflammatio illi accidiſſet cum tanto hæmorrhoidum fluxu, ut periturus videretur. Pergente ergo jugi adhuc fluxu cum magno cœcarum hæmorrhoidum ardore, præſcripſit Auctor:

℞. Mucilag. ſem. fænugr.
— — pſyll.
— — cydon āā ℥ß.
Maſtich.
Camphor āā ʒß. vel.q. ſ. pro unquento ano applicando. Interne vero datæ ter quotidie gtt. 50. eſſentiæ alexiph. STAHLII.

Ab his brevi poſt dolores, & fluxus deſierunt, varicesque evanuerunt ſine ullo in triennium

---

(*a*) Hiſtor. medic. Obſ. 23. p. 176. ſq.

ennium inde alio malo confecuto. Paratur autem effentia dicta (a) huncce in modum:

℞. Rad. imperatoriæ
— angelicæ
— helenii aa ℥j.
— hirundinariæ
— pimpinellæ
— carlinæ aa ℥jß.
Herb. fcordii ℥iij.
🜄 rectif. ℔ ijß.

Poft fufficientem extractionem exprimantur, & per filtrum trajecta effentia fervetur. Dofis a gtt. 40. ad 50. Non eft autem hic omittenda MRa *tonico-nervina* STAHLII dicta, quam D. W. TRILLERUS (b) hunc in modum conficiendam fiftit:

℞. TRæ ♂ii regulinæ ℥ij.
♌ C. C. rectificati ℥j. M.

Præparationem autem *TRæ* ♂ii, quam STAHLIUS (c) alcalinam acrem vocat, apud ipfum videre eft. Neque vero proportio horum duorum femper effe debet, ut 2. 1; nam pro

(a) TRILLER difpens. pharm. T. 2. p. 270.
(b) Thefaur. medicam. T. 2. p. 414.
(c) Colleg. cafual. magn. Caf. 69. p. 686.

pro re nata jam unius; jam alterius copia major sumi potest (*a*). Præfert autem Auctor hoc remedium in cohibenda quavis hæmorrhagia omnibus aliis cohibentibus, & adstringentibus, quod istis multo illud sit securius, & cito, facileque illas sistat, aut certe moderetur, si ter quaterve per diem exhibeatur ad gtt. 30. 40.: id quod multiplici se experientia edoctum esse testatur (*b*).

CAPUT IV.

SOLVENTIA.

§. LXVI.

IV. SOLVENTIA ex *incidentibus*, ac *diluentibus* conflata in hæmorrhoidali morbo summi sunt usus; quando quidem hæmorrhoides symtomaticas ex lentore, & obstructione viscerum enatas, cum cœcas; tum immodicas tollunt, criticas vero promovent, suppressas ob lentorem provocant, acrimoniamque humorum emendant, &c. Hinc recte

(*a*) Ibidem casu 39. p. 411.

(*b*) Ibidem casu 4. p. 88. casu 6. p. 108. casu 14. p. 183. &c.

G. G. LUDWIG (a): „primaria medici cura „eo tendat, ut liberam ſanguinis circulatio„nem quemadmodum in corpore univerſo, ſic „in ſyſtemate venæ portæ præcipue reſtituat, „ideoque elaborationem humorum omnium „non ſolum ratione primæ digeſtionis; ſed „etiam in maſſa ſanguinis, & omnibus inde „deductis humoribus adjuvet. Hoc reſolven„tia efficiunt medicamenta diluentibus juncta; „quæ cum diverſiſſima ſint, diſpoſitioni cor„poris ægri omnino accommodari debent". Id eſt, pro varia lentoris in humoribus natura varia etiam ſolventia locum habent. Namque in mucoſa diatheſi ſalina blanda cum aquoſis proſunt; ſed „quoniam . . . pituitoſa humo„rum indoles, inquit LUDWIG (b), rariſſime „hæmorrhoides conjunctas habet, ad atrabi„liariam præ reliquis reſpiciendum eſt, quæ „tenacitatem ſummam monſtrat, & nigrum, „nimisque craſſum cruorem offert. Hanc au„tem diſpoſitionem corrigunt potiſſimum ama„ra plantarum extracta, gummi ſaponaceis „juncta; cum in his vis nervina ſimul emine„at, quæ ſpaſticas tenſiones corrigit, & inde „(in primis ubi diluentia, leniter reſolventia „in ptiſanis ſimul addi poſſunt) circulum hu„morum omnino liberiorem reddunt". Contra

(c) Adverſar. med. pract, Vol. 2. P. 3. S. 1. p. 396. ſq.

(b) Ibidem p. 397. ſq.

tra ea, ubi hæmorrhoides cum phlogiſtica ſanguinis ſpiſſitudine, ac febre inflammatoria furunt, antiphlogiſticis, ſubacidis, nitroſisque opus eſt. In hæmorrhoidali illa Ill. STÖRCKII (*a*) febre poſt ſanguinem pro magnitudine morbi demtum „ſi dein decoctis antiphlo-„giſticis, nitroſis, ſubacidisque alvus leniter „aperta, & fluxilis reddita eſt, tunc morbus „cito levabatur. Qui decocta ſubacida, & „nitroſa ferre non potuerunt, his demulcen-„tia, emollientia, & oleoſa profuere". Sunt autem ex claſſe ſolventium aliqua, quæ in hæmorrhoidali morbo præprimis ſe commendant, nempe

§. LXVII.

1. *Nitrum* hic præcipue laudatur, non modo, quod ad omne lentoris genus ſubigendum; verum etiam, quod ad orgaſticum ſanguinis motum temperandum ſit eximiarum virium; quo poſteriore ſcopo teſte G. E. STAHLIO (*b*), „omnia alia medicamenta faci-„le poſt ſe relinquit".

HELWICHII (*c*) ſacerdoti e S. J. nimium hæmorrhoidum fluxum cum æſtu vago, aliisque ſymp-

(*a*) Ann. med. 2. p. 151. ſq. confer. §.

(*b*) Diſs. de hæmorrhoid. internar. motu Cap. 6. p. 26.

(*c*) Hiſtor. morborum Vratisl. p. m. 22.

ſymptomatibus ad omnia rebellem præſcripti ad domandam ſanguinis ebullitionem ☿is ⊕ſi 1na doſis ocyus minuit, altera prorſus cohibuit. Nitrum ideo cinnabari addita, eſt ſumme temperans, & nitroſo cinnabarina ſcopo temperante STAHLIANIS, ac HOFFMANNIANIS uſitatiſſima fuere Pauca quædam exempla e STORCHIO videamus. Viro (*a*) ſanguineo, & euſarco 60 annorum, ſubinde inſultus podagræ pati ſolito, & ob hæmorrhoides ſolito parcius procedentes ab aliquot hebdomadis dyſorexia laboranti, a ſequenti pulvere promotus hæmorrhoidum fluxus paulo poſt appetitum reddidit:

℞. ☿ antispasmod. ʒj.
— arcan. dupl.
— magneſ. alb. āā. ℈j. M.

Divid. in 5 doſes. S. m. & v. unam. Porro (*b*) vidua hæmorrhoidas immodicas cum tenesmo, ad ſyncopen usque vehementi, paſſa, ab uſu ſequentis ☿is convaluit:

℞. ☿ antispasm.
— ⊕. puriſs. āā. ʒj.
— magneſ. alb. ℈ij. M. div. in 8 doſes.

Deni-

(*a*) Prax. caſual. med. T. 2. cl. 4. p. 445.
(*b*) Ibidem p. 444.

Denique (*a*) opifici 30 annis majori, ac macro hæmorrhagia narium, hæmoptoë, ac hæmorrhoidibus ſimul ſine cauſa manifeſta laboranti hæmorrhagiæ omnes deſiere ab uſu hujuſce ⚴is:

℞. ⚴ antispasm.
— ⊕ puriſs. āā. ʒj.
— corall. r. ℈j. M.

Divid. in 7 doſes. S. quavis 3. vel 4. hora unam ex aqua fontis. Neſcio quid ſingularis virtutis abditæ inſit ſalibus mediis præter vim ſolventem ad ſpasmos quoque ſedandos, hæmorrhagiasque compescendas; de ſale certe communi eadem hodie, quæ nitro tantum STAHLIUS attribuit, referuntur. SCHIPPEN teſte MICHAELIS apud A. G. RICHTERUM (*b*) vehementiſſimum ex ano ſanguinis profluvium exhibito ſalis vesci cochleari ſtitit, & SCHIELE intra pauca momenta horrendam hæmorrhagiam eadem illius doſi cohibuit in viro, quem in via reperit.

§. LXVIII.

2. *Arnica* quantis polleat ſolventibus viribus, docet inſignis ejus efficacia in contuſio-

(*a*) Ibidem p. 406.
(*b*) Chirurg. Biblioth. 7. Band. 3. St. 2. Beytr. p. 583.

ſionibus ad grumoſum ſanguinem attenuandum: plurimum proinde etiam in liquando ſanguine coacto atrabiliario ab eadem eſt exſpectandum. Idcirco ſi ab nimio ejus lentore, ac ſpasmis concurrentibus hæmorrhoidalis fluxus fuerit interceptus, arnica, cum & ſolvens, & nervina ſit, utrique medebitur, attenuatoque cruore, ac ſpaſmis ſublatis fluxum procurabit. I. F. HENNING (*a*) decoctum hujus herbæ ad revocandum hæmorrhoidum fluxum ſemper cum fructu præbuit uſurpandum. „Mu-„lier e metaſchematismo hæmorrhoidali incon-„grue concitato ſtaſin ſanguinis circa venam „hæmorrhoidalem internam incurrens ſphace-„loſam, inſigne levamen ſenſit ab uſu herbæ „noſtræ infuſæ (ut ut: ob ſubſequentem ſpha-„celoſam vicinarum partium corruptionem non „potuerit omnino malum tollere), ſiquidem „quoties adhibuit iſtam, non ſolum molimina „excretoria ſuborta; ſed etiam aliquoties ſan-„guinis grumoſi fœtidi corrupti per ſedes ex-„preſſio cum levamine. Si mature mali cura „fuiſſet habita, ægra indubie fuiſſet curabilis“.

§. LXIX.

3. *TRa* ♁ ii *acris cum liqu. anod. min.* HOFFM. in ſuppreſſo hæmorrhoidum fluxu revo-

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 22. A. 1722. Novembr. cl. 4. art. 15. S. 2. p. 581.

vocando probatiſſima eſſe a G. SCHUSTERO (*a*) perhibetur. „Duo ſenes ſexagenarii (nar-„rat ille) hæmorrhoidalem fluxum hactenus „regulariter experti, nunc vero eodem deſti-„tuti auxilium meum rogabant, ejusque reſtitu-„tionem deſiderabant. Conſideratis, probeque „perpenſis circumſtantiis utrique præbui „*TR*am ♁ii acrem cum æquali proportione „liquoris anodyni conjunctam, hujusque „MRæ gtt. 40. bis vel ter quotidie ſumere „juſſi. Optatus votis reſpondebat eventus, „dum paucorum dierum vix elapſo intervallo „conſueta hæmorrhoidalis recurrebat excretio, „debitoque ordine dein cum euphoria con-„tinuabat, ſimilemque dein effectum hoc re-„medium in aliis etiam ſubjectis præſtabat". Sane ſi MRa hæc ex incidente *TR*a ♁ii, & antiſpasmodico liquore anodyno conflata cum arnicæ indole conferatur, liquebit ratio, cur ſuppreſſas hæmorrhoides revocandi vi polleat.

LXX.

4. *Flores* ♀ ad ſtaſes hæmorrhoidales diſcutiendas, ortaque ab iisdem ſymptomata mitiganda ultra fidem pene ſunt efficaces, præſertim vero ad alvum adſtrictam tenesmoden facile reſerandam. Hosce in uſus flores, aut lac

(*a*) Nov. act. nat. cur. Tom. 2. Obſ. 4.

lac ſulphuris commendat P. G. WERLHOF (*a*) „plerumque (inquiens) ad ½, integramve „drachmam, imo ſæpe ad aliquot drachmas „datum, & repetitum (♁ regeneratum ſeu „flores ♁) alvum cum fœtore ſulphureo ſol-„vit, & aſthmaticæ oppreſſioni, & colicis do-„loribus, cardialgicisque ... egregium leva-„men præbet". Imitatus hoc conſilium I. C. STUNZER (*b*) præbens in alvo adſtricta, & inter deſidendum dolorifica m., & v. florum ♁ ℨß. „levamen, ut in plerisque ægris ob-„ſervavi (ait), admodum celeriter conſequi-„tur". Haud ſecius LENTIN (*c*) teſtatur do-lentiſſimum tenesmum, qui alvi excretionem excipit, lacte ſulphuris quotidie ad ℈j dato, enematibusque ex herbis emollientibus cum ſemin. Siliquæ dulcis coctis, fuiſſe lenitum. A. HAENIO hisce in malis familiare fuit ſe-quens electuarium:

℞. *Pulpæ* tamarind.
— caſſiæ āā ℥ij.
Nitri puri
Fl. ♁ āā ℨj. M. S. omni mane ¼ par-tem, ſuperbibendo ſeri lactis calidi ℔ß.

In-

(*a*) Obſ. de febrib. Sect. 3. §. 6. Opp. P. I. p. m. 131. ſq.

(*b*) Ueber die goldne Ader p. 70.

(*c*) L. c. p. 164.

Insunt huic formulæ tamarindi superius (*a*) jam laudati, tum nitrum (*b*), & 🜍ris flores, omnia ad alvum apertam tenendam, lentoremque, & stases auferendas probatissima. Et sane cum salibus mitibus sulphur hic junctum longe evadit efficacius, optimeque ei vel nitrum, vel cremor 🜿ri adjicitur. Posteriorem utiliter sequenti in casu junxit A. DUNCAN (*c*): olitor 47. agens annum, robustus, florida facie, totius primum cutis pruritu; & cephalalgia cum levi vertigine correptus est, queis post aliquot hebdomades evanidis successit vehemens, & assiduus circa anum dolor, ab incessu, & alvi egestione auctior, & post quamlibet alvi dejectionem sanguis plerumque prodibat fere semper purus, ac liquidus. Anum tubercula parva leviter inflammata obsidebant, e quibus dolorem, & sanguinem rebatur proficisci. Pulsus, calor, appetentia, alvus secundum naturam. Præscriptum:

℞. ℥ crem. 🜿ri
Fl. 🜍 āā ʒij.
Syrup. Simpl. q. S. M. F. Electuarium.

S.

(*a*) Vide §. 63. (c).

(*b*) Vide §. 67.

(*c* Cas. medic. 9.

S. ter de die ℥j. Mota inde leniter alvus, dolor, & ſanguinis excretio imminuta, ægerque intra octiduum convaluit, levi tantum externo dolore ſuperſtite. Eadem miſcela feliciter uſus eſt F. C. KREBS (*a*) in provectioris ætatis muliere cœcis hæmorrhoidibus ardentibus vexata, quæ ſumpta pro potu communi ptiſana e radice centinodiæ, adhibitoque ad varices ope ſpleniorum litu ex liquore vegeto-minerali GOULARDI; & oleo liliorum alborum anatice miſtis (a quo ardor brevi leniebatur), nec non ſequenti ℥e uſurpato, evanidis poſt aliquot dies, varicibus, plane convaluit:

℞. Crem. ♀ri ℥j.
Flor ♁ris ʒß. M. F. ℥ dividendus in doſes xvj. S. ter vel quater de die Nro. j.

§. LXXI.

5. *Aquæ ſoteriæ* denique ſummo huc jure ſunt referendæ, ut quæ & incidenti ſuo ſalino principio, & diluente aquoſo vehiculo ſolventem ſuam indolem prodant, maloque hæmorrhoidali præclare ſæpe medeantur. Verum & delectu quodam earum, & cautelis quoque ſub uſu opus eſt, ne dum prodeſſe volu-

(*a*) Medic. Beobacht. 1. Band 4. Heft. 3. Beob. Nro. 5. p. 23.

volumus, magis æger inde lædatur. Quantum ad illarum delectum; cavendum est, ne nimis aut diuresin, aut catharsin cieant; „nunquam enim" monente M. ALBERTI (*a*), „tam eximiam fiduciam in aquas sic dictas „soterias conjicere libet, quæ dum frequentiorem alvi, & urinæ excretionem alliciunt, „motus hosce hæmorrhoidales, si semel immoderati sint, in hisce regionibus confirmant, ne dum quidem principali causæ leniendæ, & cum constanti effectu mitigandæ satisfaciunt". Porro etiam cavendum, ne per initia, quæ tonicæ magis; quam solventes sunt, usurpentur; prius enim lenti humores liquandi; deinceps vero vasa roboranda sunt, secus enim inverso hocce ordine obstructiones ars producet: nec nisi sub finem curationis aquis tonicis, ut sunt ♂les, locus dandus. Hinc apposite ad rem LUDWIG (*b*): „curatio, quæ fit per aquas medicatas, „thermas Carolinas potissimum, & acidulas „Egranas, in hisce ægris nonnunquam ex „voto succedit; sæpius tamen præstat tenacitatem humorum, antequam aquæ ingerantur, ope medicamentorum, quæ antea commemoravi ad resolutionis initia ducere, „quo

---

(*a*) Diss. de hæmorrhoidib. hæreditariis (4to Halæ 1727. Resp. F. G. MEYERNBERG) §. 11. p. 33.

(*b*) L. c.

„quo illæ promtius per corpus tranſeant. In„primis & quidem tum, cum viæ viſcido te„naci ſcatent, aquas Seydſchützenſes cum „pilulis ex amaris, gummi ſaponaceis, & ſa„pone ipſo paratis præmittere juvat, quo po„ſtea purgante medicamento idoneo exhibito „▽æ ♂les Pyrmontanæ, vel Spadanæ ſub„jungantur. Requiritur enim in aquis pene„trabilitas aquæ ſubtilis, moderata vis ſalina „reſolvens, et tandem ♂le principium robo„rans". Tum ubi de Væ. Se. ſub uſu harum aquarum neceſſaria (de qua alibi dicetur) monuiſſet, ſubdit: „hac medendi methodo „pro varia ægrorum indole varie ordinata „ſæpe molimina hæmorrhoidalia ita diſſipata „ſunt, ut venæ varicoſæ, & nonnunquam tu„bercula bene magna diſparuerint". Prudenti ita aquarum ſoteriarum delectui plurimum etiam tribuit F. HOFFMANNUS (*a*) in immodico hæmorrhoidum fluxu, ſi ab obſtructis viſceribus oriatur, compeſcendo. „Nil vero (in„quit ille) ad expedienda obſtructa aqueis, „& diluentibus eſt præſtabilius: unde quam „optime in uſum trahuntur minerales aquæ „ſubtilitate, atque temperie nobiles, quarum „claſſem ducunt Antonianæ, Vildungenſes, „& Selteranæ, vel cum, vel ſine lacte potæ. „Et certe prudens ac moderatus harum aqua„rum ad aliquot hebdomades ſub debito re-

„gimine,

(*a*) L. c. §. 3. curat.

„gimine, & interpositis pilulis dictis (BE-„CHERI, rheo tamen in locum aloes suffecto „largius), nec non elixirii balsamici tempe-„rati ♂tis pharmaci mixtura acuati usu con-„tinuatus potus palmam præripit reliquis cun-„ctis". Haud multum tamen G. E. STAHLIUS (*a*) his aquis in affectionibus hæmorrhoidalibus defert dicens: „usus acidularum . . . uti „corporibus alio quam poroso, sanguineo „prædominante habitu præditis nunquam sua-„dendus est; ita habet hoc incommodi, quod „vix ad annum levamine, si quod adfert, se „extendat; imo communissime; nisi vertente „illo anno, & pluribus deinceps repetatur, „non solum eadem sed graviora in dies sym-„ptomata subsequantur". Verum quousque vel hæc STAHLII; vel illa aliorum observata vera sint, optime (opinor) nos variæ apud varios fontes soterios collectæ a Practicis ægrorum historiæ edocebunt; & ne universi orbis fontes in medium adferamus, sufficerit aliquos tantum hic nominasse, quos inter pertinent.

a) *Bourbonenses* thermæ, quarum in ℔i dicuntur inesse salis medii mitissimi gr. 63, terra absorbens cum pauco selenite, ac pauxillo ♂tis. De harum efficacia sequentem refert

(*a*) L. c. p. 27.

refert CHEVALIER apud ROUX (a) obfervationem: virgo 22 annorum a 5 vel 6 annis dolores ftomachi & inteftinorum ter, vel quater quotannis patiebatur. Menfes inordinate fluebant cum animi defectionibus imperfectis quidem; fed diuturnitate fua admodum fatigantibus. Inquies, melancholia, magnaque puellæ alias alacris, & excitatæ inertia, atque ifthæc accidentia unam, duasve hebdomades durantia, ac bidui, triduive tenesmo cum internis hæmorrhoidibus finienda, concomitans, præcedensque fpasmodica abdominis tenfio, affligebant. Adhibitis incaffum domefticis balneis cum calidis, tum frigidis, aliisque remediis, nec plus opitulante biennali aquarum de Luxeuil interno, externoque ufu tandem potis anni infequentis vere, & autumno aquis de Bourbonne puella prorfus convaluit.

b) *Carolinæ* thermæ ad provocandas, vel fuppreffas hæmorrhoides fluentes revocandas tefte F. HOFFM. (b) funt longe efficaciffimæ: „in iis . . . malis (inquit ifte), quæ „a fuppreffo, deficiente, vel minus recte „fuccedente menfium, vel hæmorrhoidum „fluxu pendent, non certius, non fecurius, „non

(a Journ. de Medec. T. 33. Juillet. 1770. p. 39. Obf. 11.

(b) Med. rat. Syft. T. 3. S. 2. C. 5. §. 8. theorem. 6. Opp. T. 1. p. m. 440.

„non efficacius præſidium deprehendi prudenti „aquarum mineralium in primis thermarum „Carolinarum mitiorum interno, & Tœpli-„cenſium externo uſu, qui omnibus medendi „indicationibus apprime ſatisfacit; potu quip-„pe thermalis aquæ humores lenti inciduntur, „& evacuantur, obſtructiones minimorum tu-„bulorum expediuntur; balneo vero aquæ „Tœplicenſis, quæ omnium leviſſima, con-„ſtringente terreo principio orbata ſtricturæ „remittuntur, ipſaque vaſa ampliantur, ut „ſanguinem affluentem promte admittere, ca-„pere, iterumque eructare poſſint". Neque id quidem mirum, cum ▽a harum therma-rum ſalem catharticum, & ♂em, a queis par-tium inferiorum hæmorrhagiæ cientur, con-tineat, quæ etiam DELII (*a*) viro molimina hæmorrhoidalia ad fluxum cum euphoria per-duxit: unde non ſine providentia medica hujus ▽æ uſus eſt præſcribendus; vetan-dus vero iis, qui ob vaſorum plenitu-dinem ad uberiorem vel catameniorum, vel hæmorrhoidum fluxum ſunt proclives. Ita apud M. ALBERTI (*b*) „mercatoris cujusdam „conjux . . . lautæ, & luxurioſæ vitæ dedita

„non

(*a*) Vide §. 55. N. 9. (h).

(*b*) Diſs. de hæmorrhoidum prudenti therapia per acidulas, & thermas (4to. Halæ 1719. Reſp. I. H. WACHSMUTH) §. 12. Tract. de hæmorrhoid. P. p. 177.

„non modo largis menſtruis; ſed & frequen„tibus lochialibus fluxibus purgabatur, & poſt „menſium ceſſationem ſtrenuum hæmorrhoi„dum fluxum experiebatur; quæ vero hujus „fluxus pertœſa ad thermas Carolinas migra„vit, ſub quarum uſu non modo fluxus hæ„morrhoidalis cum impetu recurrebat; ſed & „hæmorrhagiam uterinam in conſortium ſuum „ducebat, ut neceſſe fuerit ab uſu illarum „thermarum abſtinere, & alia auxilia in ſubſi„dium adhibere. Rediit hæc femina tota ta„bida, oedematoſa, & aſthmatica, neque ul„tro thermas illas adire anhelavit."

c) *Heilsbronnenſes* in referando hæmorrhoidum fluxu perinde efficaces teſte G. C. FEVERLINO (*a*), cujus „vir quidam 48 anno„rum, ſtaturæ gracilis, & mediocris, vitæ „ſedentariæ addictus, jam inde a 6 vel 7 an„nis hæmorrhoidibus, per intervalla non ſine „magna ſubinde moleſtia, & doloribus fluen„tibus, laboraverat. Quod ſi non ſuccede„ret fluxus, adeo male in dorſo habebat; „tamquam fuſtibus contuſus fuiſſet. Poſt„quam fons noſter iterum repertus fuit, il„lius aquis ſæpe uſus eſt pro ſiti ſedanda, & „infuſo theæ parando, indeque hunc fructum „retulit, ut hæmorrhoides promte, facileque „fluant. Idem mihi retulit, ſe noſſe amicum „in

(*a*) Commerc. Nor. T. 1. Spec. 41. Nro. 5. p. 325.

„in noſtra vicinia, qui eundem effectum annotaverit; quin a certis hominibus ſe percepiſſe; quod aliqui plebeji homines, qui „hæmorrhoidale negotium non cognitum habent, aquarum noſtrarum uſum propterea reformident, quod viris lumborum doloribus „obnoxiis ſanguinem per alvum educat.“

d) *Helmſtadienſes*, de quarum efficacia ſequentem caſum refert. L. HEISTERUS (*a*): „vir 45 annorum, temperamenti cholerico-„ſanguinei, diætæ vinoſæ aſſuetus, aliquot „jam annos podagricus, & fluxu hæmorrhoidali vexatus, corripitur autumno anni præteriti fluxu hæmorrhoidali nimio eum in „modum, ut ſæpius in die duas, & ultra per „vaſa hæmorrhoidalia effuderit libras. Conjunctus ſimul erat dolor ſpaſticus in abdomine, præſertim in regione hypogaſtrica fixus. Facies, ac reliquus habitus corporis „externus evadebat cachecticus; tumor adjungebatur pedum oedematoſus; appetentia „demum magis adaucta; quam imminuta. Varia per totam hyemem, ac veris initium huic „morbo opponebantur remedia a præſtantiſſimis in arte viris præſcripta; quæ quidem ſæpius magnum attulerunt levamen; morbum „au-

(*a*) Diſſ. de fonte medicato prope Helmſtadium (4to Ibid. *1756*. Reſp. G. E. RAHLWES) §. 30. p. 50.

„autem perfecte ſuperare haud potuerant.
„Proprio interim conſilio, magnaque in hunc
„fontem fiducia adductus . . . 1mo die, ad-
„dita ſalis anglici amari ℥j, aſſumit ℔j; ſe-
„quentibus autem diebus doſi ſemper magis
„adaucta quotidie ℔ij, & ultra bibit. Primo
„die quidem per alvum (uti huic fonti in
„multis aliis mos eſt) magis operationem
„ſuam præſtitit; reliquo autem tempore per
„diureſin optime proceſſit, maximumque attu-
„lit levamen: color enim faciei pallidus, &
„cachecticus mutabatur in vividiorem; pedum
„intumescentia plane ceſſabat; dolor ſpaſticus
„inteſtinorum remittebat, ac fluxus hæmo-
„rrhoidalis ſenſim imminuebatur, ſic ut nunc of-
„ficio ſuo absque dolore, alioque incommo-
„do fungi poſſit."

c) *Luchonienſes* thermæ ad molimina hæmorrhoidum diſſipanda, vel ſalubrem earum fluxum provocandum perutiles, quemadmodum id CAMPARDON apud ROUX (*a*) pluribus in hæmorrhoidariis obſervavit. Potu enim earum e ſcaturigine Reginæ, calidoque balneo per 8 vel 9 dies adhibito Canonicus 55 annorum a pluribus jam annis hæmorrhoidalia ſymptomata (ſcilicet ſpasmodicos dorſi horrores, dolorificos, caput petentes vapores, ac tenesmum dyſenterico ſimilem) paſ-
ſus

(*a*) Journ. de Medec. T. 19.

ſus inſigniter eſt relevatus, plus etiam levandus, ſi & diutius earum uſui inſtitiſſet, & ſub curatione, ac poſtea ſibi ab zelo confeſſiones audiendi, aliaque eccleſiaſtica munia obeundi temperaſſet. Hujus collega 25 annos natus perinde a compluribus annis hæmorrhoides patiebatur, quarum tubercula identidem inflabantur, ſubitoque iterum regurgitans ex illis ſanguis caput petebat cum vehementibus, ac minacibus ſymptomatibus: eapropter ad Væ. Ses. in pede, aliaque idonea præſidia æger confugiebat; donec potu aquarum e ſcaturigine Reginæ cum aquis albis miſtarum, & balneis, quæ quotannis reviſebat, ſic ſatis a periculoſo ſuo ſtatu eſt liberatus. Tertius erat vir 55 annorum, hæmorrhoidum ſymptomata a multis pariter annis expertus, nempe: dolores lumborum, ſtomachi, pectoris, capitis, vagosque artuum, cum eorundem torpore; ab iterato autem harum aquarum in, & externo uſu plurimum profecit. Quartus agricola 45 annorum, fluxu hæmorrhoidum cum cephalalgia, a vehementi corporis motu exacerbata, & dolorifica ſtomachi imbecillitate per 10 annos vexatus, ab interno, externoque harum aquarum uſu, quotannis repetito, ſemper levabatur. Denique ſenex 66 annorum hæmorrhoides ab 18 annis paſſus, ani tuberculis omni fere menſe tumeſcentibus, & quandoque etiam fluentibus, ab hujus aquæ potu fluxum hæmorrhoidum nactus eſt, qui per 5 annos dein ordinate quovis menſe redibat cum euphoria: unde

unde senex quotannis ad fontem revertebatur; secus omnia pristina mala recurrebant, soli resumto iterum aquarum usui cedentia.

f) *Wernarcenses* in represso hæmorrhoidum fluxu restituendo celebres, quod binis casibus ostendit M. F. ALIX (*a*): „cuidam „fluxerant hæmorrhoides (inquit); post obstipabantur & excitabant dolores, & oppressionem pectoris, appetitus, somni defectum, & alia innumera. Remediis generalibus præparatus aquis Wernarcensibus in, & „externe utebatur, tanto autem cum effectu, „ut 12mo jam die symptomata evanescerent, „& hæmorrhoides sicut olim effluerent. Fluunt „adhuc, & vir bene valet, dum hæc scribo. „Idem in me ipso expertus sum A. 1774. Sanitate mea variis ex causis tunc labefactata „versus hæmorrhoidum periodum ferocibus „doloribus afficiebar, quia enim non poterant perrumpere, excitabant cephalæam, „pectoris oppressionem, vagos artuum, & abdominis dolores, vigilias, appetitus defectum, debilitatem, tussim perennem, & anxietates, amabam autem solitudinem. Remediis generalibus præparatus aquas Wernarcenses potabam, in iisque balneabam. „Mox convalescebam, & hæmorrhoides redibant. Remanente autem debilitate A.

„1775

(*a*) Obs. chirurg. Fasc. 3. app. Obs. 5. p. 125.

„1775. aquas Brückenauienſes, quas anno „præterito tolerare haud potueram, in, & „externe adhibebam. His plane ſanabar, & „multo melius; quam unquam valeo."

g) *Wisbadenſes*, quarum vi ſolventi, & obſtructiones reſeranti LENTIN (*a*) tantum tribuit, ut de hæmorrhoidum discuſſione agens dicat: „ſaponacea remedia cum aqua Wisba„denſis fontis ſimul uſurpata fere ſemper, „etiam in morbo jam inveterato, profuere."

CAPUT V.

EMMENAGOGA.

§. LXXII.

V. EMMENAGOGA porro hæmorrhoidas a catameniis, vel juſto parcioribus, vel plane cohibitis obortas diſſipant promoto, revocatove illorum fluxu; modo ne ejusmodi ſunto, quæ ſimul hæmorrhoides movere poſſent, v. g. aloetica. Sic J. G. SEGNITZII (*b*) puellæ ruſticæ biduum jam fluentia catamenia ex lapſu in dorſum, natesque poſt brevem inde dolorem

---

(*a*) L. c. p. 162.

(*b*) A. E. BÜCHNER miſcell. phyſ. med. A. 1729. Novembr. cl. 4. art. 5. p. 725.

lorem ocyus ſubſtiterant. Evoluto menſe appetente periodo fluxus oborta vehementia tormina cum dorſi dolore, & inſolito ſenſu preſſionis in inteſtino recto ad alvum crebriorem cogente, quo tempore aliquid etiam ſinceri ſanguinis aliquoties ano prodiit. Poſt aliquot dies ipſa etiam catamenia cum prioribus doloribus apparuere: ſed vix notanda copia; queis brevi iterum poſt ſubſiſtentibus dolores increvere: nec abhinc amplius catamenia in ordinem redigi poterant; perquam moleſtus autem teneſmus graviter continuabat. Varia remedia domeſtica, incaſſum adhibebantur, perſtante aſſidua illa in ano preſſione cum ſpasmis abdominalibus. Conſultus demum Auctor octiduo ante fluxus periodum imperat pediluvia ex fl. chamom. herb. artemiſ. rub. furfurib. hordei, & pauco ſale; interne præbuit doſes aliquot pilularum polychreſt. HOFFM., & MRam. antiſpasmodicam ex eſſ. balſam. SLEVOGT., eſſ. croci, & caſtorei. ab his preſſio in recto, ac teneſmus remiſit, ac menſes paulo uberiores; ſed adhuc cum doloribus proceſſere. Præmiſſa ergo Væ. Sne. in pede, & aliquot eccoproticis data aliquoties MRa. leniter pellens e ſale volat. oleoſo, eſſ. croci, & caſtorei, a qua teneſmus, & ſpasmi abdominis prorſus conquievere; catamenia vero rite, juſtaque copia prodierunt, quæ interdum aliqui tenſivi abdominis dolores comitabantur; ſed etiam hi ſenſim ex toto abierunt.

CAPUT

CAPUT VI.

ALOETICA.

§. LXXIII.

VI. ALOE, ubi fluxus hæmorrhoidum vel instans eliciendus; vel parcior promovendus, vel suppressus revocandus venit, est specificum remedium: proinde nunquam alias, quam ubi fluxus dictus est omnino necessarius, attingendum. Eapropter cum jam non pauca de singulari aloes vi ad hæmorrhoides movendas superius (*a*) fuerint memorata; tum & illud hic adjiciendum, quod non abs re LUDWIGIUS (*b*) tironibus inculcat: „aloeti„cis (ait ille) hoc in morbo multum tribuunt, „& tentamina crebriora cum fructu facta esse „confirmant; magis etiam exiguis dosibus in „variis pilulis, & elixiriis distributis fluxum „hæmorrhoidalem promoveri dicunt; cum ta„men potius de avertendis incompletis nisi„bus hæmorrhoidalibus cogitare oporteat. „Etsi vero majores, & salinis junctæ aloes „doses obesos, præsertim si viscidis humori„bus scatent, bene purgant, & in his etiam „hæmorrhoidum accessum avertunt; siccantis „tamen hujus remedii effectus caute tantum „ten-

(*a*) Vide §. 19. *e*)
(*b*) L. c. p. 396.

„tentandus eſt; cum expertus ſciam, ejus „uſu & obeſos ſæpius, & laxos ad molimina „hæmorrhoidalia diſpoſitos fuiſſe." Unde ſatis liquet, quam circumſpecte, ac provide cum aloeticis mercari oporteat. Ubi vero omnia rite penſata illorum expoſcunt uſum, probe porro dispiciendum ſupereſt, cum incidentibusne aloe, an catharticis, vel utrisque, & qualibus præprimis ſit exhibenda. Inter varia compoſita pharmaca aloen recipientia, & ad ſcopum præſentem indicata primas tenent ſequentia.

§. LXXIV.

1. *Elixir proprietatis* tam dulce; quam cum acido paratum, cujus compendioſiſſimam, & maxime concinnam formulam complectitur pharmacopœa Auſtriaco-provincialis (*a*):

℞. Eſſentiæ croci ℥iij.
— — myrrhæ
Rᴬæ. Aloes āā ℥vj. M.

Si hujus elixirii dulcis ſingulis unciis addideris ♎ns △ris, ſeu ⊕li gtt. x, habebis elixir proprietatis cum acido. Monet autem G. E. STAHLIUS (*b*) elixir hoc provide, pruden-

(*a*) Pars 2. pag. 149.
(*b*) Colleg. caſual. magn. Caſu 14. p. 189.

denterque esse usurpandum ob myrrham, & crocum, ne sanguis iis nimium commoveatur. Tempestive autem, ac circumspecte datum præclare sese multis in casibus gerit. G. W. WEDELII (*a*) æger quidam „hæmorrhoidibus „suppressis laborans duobus curabatur reme„diis, ♃e cachectico, & elixirio proprietatis.“ Earundem quoque virium est elixir proprietatis cum rhabarbaro paratum. C. H. ERNDTEL (*b*) de febre catarrhali A. 1720 epidemica agens meminit viri quinquagenario proximi, sanguinei, & actu plethorici, qui ex itinere 40 milliarium rigida hyeme confecto hac eadem febre laboravit; in qua licet ab idoneis remediis tussis, inquies, æstus, ac febris brevi evaserint mitiora; tamen in aliquot adhuc dies permolesta superfuit cardialgia gravativa, & anorexia cum alvo a longo jam tempore constipationi obnoxia: datum igitur elixir proprietatis cum rheo paratum, & cum ♒u ⦶ri dulci remixtum, a quo & cardialgia mitescebat, & cum appetitu hæmorrhoidum simul fluxus ab aliquot jam annis suppressus, nec internis ante medicamentis, nec hirudinibus admotis revocandus, præter omnium expectationem reversus est, ægerque non multo inde post plane convaluit.

§. LXXV.

(*a*) Amœnit. mater. med. L. 2. S. 1. C. 6. p. 257.
(*b*) Warsav. physice illustrat. p. 216.

§. LXXV.

2. *Pilulæ* aloëticæ variæ, inprimis

a) RUFFI *peſtilentiales* dictæ, quæ etſi a variis varie deſcribantur, ſolam hic formulam Pharmacopœæ Auſtriacæ (*a*) dare viſum eſt; quippe quæ doceat, eas nil eſſe aliud, quam elixir. propr. forma ſolida:

℞. Aloes ſuccotrinæ ℥iij.
Myrrhæ electæ ℥jß.
Elixir. propriet. dulcis q. ſ.

De harum virtute A. HAEN (*b*) „maſſa „pilularum RUFFI (ait) ſola quotidie ad gr. „vj. ſumta reſtituit quandoque intra paucos „dies retardantes hæmorrhoides". Hic tamen non de modo deſcriptis pilulis, quæ reipſa non RUFFI ſed EMMANUELIS *pilulæ* audiunt; ſed de iis intelligendus eſt, quæ ex gummi ammon. & aloes ſuccotr: āā ℥j, myrrhæ rubræ ℥ß., & mithridatii q. ſ. conflantur, ut videre eſt in veteri Diſpenſatorio pharmaceutico Viennenſi (*c*).

b) BE-

(*a*) L. c. p. 211.

(*b*) Prælect. ad H. BOERH. inſtit. patholog. §. 1236. T. 5. p. 373.

(*c*) Claſs. 11. p. m. 148. 152.

b) BECHERI majoris etiam energiæ a multis habitæ: quarum formula est (*a*):

℞. Extract. aloes succotr.
— angelicæ
— hellebor. nigr.
— millefol.
— rhabarbari
— Scordii āā ʒj.
Succi cochlear. expr., & inspiss. ℥ij.
♁ Succin. alb. ppt.
— Myrrhæ
— rad. pimpenell. alb.
— — gentian. āā ℈j.
Cerussæ antimon ʒiij.
☽. depurati ʒjß.

Elixir. propr. dulc. q. s. M. F. e ℈j pilulæ Nro. xx. Erant hæ pilulæ familiares admodum J. STORCHIO, cujus ex innumeris pene casibus, ubi profuere, unicum ac brevem (*b*) sisto; hæmorrhoidarius corpulentus, & sanguineus, 50 annis major ab suppresso hæmorrhoidum fluxu incidit in lævi brachii rheumatismum; sumto vero M. P. BECHER., & purg. āā ℈ß. in duo præbia diviso rediere hæmorrhoides cum rheumatismi levamine, Per-

(*a*) Ibidem p. 146.

(*b*) Obs. clin. ann. 4. Octobr. d. 4. §. 3. Nro. 3. p. 529.

Perinde I. C. FRITSCH (*a*) „ego (inquit), qui „per 36 annos ex diſpoſitione matris heredi- „taria fluxu hæmorrhoidum laborabam, ter „ex anomalia hæmorrhoidum podagram ex- „periebar. . . . Simul ut dolorem, ac tu- „morem ſentiebam, STAHLII ℨem ſalinum „ex hujus ipſius methodo per ternas horas „aſſumſeram, & ſub tempus dormiendi doſin „unam pilularum BECHER. receperam. Poſt „methodum hanc 3, aut ad ſummum 4 dies „continuatam hæmorrhoides aderant, atque „omnis ſimul dolor ceſſabat &c“. Tumor ſuperſtes idoneis ſenſim ceſſit remediis.

c) STAHLII *balſamicæ* denique decantatiſſimæ, quas Auctor, ejusdemque diſcipuli ad omnes hæmorrhoidum anomalias procurandas impenſe laudantes omnibus aliis remediis prætulerunt. Harum in laudem STAHLIUS (*b*) meminit aulici 50 annorum, vino dediti, variasque affectiones colicas tenesmodes cum alvo ſubpurulenta, ac fece rubella ſubmucida, non tenaci; ſed tragacanthæ ſimili, & quandoque ſincero etiam ſanguine prodeunte, paſſi, qui quovis menſe in triduum ſumtis his pilulis fluxum ſinceriorem promovit ſummo cum levamine. Aſſeverat STAH-

---

(*a*) Commerc. Nor. T. 3. A. 1733. hebd. 40. Nro. 2. p. 314.

(*b*) L. c.

STAHLIUS, si vel leviter quis ad hæmorrhoides dispositus sit, ab iis istas provocari, & revocari: exempla hominum novit, molimina tantum hæmorrhoidalia passorum, qui si 6, vel 8 dies pilulis usi sunt, tantum inde in intestino recto turgescentiam perceperunt, ut præ metu staseos ab iis abstinere decreverint. Luculentum etiam ab illis effectum vidit I. STORCH (*a*) in macra muliere 50 annorum, crebris ante defluxionibus obnoxia, & per aliquot abhinc annos hæmorrhoidum fluxum experta, quem subsistentem mox mictus cruentus secutus est. Martii 8. cum horripilatione, dorsique dolore clinicæ factæ datum:

℞. ♁. ⊖. amar. ℥j.
— antispasm. ℈j. M. pro 4. dosibus,

Imperati simul dorsi, & hypogastrii fotus ex lacte cum insigni levamine; sed extenuatæ jam nimis ægræ parum spei supererat. Die 10. observat quotidie horrorem, ac dein æstum ingruentem una semper hora anticipare, urinæ mutatæ nil amplius inerat sanguinis, & dolores dorsi, ac sub mictu desiere; continuatus ♁. Die 11. horripilatio emansit. Data *TR*a ♃ii cum ♌. ⊕. dulc. āā ℥ij. ad gtt. xxv. Die 12. Eucharistia sumta melius habuit, emendatioque die 13. crevit, manente tamen

---

(*b*) Obs. clin. ann. 7. Mart. Cl. 4. p. 412. sq.

tamen priſtina debilitate. Die 19. ob vehementes iterum dolores ſub mictu lotii pauciſſimi, albidi, tenui filo exeuntis præſcriptum:

℞. *TRæ* propr. M. ℥j.
— ♀ri
♌. ⊖. dulc. āā ʒj M.

℞. ⚷ ⊖. amar.
— antiſpasm. āā ℈ij. pro 4. doſibus.

℞. Ol. Scorpion. ℥ij.
— petr. alb. ʒj. M. & aliquot guttis umbilico inſtillatis ureterum regio illinatur: unde egregium levamen. Die 25. ob anorexiam perpetuam data elixirii propriet. cum rheo ʒj. pro duabus doſibus, unde ſub veſperam ſemel dejecit cum euphoria. Hinc MRa poſtrema iterata. Aprilis 1. novos motus febriles cum debilitate quovis veſpere ingruentes queſtæ datum:

℞. ⚷ antiſpasm. ℈ij.
Arcan. dupl. ℈j. M. pro 3 doſibus.

Poſtero autem mane ⊖ amari ʒj. imperata. Die 4. amictæ jam, & obambulanti præter MRam refrigerantem conſulta ſimul 3tio quovis die doſis pilul. balſam. STAHLII ſumenda, & omni veſpera doſis ex ejusdem ⚷e antiſpasmodico. Die 17. nunciat ſe ab octiduo omni veſpete hæmorrhoides habere, ſemper

perque in melius proficere: ſicque toto illo anno ſine medicatione ulteriori ſana manſit. Egregie ſeſe etiam hæ STAHLII pilulæ geſſerunt referente M. ALBERTI (*a*) in ſexagenario cholerico-melancholico, qui ex corruptis motibus hæmorrhoidalibus aliquamdiu inſolita cephalalgia vexabatur; datis autem dictis pilulis non modo probe alvus aperta; ſed etiam copioſus ſanguis grumoſus alvo excretus cephalalgiam illam mire ſuſtulit. Neque minus energiæ his pilulis ALBERTI (*b*) adſcribit in immodico hæmorrhoidum fluxu compeſcendo dicens: „eximiæ . . . & ſingularis „efficaciæ ad hæmorrhoïdalem exceſſum non „modo temperandum; ſed & juſtum in ordi„nem reſtituendum ſunt pilulæ balſamicæ „STAHLIANAE, quæ in hoc negotio abunde „uſui, & experientiæ ſatisfecerunt; ita ut iis„dem ſecure uti liceat: optandum modo eſ„ſet, quo laudatæ illæ pilulæ in tali caſu ad „manus eſſent, ne in defectu earundem aliæ, „quæ ſub hoc nomine circumferuntur, inge„rantur; quarum poſteriorum effectus non „niſi malus, & doloſus eſſe deprehenditur, „cujusmodi odioſa exempla paſſim proſtant...

Neque

(*a*) Diſs. de hæmorrhoidum conſenſu cum capite, & pectore (4to Halæ 1718. Reſp. I. WEISBRODT) §. 8. p. 21. ſq.

(*b*) Diſs. de hæmorrhoidib. excedentib. §. 26. Tract. de hæmorrhoidib. P. I. p. 213.

„Neque peccant, aut damnum inferunt, qui „ſub exceſſu hæmorrhoidum aliquoties pilulis „illis utuntur; ſane conſtant nobis ejusmodi „caſus, ubi patientes ob exceſſum hæmo-„rrhoidum, & imminentem ſtatum modo ca-„checticum, modo extenuatum, & tabidum „pro derelictis habiti, & ultimis fatis com-„miſſi . ... per ſolum uſum earundem pilu-„larum non modo a tali funeſto eventu præ-„ſervati; ſed & ab hæmorrhoidum exceſſu li-„berati in juſtum fluxus hæmorrhoidalis ſuc-„ceſſum promoti, & translati . . . integræ „ſanitati reſtituti fuerunt, ut nullo adſtrin-„gente, tonico, roborante, evacuante vel „ſopiente remedio opus fuerit, atque ſuſpecta „ſymptomata, quæ aderant, iterum placide „evanuerint". Sed quoniam tanti eſt pilulas „has genuinas eſſe, quæ igitur vera eſt earum compoſitio? Haud ſcio, utrum uspiam ex-ſtet, niſi quam J. STORCH in STAHLII col-legio caſuali magno ab ſe edito literis pro-didit (*a*).

℞. Gumm. ammon. aceto Scillit. ſoluti
Extract. card. ben.
— fumar. āā ℥j.
Aloes ſuccotrinæ
Myrrhæ optimæ āā ℈j.
Gummi hederæ ʒß ad ℈ij.
♁ croci gr. xv. M. F. pil. Doſis gr. xv.
Paulo

(*a*) Caſu 19. p. 233.

Paulo aliter in Pharmacopœa Auſtriaca (*a*) deſcriptæ exſtant, nempe

℞. Gummi hederæ
— juniperi āā ℥ijß.
Extr. aquoſi aloes
— — Myrrhæ āā ℥ij.
— card. bened.
— trifol. fibr.
— abſinth. āā ʒxv.
— fumariæ
— hellebor. nigr.
— rhei. āā ʒv.
Terebinthinæ ℥j. M. F. maſſa.

Exſtant denique & *pilulæ aperitivæ* STAHLII, quas ex J. H. SCHULZIO (*b*) excitat D. W. TRILLERUS (*c*):

℞. Aloes roſatæ ℥j.
Extr. panchymag. ℥ß.
Limat. ♂is alcoholiſat. ʒij. M. F. pil.

Doſis a gr. 5. ad 10. veſperi ſumta alvum liberam ſervat, & hæmorrhoides promovet.

CAPUT

(*a*) P. 2. p. 210.
(*b*) Prælect. ad diſpenſ. Brandeb. p. 229.
(*c*) Diſpenſ. pharm. univerſ. T. 2. p. 477.

CAPUT VII.

ANTISPASMODICA

§. LXXVI.

VII. Antispasmodica hæmorrhoidalibus in malis profligandis tantæ ſunt neceſſitatis, ut raro admodum ſine illorum adminiculo medicinam hæmorrhoidibus facere ſit integrum. Cum enim omnis pene hic morbus vel a ſpaſmis originem trahat, vel certe ſymptomata producat ſpasmodica & gravia, & numeroſa, quotiescunque cum turbis ingruit; ſatis patet, antiſpasmodica remedia ab hæmorrhoidum therapia expungi non poſſe, præſertim ubi atroces dolores ægrum discruciant, ad quos mitigandos anodyna, emollientia, paregorica, &c. adhibere oportet. Horum autem in cenſum vel maxime referuntur.

§. LXXVII.

1. *Olea preſſa* blanda ad rigorem partium ſpasmo contractarum imminuendum, & fluxum inde vel ſuppreſſum revocandum, vel difficulter ſuccedentem facilitandum, ac promoven-

movendum. Apud C. F. PAULLINI (*a*) „ple-„bejus ad reſerandas hæmorrhoides ſuppreſſas „℥em ex fl. Verbasci, & linariæ, ac radicis „ononidis in decocto millefolii uſurpabat, & „paulatim ſtillare cœperunt; ſumto demum „oleo lini recens expreſſo cum cereviſia ca-„lida ſummo cum levamine fluxere. Subſecu-„tus autem mox teneſmus: contra quem „theriacam cœleſtem CASS. dedi."

§. LXXVIII.

2. *Oleum* DIPPELII, de quo ita I. E. HENNING (*b*): „vir temperamenti ſanguineo-„cholerici, hactenus moliminibus hæmorrhoi-„dalibus e longinquo vexatus obtinebat a me „cubitum iturus olei anodyni gtt. 20. in cere-„viſia frigida hauriendas. Somnus inſequens „interruptus erat absque jectigatione, & ulla „moleſtia, pulſus magnus, & paulo frequen-„tior, nullus caloris interni p. n. ſenſus. „Mane erectio genitalium absque libidinoſa „cogitatione contigit, poſtea lenis, placidus, „gratiſſimusque prorupit ſudor, pulſu tum „temporis maxime quieto. Corpus hinc to-„tum levatum; motus tamen hæmorrhoidales ple-

(*a*) De theriac. cœleſt. S. 2. P. 3. M. 2. C. 7. §. 3. p. 235.

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 21. A. 1722. Jul. Cl. 5. art. 3. p. 115.

„plenarie hac vice non ſopiti. Urina naturali „ſimillima; aures cerumen fluidum præbebant; „gravedo autem affligens ſublata, & bene „fluida facta. Flatus nulli, ut & ructuum „ordinariorum defectus. Ventriculus citius, „quam antea appetere incipiebat, alvo etiam „tardius ſuccedente. Sic hac vice reſolutio- „nem ſpiſſitudinis ſanguinis notabilem obti- „nuimus, motuumque naturalium ſecretorio- „rum, & excretoriorum consvetam directio- „nem. Jam ulterius huic medicamento inſi- „ſtendum putavimus, præcipue cum tam egre- „gium inde perſenſerimus effectum. Quia ita- „que nauſeoſum admodum, jam ſub ſaccharo „occultare voluimus. Ergo altera vespera „dedimus itidem gtt. 20. Nox fuit phanta- „ſiis plena, ac ſi opium æger ſumſiſſet, pulſu „cordis, arteriarumque frequente, ac magno, „cum leviſſima quadam anguſtia præcordio- „rum, calore interno in volis manuum mani- „feſtiore, motibus vero hæmorrhoidalibus „vix ſenſu perceptibilibus. Mane ut heri „ſudore erumpente gratiſſimo inſigne corpori „dabatur levamentum; pulſus fiebat iterum „naturalis; fauces ante ſudorem ſiccæ, ut & „nares, poſtea humescebant, cerumine au- „rium & hodie iterum fluido & copioſo; „urina naturalis conſiſtentiæ absque odore „alterato, ſub inſigni tamen ad venerem ſti- „mulo; appetitu vegeto, motibus hæmo- „rrhoidalibus ultra annuum ſpatium doloribus „dorſi, ſedis, colicisque torminibus flatuo- „ſis conſtanter moleſtis plane conſopitis. Quo

„ſimul

„simul attendendum, ante hujus olei adhibi-„tionem medicamenta alia non applicata fuisse, „excepto per vices, idque rarius contra do-„lores ʓ: antispasmodico STAHLII.“ Ad spasmodica igitur hæmorrhoidalia molimina discutienda Oleum hoc est perquam efficax.

§. LXXIX.

3. *Valeriana* major, „ad spasmos, in-„quit LENTIN, sopiendos nullum adhuc „remedium reperi, quod Valerianæ majori „æquiparari potuisset. Sed hic etiam neces-„sarium est discrimen in sanitate cujusvis in-„dividui observandum: unde jam lac 🜍ris, „jam ⊖ia media, etiam ⊖um absinthii, ad-„miscui, totiesque præbui, donec turbæ „(sub queis nullum solvens agere valet) con-„quievere. Isthanc medendi methodum longo „jam abhinc tempore optimam sum exper-„tus. Patientia tantum opus est, & exacto „pro quovis ægro proprio diætetico regimine, „ad quod inprimis pertinet, ut ad hæmo-„rrhoides proni veneris in usu sibi temperent, „ad quam nunquam magis; quam ingruente „periodo hæmorrhoidali stimulantur.“

§ LXXX.

4. *Vinum*. Idem LENTIN (*a*) „in colica „hæmorrhoidali sæpius observavit extraordi-narium

(*a*) Ibidem p. 164.

„narium vini desiderium, quod aliquibus, „qui se inscio illud biberunt, admodum be- „ne cessit.“ Sed religioso hic opus est & vini delectu, & ægri corporis examine, ut ex causarum (*a*) notitia facile quisque dabit.

§. LXXXI.

5. *Scrophularia* viroso suo fœtore, & amarore similis opio jam dudum ad leniendos hæmorrhoidum dolores impense commendata fuit: unde I. H. SLEVOGT (*b*) omnium aliorum remediorum in locum „scrophulariam „modo solam; modo cum linaria combinatam, „& in forma infusi, decocti, fotus, unguenti- „que usurpatam suffecisse ubique. . . serio „testatur, & optat, ut in reliquis etiam mor- „bis remedia huic quoad certitudinem, & „celeritatem operationis paria a summo Nu- „mine nobis concessa sint.“ Non abs-re igitur planta hæc a MINDERERO (*c*) morbi hæmorrhoidalis domitrix nuncupatur, cui illum natura prorsus addixit, subiecitque. Eapropter etiam scrophularia Gallis *herbe de Siege*,

---

(*a*) Vide §. 19. (*a*).

(*b*) Diss. de scrophularia (4to Jenæ 1720 Resp. H. C. EHRLICH) §. 37. p. 27.

(*c*) Medic. milit. p. 274.

Siege, ou *Fesses* (herba ani vel natium) audit. De externo illius uſu plura inferius dicentur; hic pauca ad internum pertinentia memorabimus. R. SOLENANDER (*a*) perhibet chirurgum in hæmorrhoidibus tumentibus juxta, ac fluentibus dediſſe potui m. & v. cereviſiam, in qua craſſulam majorem, & ſcrophulariam cum radice, ac herba conciſas maceravit. Porro H. HEER (*b*) „non celabo „(ait), quod. . . . a caſtrenſi quodam Pa-„ſtore edoctus ſæpiſſime expertus ſum: ſi quis „hæmorrhoidum cœcarum inſano dolore tor-„queatur, minimum quid ſcrophulariæ, vel „radicis, vel foliorum cum cibo, aut potu „capiendo ſtatim dolore liberatur, ſive ipſam „plantæ ſubſtantiam ſiccam, aut viridem, ſive „decoctum ejus aſſumat.“ Et M. ETTMÜLLERUS (*c*) „feminæ ſecunda vice gravidæ, tu-„mentibus hæmorrhoidibus afflictæ, ita ut „alvum intra annum ſine ſummo dolore de-„jicere non potuiſſet, ſuaſit radicem ſcro-„phulariæ coxæ alligare, folia vero omni „mane cum butyro, & pane comedere, ali-„amque radicem ejusdem modulo incluſam „potui infundere; & felix inde effectus in-„ſecutus eſt.“

§. LXXXII.

(*a*)

(*b*) Obſ. med. 20. in fine p. m. 244.

(*c*) L. c. Obſ. med. 300.

§. LXXXII.

6. *Opium* tutone unquam hæmorrhoidariis præbetur? Ad lævos dolores leniendos, immodicumque hæmorrhoidum fluxum refrœnandum, post alia quævis, præsertim necquicquam tentata, illud valere nemo ambigit. GALENUS (*a*) theriacæ vires percensens „educit eadem in mulieribus menstruum sanguinem (ait), & suppressas uteri, sedisve „sanguinis excretiones frequenter aperit, ac „(quod admirabilius est) immoderatas ejusdem sanguinis ejectiones detinet.“ Perinde C. E. PAULLINI (*b*) in „D. I. KLEYEN Isenacensi „(inquit) ex frequentiori pilularum Francofurtensium aloen recipientium usu largum „earum (hæmorrhoidum) fluxum notavi; alio „die in eodem affectu gr. jv. theriacæ cœl. „CASS. dissolvebat in lacte caprino calido, „q. fluxum stitit, doloresque sustulit.“ Neque in nimio hæmorrhoidum fluxu opium reformidat debita cum cautela datum F. HOFFMANNUS (*c*) „cum hypnoticis (inquiens), opiatis, & narcoticis mercandum est cautissime, „quippe quæ tanto magis intempestive data, „insa-

---

(*a*) De theriaca ad PISON. Cap. 15.

(*b*) L. c. §. 2. p. 235.

(*c*) Med. rat. syst. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. Cautel. §. 7.

„insaniam plane inducere apta sunt. Ex o-„ptimis, si locus, est illa M. P. a WILDEGAN-„SIO nomen gerens, quæ etiam cum fructu „exhibetur, quando atrox dolor, & spa-„smus sub prima lumborum vertebra nimiam „sanguinis effusionem movet, eaquepropter „est placandus.“ Et vero TILLINGII (*a*) quoque historia tutum hic opii esse usum docet: „Capitaneus quidam (narrat ille) immo-„dicum patiebatur cum dolore atrocissimo hæ-„morrhoidum fluxum. Ad hunc vocatus præ-„missis . . . in brachio . . . Væ. Sne., ac „leni alvi evacuatione statim ipsi præscripsi „MRam sequentem ac linimentum, quod ex-„terius applicabatur:

℞. Philonii Persici ʒij.
Trochisc. de ▽a sigill.
— — carabe.
C. C. usti, & ppt.
Corall. rubr., & ppt.
Lap. hæmat. alcohol.
Sangu. drac.
Spec. diarrhod. Abbat.
Croci ♂ adstr. āā ℈ß.
Laud. opiati gr. v.
Syr. corallor.
— myrtini.
— de rosis sicc. āā ℥ß.

▽æ

(*a*) De laudano opiato. P. 4. Cap. 9.

▽æ plantag.
— portulac.
— burſæ paſt.
— cichor āā ℥j. M. F. MRa . . .
„de qua pro libitu cochl. unum, aut alterum
„ſumſit.

℞. Ungu. populeonis.
Olei violar.
— ovor.
— verbaſc. āā ʒij.
Pingued. gallinæ,
Mucilag. ſem. cyd. } ▽a plantag. extr. āā ʒjß.
— fænugr.
— pſyllii.
Vitell. ovor. No j.
Sangu. drac.
Boli Armen ver.
Thuris opt.
Maſtiches electæ.
Aloës hepat.
Trochiſc. de carabe.
Lap. calamin. ▽a roſar. triti āā ℈ß.
Laudan. opiati gr. viij. M. agitentur
„in mortario plumbeo, & fiat linimentum.
„Hisce fluxus ille nimius ſedatus eſt, ac do-
„lor omnino evanuit.“ Neque minus in cœcis hæmorrhoidibus furentibus, poſt alia præmiſſa, ſi dolor, aliaque ſpaſtica mala perſtent, opium indicatur. Sic A. STÖRCK (*a*) de hæmo-

(*a*) L. c. p. 152. ſq.

morrhoidali febre epidemica agens „nimii (ait) „vomendi conatus, dolores colici, & tenesmi „si emollientibus non cesserunt, tunc reme„diis paregoricis debebant mitigari, suppri„mi . . . si adfuit ingens dolor (ani), & te„nesmus admodum molestus, ac anxius, tunc „opio erat utendum.“ Generatim tamen cœcis in hæmorrhoidibus, earumque moliminibus cavendum est, ne ad mitiganda symptomata, ac præsertim tenesmum opio abutamur; namque ut G. YOUNG (*a*) recte animadvertit, „in hæmorrhoidali morbo opium manifeste „obest, quatenus alvum reddit difficilem; „stercusque in colo, & recto indurat: unde „hæc intestina plus calent, & irritantur, san„guinisque per venas hæmorrhoidales re„fluxus impeditur: hinc major tuberculorum „his in venis distensio necessario sequitur. „Liquet etiam hæmorrhoides augeri debere, „si ab opio rarefactio sanguinis intenditur. „Vasa hæmorrhoidalia in, & externa quan„doque tantopere distenta sunt, ut æger as„siduum tenesmum cum intolerabili dolore „patiatur. Mihi ipsi id aliquando contigit „post vulneraria balsama his partibus prius „admota, simulque sensatio aderat velut „duritiei cujusdam ano impactæ cum continuo ad

(*a*) Abhandl. vom Opium 17. Abschnitt.

„ad desidendum stimulo: hunc insignis opii „dosis minuit; sed postmodo vehementior „revertitur ob distensionem majorem effectam: „imo vehementi in tenesmo opium ne palliando quidem proficit.“ Memorabile hujus rei exemplum R. A. BEHRENS (*a*) adducit: literatus 40 annorum a vita sedentaria, minusque exacta diæta post varia hæmorrhoidalia molimina, inter quæ palpitationes cordis usque ad syncopen, fluxum nactus est hæmorrhoidum sine euphoria, siquidem fluxus continuo evasit inordinatus, fere 3tio quoque recurrens die, simulque hæmorrhoides intumuerunt, ac multum puris collecti, ubi crepuere, fuderunt. Emplastro, nescio quo, admoto visum est ægro ulcus prorsus coaluisse; verum cum chirurgi oculos, manusque ab examine ani semper arcuisset, nil certi eatenus constabat. Assiduus interea, & vehemens tenesmus ægrum cruciabat, quem ipse longo satis tempore ab initio obsecundando effecit pene habitualem, ita ut omni ¼ horæ aliquoties desidere, & alvum ponere cogeretur. Quem abacturus, quod acrimoniæ humorum, & stomachi cruditatibus deberi videbatur, omnibus cum leguminibus; tum oleribus repudiatis, reliquos cibos absque sale,

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 22. A. 1722. Octobr. d. 4. art. 14. p. 455. sqq.

ſale, & aromate paratos edebat. Verum pergenti, & ingravescenti fere malo medicus cum primum opponeret ♁es abſorbentes, ac tonicos absque levamine, cœpit iis addere laudanum hyſtericum toſtum; & remittente inde tenesmo præbuit ejusdem ♁ris ℈j ex ▽is ſtill. in 2 doſes diremtum pro 2 hauſtibus vespertinis ex intervallo aliquot horarum aſſumendis, idque ſemel, iterum, ac tertium. Cumque tenesmus cum dejectionibus inde rarior effectus, evanescente opii energia, deinceps vehementius iterum, crebriusque urgeret, medicus ſolum laudanum hyſtericum ad aliquot grana ſub veſperam præbuit in 3 hebdomades eodem ſemper effectu, procuratis nempe bihorii induciis. His malis interdum difficilis quoque mictus acceſſit; quem accitus demum Auctor Væ Sne, ac discutientibus topicis ubi ſuſtuliſſet, ulteriori opii uſu, cibisque dyſpeptis, ac flatulentis ægro interdixit, non item ⊖e & aromate q. ſ. conditis, ob consvetudinem priſtinam, & fractum opio inteſtinorum tonum ſimilia poſcentem. Imperat ſimul in biduum quotidie bonam pilularum STAHLII doſin, & in ſequente biduo ab omni medicamento abſtinentiam, ut quid pilulæ dictæ valeant, eluceſcat; ſin nihil effeciſſent, die 3tio in brachio venam ſecandam ſuaſit ad revulſionem ab ano. Omnia facta, at ſine levamine. Idcirco præſcripta varia discutientia, nervina, & inteſtinorum tonum reſtaurantia cum ♁bus temperantibus, & abſorbentibus per 14 dies; ac

 poſt-

poſtmodo data rurſus doſis pilularum STAHLII, a qua ſuppreſſæ hæmorrhoides poſtridie uberius fluxere cum levamine, ſed tenesmus cum crebris dejectionibus priſtinum obtinebat vigorem; cujus cauſa opii ne præcedens uſus, an læſio inteſtini recti eſſet, dum ambigit Auctor, ecce detegit, opii uſui clam toto curationis tempore, ut ante hanc, inſtitiſſe, ita ut ad noviſſimum usque theraphiæ diem jam laudani hyſterici aſſumſerit ultra 340 grana, proinde ultra ℥vij. Unde liquebat, ab opio tenesmi cauſam ita ſenſim invaluiſſe, ut vix fuerit medicabilis. Reprehenſus idcirco æger ab opio porro abſtinuit, curatioque denuo cœpta, interpolatis indentidem STAHLII pilulis, eo cum ſucceſſu, ut dejectiones evaſerint paulo rariores, nec niſi finiente digeſtione crebrius moleſtarint, ſolis etiam quandoque flatibus erumpentibus; ægerque jam domo prodiens medico valedixerit. Verum lapſis vix 3. vel 4. hebdomadis repente obiit. A morte innotuit, ægrum, nescio cujus conſilio per 2. vel 3. hebdomadas pro omni alio potu bibiſſe decoctum myrtillorum ſiccatorum ubertim interdiu, & vesperi quoque ad 7. vel 8. vascula theata, imo quandoque etiam baccarum ipſarum coctarum unum, alterumve cochlear abſumſiſſe. Quo factum, ut crebræ ante dejectiones degenerarint in alvi obſtructionem exitialem. Nam etſi primum enema alvum quatriduo clauſam reſerarit, altero tamen quatriduo rurſum conſtipata erat alvus cum dura ventris inflatione, & oborta ab

altero

altero enemate anxietate vehementi cum colica æger post 6. vel 7. horas exspiravit, excreta in agone adhuc aliqua sanguinis quantitate. Neque ad mitigandas cardialgias, colicasque hæmorrhoidales opium impune præbetur; nisi illud extrema necessitas medico extorserit: namque I. C. GOETZ (*a*) refert, sartorem 60 annorum, macrum, strigosum, curis & egestate tota vita confectum, nullis sanguinis missionibus assuetum, a prima pueritia ad senium usque fluxu hæmorrhoidum laborasse, nullo unquam ad eas indoneo regimine observato, quæ a nimia sessione in cœcas abibant cum dolorifico mictu cruento, præsertim ex animi turbis, ac frigore. Donec tandem ab imprudenti ad colicam hæmorrhoidalem narcoticorum usu letalem in hecticam prolapsus est. Ex quibus satis, superque intelligitur, quam circumspecte opium hæmorrhoidariis præbendum sit.

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 2. Obs. 186.

CAPUT VIII.

TONICA.

§. LXXXIII.

VIII. TONICA *roborantia*, *adſtringentia* perinde ut alia hactenus dicta remedia in curatione affectionum hæmorrhoidalium ſummi ſæpe ſunt uſus, quem præprimis indicat

1. *Laxitas* ſolidorum, quæ morbum vel induxit, vel aliunde natum fovet.

2. *Irritabilitas* nervorum p. n. in hyſtericis, & hypochondriacis, quorum ſpasmi vel producunt hæmorrhoides circulatione turbata, vel hasce aliunde ortas, ubi iis complicantur, reddunt graviores, pertinacioresque, & ipſi etiam ab hæmorrhoidibus excitantur cum crebriores, tum vehementiores.

3. *Immodicus fluxus* hæmorrhoidum a tenuitate ſanguinis, vel ſolidorum laxitate, vel ſpasmodicis turbis proficiſcens. Cum autem fluxus excedentis aliæ quoque cauſæ concurrentes eſſe poſſunt, ut biliosa colluvies, plethora commota, Obſtructio viscerum, &c. facile intelligitur, ad tonicorum uſum in fluxu hæmorrhoidum immodico compescendo haud prius eſſe tranſeundum, quam poſt præmiſſas (ſi opus) vacuationes, refrigerantia, antiſpasmodica, ſolventia, &c. ita ut vel Kene-

angia

ángia jam præſens, vel ſola prœgumena mali cauſa ſuperſtes iis relinquatur oppugnanda; ſecus vel fruſtra eſſe ſolent, vel reſtrictus ab iisdem fluxus utcunque excedens peſſima poſt ſe mala trahit. Aurea plane hanc in rem ſunt verba F. HOFFMANN. (*a*): „ſicuti nunquam hæmorrhagia, licet fuerit enormis, „quando a cauſa interna proficiſcitur, forti„ori medicina ſtiptica reprimenda eſt, ita „multo magis id in hæmorrhoidibus nimium „fluentibus obſervandum; ſi quidem non mo„do . . . inde hydropis, vel tabis metus; „ſed & aliorum graviſſimorum affectuum (*b*) „. . . periculum naſcitur, idque eo magis in „iis accidit, qui jam per ipſum copioſum „fluxum, vel aliis ex cauſis imbecilliores facti „ſunt. Etenim hanc regulam practicam quis„que medicorum, ut curæ, cordique habeat, „vehementer optarem, videlicet nihil ad per„niciem magis perducere; quam valde debili„tatis corporibus adſtringentia, opiata, vel „alia fortiora remedia exhibere. Neque cor„poris humani natura a validiori ſanguinis „effuſione unquam tantum patitur; quantum „damni ab importuna ſiſtente medicina acci„pit

(*a*) L. c. T. 8. S. 1. C. 9. §. 19. opp. T. 1. p. 344.

(*b*) Confer. §. 35.

„pit . . . (*a*). Quæ cum ita ſint, valide ad-
„ſtringentium uſus utique ſit cautiſſimus; ne-
„que etiam in principio; multo minus quando
„vires cum ſanguine jam exhauſtæ, utilem
„locant operam ac potius in corporibus inbe-
„cillis, & exquiſitius ſentientis naturæ ſpas-
„modica pathemata, convulſiva, animi deli-
„quia, ſummas præcordiorum anxietates cum
„tremore, & palpitatione cordis concitant.
„Quod ſi itaque fluxum compeſcentibus uti
„neceſſe, conſultum eſt, non vi, & magnis
„doſibus id perficere, ne noxam inferant.
„Oportet quoque ſubjungere diluentia, tem-
„perantia, & leniora laxantia, inter quæ præ-
„ſtantiſſimum eſt aſininum lac, vel ſerum
„lactis dulce. Potiſſimum vero præſtat mar-
„tialia liquida cum ipſis diluentibus aſſumere.
„Quando tamen ſanguinis ex hæmorrhoidali-
„bus locis fluxum ſubito ſublatum ſummæ
„præcordiorum anxietates, inflationes cum
„inquietudine, & anguſtia excipiunt, revo-
„candus is eſt lenioribus elicientibus, & la-
„xantibus, clyſteribus quoque emollientibus,
„ac ſuppoſitoriis": quemadmodum id præ-
ſtare coactus eſt R. SOLENANDER (*b*). Unde
etiam tironibus M. ALBERTI (*c*) ſedulo incul-
cat,

(*a*) Med. rat. Syſt. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. cautel
§. 5. 6.

(*b*) Vide §. 62. (*c*).

(*c*) L. c. §. 23. 25. ſq. p. 209. ſqq.

cat, ne in fluentibus immodice hæmorrhoidibus valentiora mox ſtiptica, præſertim repente, præmature, ſolaque offerant ſicque uno velut ictu fluxum ſupprimant, & aluum conſtipent; ſed illum ſucceſſive per mitiora leniant, & conquiescere demum faciant, qualia inprimis ſunt abſorbentia (ut C. C. uſtum, corall. rubr.) cum nitr. & cinnabari, &c. prudenti manu, ac doſi exhibita. Verum quoniam hæc non ſemper voto faciunt ſatis, ad efficaciora etiam eſt procedendum. Laudantur vero in variis affectionibus hæmorrhoidalibus vel maxime ſequentia tonica:

§. LXXXIV.

1. *Millefolium* (herbula in hæmorrhoidum therapia perquam celebris) duplici præditum virtute, ſcilicet antispasmodica, & blande adſtringente, ita ut minore doſi exhibitum dolores ſpasmodicos ſopiat, largiore autem fluxum compescat. Hinc M. ALBERTI (*a*) de mitigandis cœcarum hæmorrhoidum ſymptomatibus agens „cum internæ (ait) com„motiones ſtrictoriæ, & ſpasmodicæ commu„niter etiam exorbitantes concurrant; prop„terea ordinamus remedia antispasmodica, „& quidem ♁es uſitatos nitroſo digeſtivo- „cinna-

(*a*) Diſs. de hæmorrhoidib. cœcis §. 24. Tract. cit. p. 302.

„cinnabarinos repetito exhibendos; præcipue „vero ad compeſcendas irregulares tales com- „motiones convenit uſus millefolii, modo an- „tea alvus aperta ſit. Præſtat vero hac her- „bula uti in decocto, in dies aliquid hujus „decocti aſſumendo, & per triduum, aut qua- „triduum continuando; non æque neceſſe, „neque etiam ſecurum eſt juxta quorundam „commendationem per integrum menſem mil- „lefolio uti, uti ARNALD DE VILLA NOVA „voluit, quod de eodem etiam allegat P. „PACHEQUUS; quia facile ſuſpectas internas „adſtrictiones inducit, imo motus hæmorrhoi- „dales immoderate ſupprimit, & ad periculo- „ſos affectus chronicos, hepaticos, cacheti- „cos, hecticos, ictericos, aſciticos, & œde- „matoſos diſponit: unde RIVERIUS (*a*) mil- „lefolii decoctum per triduum commendat" haud ulterius hauriendum. Ut autem ab juſta doſi non aberretur, ſciendum eſt, ad infuſio- nem requiri ſummitatum millefolii pugillos iij, ▽æ ℔ß, eſſentiam vero inde paratam præberi quotidie m., & v. ad gtt. 40. vel 55. Notatu tamen hic digna eſt obſervatio G. SCHUSTERI (*b*) aſſerentis magnam eſſe in mil- lefolii infuſo, & eſſentia, quoad effectum, diverſitatem: „infuſum nempe theeforme herbæ „millefolii cum ſummitatibus probe ſaturatum „hæmo-

(*a*) Prax. med. L. 10. C. 11.

(*b*) Nov. act. nat. cur. T. 2. Obſ. 4.

„hæmorrhoides cœcas . . . egregie discutit, „doloresque lenit; essentia autem ex hac „herba parata, si sub eodem statu exhibetur, „intolerabiles excitat dolores, quod sæpius „observare mihi licuit.“ Verum non ita semper id se habere; licebit ex paulo post adducendis aliorum observatis colligere. Cum itaque duplex millefolio insit virtus, nempe stiptica, & antispasmodica discutiens, usum ejus indicabunt vel maxime

a) *Molimina hæmorrhoidum dolorifica*, (utpote a spasmis nata), si illa discutere oportuerit; quam in rem sese millefolii usus magnopere commendavit, & L. RIVERIUS (*a*) „decoctum (inquit) millefolii „in potu ordinario per triduum exhibitum „hæmorrhoidum dolorem feliciter solet di„scutere.“ In Annalibus Vratislaviensium (*b*) vir 30 annis major, molimina hæmorrhoidum citra fluxum sæpius expertus (nempe hepatis infarctus juncto interdum etiam ictero, cephalalgiam multam, nocturnis tamen sudoribus leniri solitam, pravum habitum externum, multos flatus, & anorexiam), incidit mense Julio in vehementes dolores abdominis, præsertim in spina dorsi, qui se usque in femora, &

(*a*) L. c.

(*b*) Tent. 37. A. 1726. Julii d. 2. art. 1. §. 2. p. 29.

& brachia extendebant, ſimulque per dorſum ſurſum propius thoracem, ac latera; ardorem, & puncturas, imo quandoque in temporibus inſanos capitis dolores cauſabant, vix perferendi. Junxit ſe his vehemens vomitus, quin tamen multum humorum elideretur præter magna muci albi, qui per alvum etiam (ut ut rarius ſolutam) abibat, fruſta. Aeger jacuit magna in debilitate, corde, arteriisque admodum ſubſultantibus. Periit ſomnus & appetentia; ab aſſumtis autem remediis potuve poſt obortos ructus inſequebatur dicti ante muci vomitus ſine omni fere bile. Ob alvi ſegnitiem injecta quandoque enemata ſincera iterum excernebantur ſine inteſtinorum relaxatione. Lympha in os affluebat, ægerque in dies ultra ℔j muci albi, lentique excernebat. Unde emaciabatur, albumque oculi flavescebat. Medicus conſultus dedit eccoprotica, ☿es Salinos, & eſſentiam millefolii, ſuccini, pimpinellæ cum infuſis theatis, a queis alvus reſerata ordinate procedebat, ſomnus cum appetentia reverſus, arteriæ minus ſubſiliebant, venæ minus turgebant, corpus renutriebatur, ægerque ita ſibi redditus disceſſit, cum monito, ut ante æquinoctium Væ Snem in pede celebret. Perinde I. G. ERNESTI *(a)* refert virum 40 annorum molimi-

---

(*a*) Ibidem Tent. 23. A. 1723. Febr. d. 2. art. 3. §. 4. p. 152.

moliminibus tantum hæmorrhoidum obnoxium correptum fuisse rheumatismo, ac vehementi spinæ dorsi dolore, ac si culter ab imo sursum per eandem fuisset adactus, ut loco sese movere nequiverit, a quo eum aliquatenus ♁es antispasmodico - temperantes, & subjuncta essentia millefolii cum ℞a ♁ii □risata, & ⏜u C. C. remixta liberavit. Aliis colica hæmorrhoidalis molesta fuit; sed MRa laxans ex oleo amygd. dulc., manna, & spermate ceti, enemata mollia cum oleis lenientibus, nec non essentia millefolii, & chascarillæ, interpolatis tamen ♁bus nitroso - cinnabarinis, levamen attulere.

b) *Cæcæ hæmorrhoides* dolentes, ad quarum dolorem leniendum, stasesque sanguinis tollendas millefolium est eximium, de quo P. PACHEQUUS apud RIVERIUM (*a*) „multi (ait) „in hoc cœli tractu æstuoso cœcis, internis- „quæ hæmorrhoidibus laborant, quibus summus dolor creatur. Ab excrementis etiam „induratis, & suppressis propter tumorem illarum intestinum claudentem sævissimus excitatur cruciatus. Vulgus medicorum cassia „ventrem emollit, ut liberius alvus deponat „sua excrementa; sed male profecto. Cum „enim venæ inflentur in sede potissimum „propter insitam mollitiem, qua paratæ sunt „san-

---

(*a*) Obs. communic. 5.

„ſanguinem recipere, accidit, ut uſu caſſiæ „ita molliantur, ut in poſterum luxuriantem „ſanguinem facile recipiant, effectumque hoc „modo magis augeant. Ego vero a mulier-„cula ſtipem emendicante didici infundere „millefolium in aqua fervente, & bibere in-„fuſionem illam per menſem integrum, aut „diutius, & omnes tali affectu laborantes ſa-„nati ſunt. D. DUMASIA male habita a tu-„mentibus venis ſedis, uxor . . . chirurgi „fuerunt hac arte curatæ. Tandem hoc ipſum „remedium reperimus apud A. DE VILLA NOVA „(*a*). Id ipſum remedium ad fluxum illarum „immoderatum valde confert, ſi prædicto „ARNALDO credere eſt, & ratio etiam ſuadet." Hæc ille. Per menſem quidem non; ſed triduo tantum, infuſo hoc utendum eſſe, jam ante monitum fuit; niſi forte minus meracum infuſum fuerit, quod Auctor præbuit: ceterum ex pugillis iij in ▽æ ℔ß infuſis paratum remedium haud ultra 3 dies eſt hauriendum, quod feliciter ceſſit ægro cuidam G. E. STAHLII (*b*). „Accidit (refert ille), ut vir ple-„thoricus, & euſarcus ab hæmorrhoidibus „cœcis, ac tumoribus, quibus jam bis, terve „dolorifice ægrotavit; in præſenti male ha-„beretur. Poſt aliquot dierum dolores ita tole-

---

(*a*) Cap. de hæmorrhoid. dolorib.

(*b*) Colleg. caſual. magn. Caſ. 10. p. 125. ſq.

„toleratos consulor. Misi quidem ☿es nitro-„sos; sed irradicata jam restagnatio levibus his „remediis non cessit: dedi itaque summitatum „millefolii ad pugillos vj, quorum tres in ▽æ „bullientis ℔ß infundi, bibique jussi. Po-„stero mane nunciat, nil se inde levatum esse. „Miranti, ambigentique, num rite e præscri-„pto remedium fuisset usurpatum, & inquirenti „refertur, tantummodo pugillum 1 fuisse in-„fusum. Impero igitur in posterum pugillos „iij. Eodem die ad 11. horam in platea „mihi homo fit obvius, non satis valens ce-„lebrare, & laudare remedium, omnis jam „doloris expers. Sub cœna etiam multum „vini hausit, sine ullo incommodo; licet il-„lud alioquin sanguinem commoveat." Multum quoque hoc remedium profuit L. HEISTERI (*a*) Ecclesiasti tuberculum hæmorrhoidale avellanam æquans, & vehementer dolens habenti, quod ubi aceto lithargyrii calido fovisset, bisque per diem hausisset infusum ex herbæ millefolii cum florib. M. j., a morbo convaluit. Perinde (*b*) magnati 24 annorum ab hæmorrhoidum dolorificis tuberculis plurimum passo consuluit, ut Væ Sem quovis vere, autumnoque, tum eccoproticum, dein ☿em temperantem, litumque ♄num & ex essentiæ millefol., ac fumar. āā ℥iij

(*a*) Medic. chir. Wahrnehm. 1. Band. Nro. 440.

(*b*) Ibidem Nro. 616.

ʒiij m., & a meridie gtt. 40 ad 45 ex thea, vel caffée in uſum vocaret.

c) *Fluxus immodicus* earundem uſu millefolii perinde pene certo, citoque cohibetur, ut ex VILLANOVANO (*a*) jam conſtat. Et M. ALBERTI (*b*) „ad coërcendum (ait) „nimium impetum circa venam portæ ſuccedentem, & ſubinde ad refrœnandam exceſſivam profuſionem hæmorrhoidalem conducit millefolium, cujus eſſentia cum eſſentiis „temperatioribus carminativis, & eſſ. chaſcarillæ maritata ad 30, aut 40 gtt. exhibita „eosdem uſus offert: & licet hoc millefolium „pro effectu tali inducendo admodum quadret; „tamen ſubinde maxima circumſpectio adhibenda eſt, ne ex liberali illius uſu ſimul, & „ſemel hæmorrhoides opprimantur; alias peſſimos effectus poſt ſe trahit: quare convenit illud modeſte, & parce, neque nimis „frequenter adhibere; deinde etiam expedit „illius uſui remedia temperantia, & diluentia, „ut & laxantia ſubordinare, ne ſuſpectam „ſtricturam poſt ſe relinquat; utpote quæ eſſentia millefolii tunc magis conducit, quando „ejusmodi exceſſui hæmorrhoidali colici, & „intenſius ſtrictorii effectus complicantur."

STAH-

(*a*) L. c.

(*b*) Diſſ. de hæmorrhoidib. excedent. §. 27. Tract. cit. p. 214.

STAHLIUS (*a*) quoque oculatus auctor, & parcus specificorum encomiastes fatetur specifici quid huic plantulæ ad hæmorrhagias, præsertim venarum sedis, cohibendas inesse, & a 20 annis multum adstringenti ejus vi, inprimis forma infusi dati, confisus est, a quo brevi optatus effectus observatur. Sed „mo„neo (subdit), ut provide, cauteque usur„petur, præsertim in sexu masculo, namque „in hæmorrhoidariis effectus producere valet, „ac reipsa producit, haud semper imitandos. „Medicus quidam seni 70 annorum hæmo„rrhoidario dedit (volens genuinam imitari „M. P. STAHLII) pilulas, queis extractum „millefolii infuit; unde suppressæ hæmorrhoi„des hydropem letalem acciverunt.“ Perinde alteri ægro medicus scopo moderandarum hæmorrhoidum præbebat interdum millefolium: quo factum, ut illæ plures deinde annos abfuerint, ægerque in dies pejus habens demum e vita migrarit. Ipse STAHLIUS viro cuidam uberem, ac fere continuum hæmorrhoidum fluxum passo post incassum exhibitum ab aliis medicis crocum ♂is adstring. ad ℨj. (unde fluxus potius increvit, nisi quod sponte subinde remiserit), hectico, ac tabido medicinam faciens, cum per lenia medicamenta fluxum effecisset moderatiorem, tandem exhibuit dentis Hippopot. ℨß. in aliquot doses divisam, & mille-

(*a*) L. c.

millefolium: unde hæmorrhoides ocyus substitere; sed abdomen inflabatur variis cum symptomatibus. Si enim vel in lecto sese erigeret, vel manus levaret, suffocationis fere periculum incurrebat; quod etiam a datis pellentibus experiebatur. Interea febris hectica crevit. Sed appetente autumnali æquinoctio præter Væ Snem data lenia interna, externaque stimulantia hæmorrhoidum fluxum revocarunt: unde œdema evanuit, ægerque pristinum ad statum rediit. Si igitur a tam levi suppressione fluxus tanta mala, quid a largo, diutinoque millefolii usu non est verendum? Provide ergo illo utendum esse, ne fluxus omnino supprimatur, prudentia poscit; atque ita administratum non pœnitendos edit effectus. L. HEISTERUS (*a*) meminit matronæ 28 annorum, cui post ultimum puerperium dolorificus hæmorrhoidum fluxus accidit, præsertim sub, & post alvi dejectiones clamorem invitæ exprimens, usque adeo, ut nec incedere, nec sedere valeret. Sub quavis dejectione prodibat aliquid sanguinis multo, & ardente cum dolore, ac sensatione, ac si intestinum rectum coarctaretur, ut nihil sine vehementi dolore excerni posset. Consultus Auctor, data potui ▽a pura, vel decocto panis cum pauxillo citri, præscripsit:

℞.

(*a*) L. c. Nro. 329.

℞. Conch. acet. ppt.
Lap. 69. citr.
Arcan dupl.
♀ri ⊖lati āā ʒij.
⦶ puriſſ. ʒj. M. F. ℥is temperans
S. m., & v. ad 2. cuspides cultri ex ▽a.
Porro

℞. Eſſent. millefol. ʒvj.
S. hora ante cibationem gtt. 40. ad 55.

℞. Herb. millefol. cum florib. M. ij.
Flor. 4 cordial. āā. p. j. M. conciſ.
D. ſpecies pro infuſo bis per diem ad 3, vel 4. vascula bibendo.

℞. Ol. infus. ſolani.
— roſar āā ℥ß.
Acet. litharg. ʒvj. M. tritis in mortario plumb. adnutriti conſiſt. adde
Sach ♄ni ℈ß.
Camph. gr. vj.
Opii gr. iij. D. m., & v., & urgente alias dolore ut loca dolentia illinantur. Si alvus obſtrueretur, imperatum enema ex lactis ℔j. cum ſacch. ℥j. (vel mellis cochl. ij.) & butyri cochl. j.; dolore autem nimium ſæviente, ut balanus ano inderetur ex recenti butyro ▽a frigida denſato $\frac{1}{2}$ digitum longus, craſſusque. In cibum conceſſa molliſſima olera, fructus horæi cocti, variaque jura mollia, & blanda, vetita omnia in cibo, potuque adſtringentia, ſiccantia, calefacientia, & acria.

Ab his convaluit. Non male etiam adduntur millefolio plantæ aliæ in pacandis hæmorrhoidum turbis efficaces, ut ſcrophularia, telephium, chelidonium, &c. quemadmodum M. GERBEZ (*a*) in ſe ipſo eſt expertus. „Refero „(ait ille), quid ego in memetipſo iis (hæ„morrhoidibus) tam dolentibus; quam flu„entibus præ aliis remediis proficuum fuiſſe „expertus fuerim. Patiebar autem earundem „(interpolatum tamen) fluxum jam fere per „15 annos, priusquam eæ mihi dolere, vel „nimio fluxu moleſtæ eſſe inceperant; poſt„quam autem ante triennium ex itinere equo „facto nimium incaluiſſem, eis ſubinde adeo „dolueram, ut dolori ſufferendo vix par fue„rim. Tranſierat vero ſucceſſive tamen rur„ſus dolor hic; ſed qui poſt annum circa idem „fere tempus ad ſimillimam ex equitatione „incalescentiam cum non impari moleſtia ta„men rurſus redierat, & præterea cum ea „ſanguinei fluxus continuatione, & diarrhœa, „ut inde peſſumdata ventriculi digeſtione, & „attritis viribus vix non ſuccubuerim, non „obſtantibus quam plurimis protunc in ſubſi„dium vocatis remediis. Demum eisdem ta„men tantum effeceram, ut ſucceſſive rurſus „me utcunque recollegerim. Quod pertime„ſcerem vero, ne ſæpius recurrens tam peri„culoſum malum me demum præcipitaret, co„gitan-

(*a*) Miſc. nat. cur. Cent. 1. & 2. Obſ. 131.

„gitandum mihi esse rebar de certioribus re-
„mediis, quibus ulteriori recidivæ obviam
„irem, & deprehenderam; quod scrophularia,
„telephium, chelidonium minus, & millefo-
„lium præ aliis talia essent, quæ hoc malum
„cicurare, & demum etiam radicitus exstir-
„pare valerent. Resolveram propterea eorum
„effectum experiri; atque quod commodissi-
„mus eorum usus mihi videretur esse in de-
„cocto, ea cum toto minutim concisa in aqua
„instar herbæ theæ decoquere solitus eram, &
„cum tantillo sacchari singulis, vel saltem
„alternis matutinis quantitate 8 circiter un-
„ciarum calide sorbillare: & sancte dico, me
„intra 2 menses (observata interea proba vi-
„ctus ratione) rem . . . eo perduxisse, ut
„jam in alterum annum, etsi interea pluries
„equo peregre profectus fuerim, inde peni-
„tus nullam perpessus fuerim molestiam; quin
„potius inde notabiliter carnosior, & colo-
„ratior effectus veluti renatus esse mihi vi-
„debar, fluxu earum quidem subinde interea
„tamen recurrente; sed moderatissimo, & mi-
„nime molesto." &c. Simili quoque ratione
I. M. MÜLLERUS (*a*) millefolii plantis aliis
remixti, ac decocti, refractaque dosi dati
ope nimium hæmorrhoidum fluxum ad mode-
ratum ac rariorem reduxit: „cauponis filio-
„lus sexennis per semestre a convivis quo-
tidie

(*a*) Ibidem Cent. 8, Observ. 36.

„tidie fere ad vinum meracius bibendum, & „quidem in majori copia; quam talis tenella „ætas perferre potest, allectus mense . . . „Majo fluxu hæmorrhoidali quotidiano corri- „pitur sat copioso, cum dispositione hectica, „&c. Quod cum perterriti parentes animad- „verterent, meum exposcebant consilium. „Statim omnem vini usum plane dissuasi, „adque potum ordinarie sumendum cerevisiam „utilem judicavi, in qua nodulus ex

℞. Herb. chelidon. min.
— millefol.
— capill. ♀.
— hepat. nob. āā M. j.
Ras. lign. sassafr. ʒvj.
Passul. min. ℥j, suspensus sit. Item

℞. Extract. millefolii
— plantag.
— agrimon āā ʒj.
— ♂ pomat. ʒij.
🜄æ hepat. nob.
— cichor. āā ℥ijß.
☿ rad. scrophular.
— viperin.
⊕. depurat. āā ʒjß.
Syr. Symphit. ℥j.
De qua MRa mane, & pomeridie 2 cochl. cap.

℞. Unqu. de linar. ℥ß.
Olei expr. hyosc. ʒjß.
☿ rad. scrophular. ℈ij. Pro ungu. ad
podi-

„podicem ordinavi. Hisce aliquamdiu conti-„nuatis pinguior, vegetiorque factus, ac fluxus „hæmorrhoidalis imminutus fuit; quo in sta-„tu ad plura medicamenta assumenda non am-„plius persvaderi potuit, licet hæmorrhoides „ad hodiernum usque diem quandoque, sine „ulla tamen molestia, apertæ sint.“ Eadem cum cautela millefolium puellæ trimulæ HOFFMANNUS (*a*) præbuit.

d) *Stymatosis* hæmorrhoidalis. Ita I. A. RAIMANNUS (*b*) stymatosin ex suppressis hæmorrhoidibus ortam decocto millefolii profligavit: „contigit mihi (ait) hanc nuper in viro „peregrino ex Tyrolia oriundo observasse, „qui pro more suæ gentis nundinatorem peri-„pateticum agens, mercesque suas bajulando „venum differe adsolens, ad mercatum hujus „loci annuum, & solennem suis cum sociis „quadragenario major cum comparuisset, ema-„nente sibi familiari hæmorrhoidum fluxu flo-„ridissimum sanguinem non quidem micturi-„endo reddebat; sed eundem indolenter te-„nui, eaque interdiu æque, ac noctu perenni „scaturigine emicare, & per penem propullulare „animadvertebat. Neglexit autem malo huic „statim facere medicinam, bene scilicet me-„mor, quod ante annum circiter parem pau-„corum

---

(*a*) Vide §. 21.

(*b*) Act. nat. cur. Vol. 6. Obs. 3.

„corum dierum hæmorrhagiam innoxiam ha-
„buerit; cum autem eundem plus ultra incre-
„bescere cerneret, metuque majoris forſan
„ſucceſſuræ noxæ angeretur, medicam tandem
„implorare voluit opem. Inciderat vero in
„medicum, qui diſcrimen activas inter, &
„paſſivas hæmorrhagias nullum eſſe ratus præ-
„miſſa Væ Sne revulſoria auxiliis diverſis hæ-
„moſtaticis, non neglectis urethræ quoque
„ſyringationibus, cito eidem, etſi incaſſum,
„mederi ſatagebat. Inanem ergo medentis
„eſſe operam per 3 hebdomadarum de-
„curſum dum æger experiretur, conclama-
„tum de ſua eſſe ſalute... persvaſus, ut ma-
„num naufrago absque mora... porrige-
„rem, anxius rogat... Poſtquam facto
„examine originem, & cauſam ejusdem inti-
„mius perſpexiſſem, facile convincebar, pro-
„cul abeſſe tam ſonticum, quale ſibi æger im-
„minere metuebat, periculum, præſertim,
„dum omnis actionum (ſi pallorem vultus,
„viriumque aliquem languorem excepero)
„intemerata perſtaret integritas; tranquillo
„proinde eundem eſſe juſſi animo, datisque
„℥bus nonnullis tonico-antiſpaſticis; & præ-
„ſcripto decocto equiſeti, & millefolii ſca-
„turiginem hanc cruoris paucos intra dies ex
„voto ſuppreſſi... Abiturientis vero firma-
„vi in ulteriora pericula animum, auctorque
„fui, ut reſtitante parco hæmorrhoidali fluxu,
„niſi in idem rurſus vertente anno diſcrimen
„venire velit, vel Væ Sbus vicariis, vel hi-
„rudinibus ſibi conſulat.“ Similem etiam ca-
ſum

ſum videre eſt in I. A. SEGNERO (a), nempe viro poſt quemvis coitum ſtymatoſis ob ſuppreſſas hæmorrhoides per vagas periodos accidebat. Sub ipſo igitur fluxu ſcarificata ſumma femora; poſt aliquod vero dies ad reddendum vaſis tonum datum decoctum millefolii cum ligno lentisci: deinceps aloetica, aliave idonea remedia exhibita, auctaque, inſtantibus moliminibus hæmorrhoidum. Fluxere inde hæmorrhoides ex ano, ſimulque adhuc ex pene; verum eadem medendi methodo repetita ſtymatoſis ad fluxum hæmorrhoidum deſiit.

§. LXXXV.

2. *Bdellium* quoque tonico ſcopo, ad immodicum præſertim hæmorrhoidum fluxum compeſcendum, ſeſe commendat. L. RIVERIUS (b) de eodem fluxu agens „valde (inquit) laudantur ab Auctoribus pilulæ de „bdellio; quas tamen rejicit RONDELETIUS „propterea, quod vero bdellio pharmacopœi careant, & illius loco myrrham uſurpent, quæ ſanguinis fluxum promovet: verum

(a) Diſs. de morbis ex interceptis hæmorrhoidibus potiſſimum rariorib. (4to. Gotting. 1741. Reſp. I. I. GRUMBRECHT) §. 74. p. 30.

(b) Prax. med. L. 10. C. 10.

„rum huic obſtitit SOLENANDER, illiusque „experientiæ propriam opponit, aſſerens ſe „in uſu harum pilularum, ut ſunt præſcriptæ, „atque cum uſitato bdellio compoſitæ, effe-„ctum, quem promittunt, tam evidentem „comprehendiſſe, ut de compoſitione dubi-„tare vix queat; niſi quis putet ab adjectis „ſiccantibus, & adſtringentibus hoc quale-„cunque, quod recipiunt, myrrhæ obtuſum, „ſuperatumque eſſe. His addere poſſumus, „BAUDERONIUM in pharmacopœa aliosque „recentiores aſſerere, verum hodie bdellium „DIOSCORIDIS deſcriptioni conveniens ex „Judæa nobis afferri, & a myrrha non diffi-„cile diſtingui. Illarum pillularum uſus talis „eſſe poterit:

℞. Pilul. de Bdellio ℈j.
Trochisc. de carabe
— — — 🜄a ſigill. āā ℈j. cum
Mucilag. ſem. cyd. extr. cum 🜄a roſa-„cea F. M. P. de qua capiat ℈j bis in die, ante „prandium, & cœnam.“ Confectio autem pi-lularum de bdellio ita ſe habet (*a*):

℞. Ammeos parum toſti ʒiij.
Myrobolan. chebular.
— — Indarum.

Myro-

(*a*) I. H. IUNGKEN corp. pharm. chym. medic. Sect. 3. C. 20. p. 705.

Myrobolan. Bellicar.
— — Emblicar.
Conchar. venerear uſtar.
Charabe āā ʒijß.
Bdellii ℥jß.
Maceretur bdellium in ſucco foliorum porri, & formetur maſſa.

§. LXXXVI.

3. *Chelidonium minus*, de cujus virtute ita R. SOLENANDER (*a*): „ego adhuc adole-„ſcens vidi . . . empyricum, omne vitium „hæmorrhoidum curantem chelidonio minore „. . . Is ſecrete herbam integram ſiccatam, „in manipulos collectam, injectamque cere-„viſiæ macerabat, eamque propinabat. Et „aquam ejus exſtillatam adhibebat lotione, „& fotu exterius per linimenta. Poſtea ego „illa herba multis modis ad hunc effectum fe-„liciter ſum uſus. Succus frequenter illitus „expeditius id facit; quam aqua. Herba „etiam tuſa appoſita medetur. Novi, qui ſa-„narunt, quos nimium profluvium fere con-„fecerat, ut hydropis periculum adeſſe vide-„retur; exhibita hujus herbæ aqua deſtillata, „ſed quia acris eſt admodum, libentius utor „herba iſta (ut dixi) cereviſia vel etiam vino „ſuo loco macerata. Flores quidam, alii „her-

(*a*) Conſil. 20. Sect. 4.

„herbam commiscent, ovi vitello coquunt, „& in placentula mane edunt. Huic herbæ „ego ad hæmorrhoidum vitium mirabilem „efficaciam tribuo.“

§. LXXXVII.

4. *Glandium decoctum* (Eichel Coffée). Abusum calidorum potuum, ut causam laxitatis venarum sedis hæmorrhoidariis dissvadens I. C. STUNZER (*a*) mirabantur (inquit) „aliqui, dum iis prophylactico scopo decoctum „ustulatarum glandium quercus in locum po„tus Coffée consulerem, veriti obstructiones, „indeque venarum hæmorrhoidalium intume„scentiam; sed morbus eorum a laxitate fuit „enatus: obediendo convaluere.“ Confirmantur hæc singulari casu observato ab S. H. A. KAISER (*b*): Vidua 55 annorum, nunquam catamenia nacta (& idcirco 18 annis conjugii sterilis) horum loco a juventute hæmorrhoides patiebatur, quæ ingravescente demum ætate anomalæ factæ, varia causarunt symptomata, quæ inter crebra post præviam semper vomiturititionem vertigo, sæpe cum syncope, consecuto

(*a*) L. c. p. 83.

(*b*) Fortsetzung des Unterrichts von dem Nutzen und besonderer Heilungskraft der Eicheln &c. 3. Abtheil. 5. Krankengeschichte p. 54. sqq.

ſecuto vomitu ceſſans, aſſidua ventris inflatio, laſſitudo, ac debilitas, appetentia jam exigua; jam multa, cui ſi multum indulſit, ſumma ſemper ſtomachi inflati tumescentia, ac tenſio ſequebatur. Alvus poſt diutinam obſtructionem dura, ſemper cum vehementi tenesmo egerebatur. Lingua pro parte alba, urina cruda aquoſa, pulſus jam debilis, jam contractus. Animum alias hilarem melancholia oppreſſit. Interdum ex niſu ſanguinis in anum perquam dolorifica inteſtini recti orta inflammatio cum ani prolapſu gangrænam citam minante; ſed Væ So, vapor calidæ, aliaque externa malo ſemper medebantur. Væ So princeps erat remedium, ad vehementiſſima molimina hæmorrhoidum, gravemque inde tenesmum ortum leniendum. Præ debilitate primarum viarum nullos potus vidua perferre potuit; nam infuſa ex tonicis etiam herbis ſtomachum plus relaxabant; Caffée vero æſtum, & humorum rarefactionem cauſabat. Placuit igitur glandium decoctum experiri. Quod ex glandium ℥iij, & caffée orient. ℥j. paratum mane & a prandio cum ſaccharo, ac lacte potui datum. Primis diebus meteorismus; ac tenſio ventris crescere videbantur; ſed copioſi, ut ut raro erumpentes, flatus emiſſi tenſionem minuebant. Poſt 14 dies alvus evaſit ordinata ſine ullo tenesmo, ac deinceps ferme quotidiana. Hinc decocti uſus in annos commendatus, & ſi forte præſente plethora hæmorrhoidum anomaliæ occiperent, Væ Sne, vel aliis pro re nata remediis quies procurabatur.

§.

§. LXXXVIII.

5. *Rosarum siccarum syrupus* P. BORELLUS (*a*) „sartor (ait) castrensis tanto hæ„morrhoidum fluxu aliquando detinetur, ut „ad 10 ℔, & quasi torrentes sanguineos ef„fundat; est autem vir quadratus, & joviali „præditus temperamento. Syrupo de rosis „siccis nimius ille fluxus cohibitus fuit meo „consilio."

§. LXXXIX.

6. *Sorbi roob*, de quo S. LEDELIUS (*b*): femina robusta statis temporibus per plures annos mensium, hæmorrhoidumque fluxum cum euphoria experta incidit in trimestrem hæmorrhoidum tumorem cum inflammatione, sævisque cruciatibus, & virium inde prostratione; quæ mala menses subsistentes auxere etiam. Post infinita frustra tentata remedia, tandem ex vetulæ consilio cœpit uti roob sorbi aucupariæ, cujus ab usu omnis mox abiit dolor, tumor, & inflammatio, pristinaque rediit valetudo.

§.

(*a*) Hist., & Obs. med. phys. Cent. 4. Obs. 58.

(*b*) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 4. Obs. 50.

§. LXXXX.

7. *Pimpinellæ ſanguiſorbæ decoctum* cujus efficaciam C. KOELICHEN (*a*) in ſiſtendo immodico hæmorrhoidum fluxu eſt expertus: nempe matrona 50 annorum deficientibus jam catameniis patiebatur quovis menſe fluxum hæmorrhoidum per aliquot dies citra ullam virium, ſanitatisve jacturam. Tandem ubi malignam febrem nacta ab eadem convaluiſſet, paucis poſt diebus tempore ſolito ingruit hæmorrhoidum fluxus cum debilitate ſumma, convulſionibus, vitæque diſcrimine. Auctor in potum præſcribit decoctum ſanguisorbæ, quo fluxus cohibitus eſt. Viribus, aliisque ſymptomatibus per alia proviſum fuit.

§. LXXXXI.

8. *Urticæ ſuccus* in aliis quoque hæmorrhagiis compescendis decantatiſſimus, de quo ſequentem caſum refert L. RIVERIUS (*b*): „conſiliarius immodico hæmorrhoidum fluxu „laborabat a 5 vel 6 diebus, quo ſanguinis „℥viij, vel x. ſingulis diebus profundebat. Poſt „Væ Snem julepos refrigerantes, & incraſ„ſantes, aliaque remedia interna, & externa „fruſtra

(*a*) Act. med. Hafniens. Vol. 1. Obſ. 81.

(*b*) Obſ. med. Cent. 4. Obſ. 81.

„frustra exhibita cum res urgeret, & æger „admodum debilitaretur, præscripsi succum „urticæ levi ebullitione depuratum ad ℥ij cum „pauco saccharo, & hoc solo remedio fluxus „omnino cohibitus est.“ Perinde apud DE LA METTRIE (*a*) vir comesto calidissimo jure facto ex vino Hispanico, cinnamomo, croco, saccharo, sentiens velut calidum humorem e stomacho descendentem, implevit matulam alvina dejectione cum sanguine. Singulare fuit, toto morbi tempore sanguinem alvo nonnisi ab enematibus prodiisse, quem post Væ Snem data adstringentia stitere; sed maturius purgato ægro hæmorrhagia recrudescens alteram Væ Snem poposcit. Fluxum denuo stitit succus urticæ datus. Sanguis post usum ejus excretus referebat coagulum spissum, ac viscidum adeo, ut figuram a cellulis coli conciliatam retinuerit. Tandem æger post multa remedia, severamque diætam sensim convaluit.

§. LXXXXII.

9. *Granatorum grana.* F. BARTHOLINUS (*b*) „viro, (narrat) cui ante moderatius ad uncias sanguis ex hæmorrhoidibus „fluxe-

---

(*a*) Observ. de Medec. pratique Nro. 80. p. 126.

(*b*) Act. Hafn. med. Vol. 1. Obs. 51.

„fluxerat, jam nescio, qua ſanguinis acrimo-
„nia, vel viarum laxitate ad libras manat ad
„animi fere deliquium. Tentata ad revulſi-
„onem Væ So, aliaque remedia ſolita advo-
„cata, ſed fruſtra. Tandem præſens auxi-
„lium grana granatorum ſucculenta ſubmini-
„ſtrarunt, quibus maſticatis, ſuccoque de-
„glutito ceſſavit periculoſius ſanguinis fluxus:
„cujus idcirco remedii certitudinem ſæpius
„in ſe factis experimentis deprehendit.“
Haud ſecius Baroni R. LENTILII (*a*) e nimio fluxu hæmorrhoidum debilitato nil æque profuit; quam eadem grana ſucculenta frequenter maſticata.

§. LXXXXIII.

10. *Simarubæ cortex.* C. WEBER (*b*)
„quadragenarium ex nimiis hæmorrhoidibus
„ſanguineis per aloetica, carminativaque
„promotis intra 12 ſeptimanas aſciticum
„factum cum chinæ chinæ, ſimarubæque cor-
„ticibus, & rhabarbaro ſanavit; alium 30
„aliquot annorum virum ex illis intra 16.
„hebdomades plane fere emaciatum unice
„per ſimarubæ corticem reſtituit.“

§.

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 9. Obſ. 124.

(*b*) Obſ. med. Faſc. 2. Obſ. 13. p. 58. ſq.

§. LXXXXIV.

11. *Terrea* ſtiptica non in tenera modo; ſed adulta etiam ætate ſæpe in cohibendo immodico hæmorrhoidum fluxu non pœnitendo cum ſucceſſu præbentur. Sic I. C. GRIMM (*a*) „contigit ſæpius (ait), quod „puer quidam annorum ſex laboraverit hoc „fluxu; interim nulla adfuere ſymptomata, „nam vegetus erat, nullumque ſenſit dolorem. „In hoc câſu adhibui lacticinia cum terreis." Huc etiam D. CORNARII (*b*) caſus eſt referendus, quem paulo poſt dabimus.

§. LXXXXV.

12. *Mars*, ejusque præparata, vel corpora illum continentia. Illum quippe ad obſtructiones a laxitate vaſorum, & viscido ſanguinis lentore enatas, qualibus hæmorrhoidalis debetur morbus, referandas, ſanguinemque rutilum, ac fluidum reddendum, eſſe efficaciſſimum nemo ignorat. Hinc mars & molimina morbi ſæpe discutit, & nimium fluxum compescit, & ſuppreſſum a vaſorum debilitate, ſanguinisque lentore viscido revocat. Hos itaque in uſus conveniunt.

a)

(*a*) Miſc. nat. cur. Cent. 9. Obſ. 92.
(*b*) Vide §. ſeq. (*c*)

a) *Crocus* ♂is varius, vel ſolus, vel aliis junctus. C. F. PAULLINI (*a*) Paſtori cuidam ex crebro aloes uſu hæmorrhoides immodicas, dolentesque nacto pilulas præbuit:

℞. Extr. tormentillæ
Croci ♂. adſtr. āā gr. jv. M. F. pil. 8 pro doſi. Perinde F. HOFFMANNI (*b*) „præ„fectus militum quadragenario major, natura „ſanguineus, atque robuſtus, a multis jam „annis expertus fuerat hæmorrhoidum fluxum „cum euphoria; ſed cum a ſueto vini Rhenani „potu tranſiret ad vini Gallici Pontak potum, „elapſo aliquot menſium ſpatio hæmorrhoides „præter morem ſunt retentæ, & ſucceſſerunt „dolores atrociſſimi in lumbis, & abdomine „cum virium dejectione, inappetentia, vi„gilia, pulſuque celeri, & frequenti: exhi„bita vero ter laxante potione ex tama„rindis, rhabarbaro, & paſſulis minoribus „non modo ſoluta eſt alvus; ſed et ingens „nigri, & congrumati ſanguinis copia excreta „ſummo cum levamine. Diutius tamen; quam „par erat, perdurabat fluxus ſanguinolentus; „quo quia vires nimium atterebantur, datum „eſt electuarium ex roſarum conſerva, ſpecie„bus de hyacintho, ſuccino, croco ♂ tenui,
„&

(*a*) L. c. §. 2. p. 234. ſq.
(*b*) L. c. Obſ. 4.

„& granatorum ſyrupo, cujus uſu ad hebdo-
„madem continuato ad ſanitatem traductus
„eſt æger.“

b) *Limatura* ♂ v. RIEDLINI (*a*) virgo 30 annorum rite ſemper menſtruans per integrum fere annum intermedio inter catameniorum fluxum tempore immodicum hæmorrhoidum fluxum patiebatur non ſine expallescentia, viriumque majori in dies jactura; quem cum data eſſentia ♂ cum lenibus ſtipticis ne minuiſſet quidem, data limatura ♂ cum conveniente extracto in pilulas redacta, quæ vix aliquoties uſurpata malum ſuſtulit, & continuatus deinceps remedii uſus recidivam præcavit.

c) ℞æ ♂ variæ. G. W. WEDELIUS (*b*) „obſervavimus (inquit) aliquot ægros, qui „fluxum hæmorrhoidalem aliquoties experti „cum per aliquot tempus uterentur ℞a ♂ „aperitiva temperatiori, illas non ſenſere amplius.“ Perinde (*c*) quidam illius „vir „magnificus aliquoties fluxum hæmorrhoidalem expertus cum per aliquot tempus uteretur ℞a ♂ aperitiva, illum non ſenſit „amplius in hunc diem.“ P. H. VOGEL apud

A.

(*a*) Lin. med. ann. 3. Febr. 23. p. 124.
(*b*) Opiolog. L. 2. S. 2. C. 5.
(*c*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. Obſ. 22.

A. E. BÜCHNERUM (*a*) quadrimuli meminit pueri, qui e febre catarrhali cum lateris dolore repente medicamentis cedente in hæmorrhoidum fluxum incidit, ita, ut quotidie alvum bis, terve ponens ſemper etiam ſanguinis aliquid excreverit, cetera ſanus & alacris; ſed quia fluxus in 17 hebdomades durans metum injecit, ne cum tempore fiat profuſior cum ſanitatis diſcrimine, datis bis omni die ℞æ ♂is cum ſucco pomor. gtt. 25, ſenſim auſpicato eſt abactus.

d) ∇æ ♂les nativæ, aut arte per chalibis exſtinctionem paratæ. Inter illas eminent ſpadanæ, de quibus P. L. de PRESSEUX (*b*) „quamquam (ait) hæmorrhoides abſolute „aquis noſtris curatas nunquam viderim; at„tamen aſſerere poſſum harum potum magnum „illis attuliſſe levamen : non mirandum eſt ergo; „ſi quotannis plurimi hæmorrhoidibus obnoxii „Spadam veniant. Pouhontius (fons) nimiam „ſanguinis jacturam temperat, doloresque „hiſce hæmorrhagiis cauſatos ſedat; Jeron„ſterinio (fonte) in diſpoſitis excitatur harum „fluxus, vel ſuppreſſus reſuscitatur. Conſan-„gui-

---

(*a*) Miſc. phyſ. med. A. 1730. Decembr. d. 4. art. 6. p. 1522. ſq.

(*b*) De aquis ſpadanis. Obſ. med. 23. in append. ad R. ZAFFII Synops. Obſerv. med. de ſelect. medic. virib.

„guineum habeo, qui omni menſe magnum „ſanguinis diſpendium per hæmorrhoides facit, quæ ſuppreſſæ Jeronſterinio excitantur, „quem per 5, vel 6 dies potat, qui ipſi ſem„per plures annos profuit.“ In mineralium aquarum defectu ▽a chalibeata ſimplex ſubſtitui poteſt, quam practici remediis, cibis, potuique loco ſimplicis aquæ ſubſtituunt, velut in D. CORNARII (*a*) caſu videre eſt: vir nobilis poſt quadrimeſtrem colicam, epilepſiam, brachiorum paralyſim, & vomitus cum alvo obſtructa, e vino præſertim Hungarico uberius poto repente corripitur hæmorrhagia narium, & ani ſine dolore & debilitate, imo cum euphoria. Ex naribus excretæ per 4 vices intra diem ſanguinis circiter ℔ij, & quatridui alvino fluxu fere nil niſi ſanguis purus cum grumis circiter ℔vj. prodiit. Alvus interdum fuit naturalis, compacta, & incruenta. Ab his hæmorrhagiis ſymptomata ſine ullo remediorum uſu deſiere. Ad compeſcendas vero hæmorrhagias (ani præſertim) ſequentia a medicis imperata ſunt: 1.) ſacculi farcti florib. roſar. rubrar., & verbaſci: foliisque plantaginis, ac vino rubro chalibeato calido imbuti, ano applicandi; interdum etiam 2.) ſuffitus ex ℥e troch. de carabe, maſtichis, thuris, myrrhæ, ano admiſſi. Fluxu ab his non remittente 3.) enemata ſtiptica

(*a*) Obſerv. med. 26.

ſtiptica injecta, v. g. decocti in ▽a ferrata plantaginis, portulacæ, roſar. rubrar. folior. quercus, flor. balauſt. conſol. maj. ℥jv. cum ♁ ▽æ ſigill., vel boli Armen., vel troch. de carabe ʒjß. Retinebantur per ¼ horæ. 4.) illitum dorſum unguento Comitiſſæ. 5.) nutrimenta omnia pro ▽a ſimplici, paranda fuere cum chalibeata, queis pro re nata admiſcebatur ♁ ▽æ ſigill., boli Armen., C. C. &c. Nutriebatur autem contuſis pullorum aſſorum, gallinarum, caponum, ptiſana amygdalarum dulcium; potui datum vinum rubrum cum ▽a chalibeata. 6.) Boli quoque ſubinde ex ♁bus ▽æ ſigill., C. C., boli Armen., cum conſerv. roſar. rubrar. vetuſta a prandio, & cœna dati. His convaluit.

§. LXXXXVI.

13. *Peruvianus cortex* denique hæmorrhoidalibus in malis vario præbetur ſcopo, præſertim vero illum indicant

a) *Laxitas* vaſorum cauſans, vel certe fovens hæmorrhoides.

b) *Spasmi* fluentium hæmorrhoidum comites, ſeu fluxus hæmorrhoidum cum motibus anomalis ſpasmodicis, cujus rei ſingulare exemplum narrat P. G. WERLHOF (*a*): „vir

(*a*) Obſ. de Febr. S. 5. §. 9. opp. P. 1. p. 248. ſq.

„vir nobilis, macilentus, hæmorrhoidum „fluxu, ac motibus anomalis, tuſſi ſicca, hæ„moptyſi, catarrhis, flatibus ſæpe afflictus, „qui ante biennium, & iterum antegreſſa „hyeme ex pleuritide ſatis periculoſa emer„ſerat, corripitur menſe Julio A. 1727. Fe„bri 3ana epidemica, quæ poſtquam cum ter„tia acceſſione in duplicem haud plane inter„mittentem degeneravit, & hæmoptyſin cum „tuſſi violenta comitem adſcivit, non tuto „permitti poſſe judicata, ſed cortice cum pa„paveris albi ſyrupo in bolos redacto ex „methodo profligata eſt. Nondum penitus „convaluerat æger, cum abire hinc, operiſ„que ad aquarum exundantium aggeres præ„eſſe juſſus fuit. . . Dimiſi illum ea lege, „ut præſertim ſub paludoſorum effluviorum „hauriendorum neceſſitate inſiſteret medelæ, „donec me de valetudinis ſtatu per literas „certiorem feciſſet, quod poſt paucos dies „facturum ſe eſſe recepit. Verum nihil de „ipſo comperi; donec ſequentis anni menſe „Januario epiſtolam accepi, qua egregie ſe „valere perſcripſit, & conſilium petiit, num „corticis uſui amplius inſiſtere deberet, cujus „quotidie quinquies ℥ß aſſumere nondum „intermiſerit; quia licet ſemper detentus „operis aquariis, alias ſanitati ſuæ moleſtiſ„ſimis, firmitatem in dies majorem valetudi„nis a multis annis debilioris perſentiſcat, „hæmorrhoidibus ſine moleſtia identidem ſub „medicatione promanantibus. Annum, & „diem datarum literarum male me intellexiſſe,

„&

„& forſan vetuſtiores alicubi neglectas jacuiſſe „putabam. Ubi autem veram rem eſſe, & magnam viri in remedium fiduciam reperi, quieſceret quidem alternis hebdomadibus ab „ejus uſu; ſed alternis idem ter adhuc repeteret, ſuaſi, appropinguante præſertim æquinoctio, quo hæmoptyſin alias pati conſuevit. Exinde vero . . . optime quidem & „longe melius; quam diu antea habuit, corporis etiam habitu vivido magis, & pinguiori facto."

c) *Febris intermittens* prægreſſa ut cauſa, laxitatem vaſorum hæmorrhoidalium poſt ſe relinquens, cui, neſcio, quid, febricoſi adhuc ſupereſt, ad quod abolendum Peruvianus cortex eſt efficaciſſimus. P. G. WERLHOF (*a*) „quibusdam hæmorrhoides cœcæ „(ait) cum teneſmo moleſto, & alvo adſtricta prodeunt; ſed tempore, & continuato „remedii (corticis Peruviani) uſu facile, & „certo evaneſcunt, adjectis, aut interpoſitis forte medicamentis ex nitro, aut quæ „virtute ſalina, amara, cathartica ejus naturam æmulantur, floribus item vel lacte ſulphuris, & ipſo millefolii decocto, & quod „ſingulariter vel ſolum profuiſſe ſcimus, duobus forſan ☿ii dulcis granis veſpertinæ „cuivis corticis doſi additis."

d)

(*a*) Ibidem S. 3. §. 6. p. 121. ſq.

d) *Periodicæ hæmorrhoides* cœcæ, earumve molimina; præsertim si ad febrium larvatarum censum pertinent. Atque hujus forte loci est observatio VANDERMONDII (*a*): non nemo laboravit a biennio cœcis hæmorrhoidibus externis, quovis mense ad catameniorum instar revertentibus. Consuluit Auctor Peruviani corticis usum, & Væ Snem cum exacta diæta ob plethoram; imo vivendi rationem prorsus mutandam suasit. His omnibus factis morbus desiit. Ambiguum tamen hic est, affatimne sumto cortici, vel diætæ frugali, multove motui curatio tribuenda sit?

e) *Ulcera* prava hæmorrhoidalia: usu enim corticis pus emendari, putredinemque corrigi neminem latet, & efficaciam illius hac in re sensit I. A. LEÜTHNERI (*b*) sexagenarius hypochondriacus sanguineus, sobrius, potu parcissimo usus, vitæ mobilis, & laboriosæ, qui nunquam hactenus morbum expertus a neglecta Væ Sne solenni incidit in hæmorrhoides cœcas inflammatas cum pertinacissima alvi, lotiique suppressione, solennibusque utrique symptomatibus. Enemata, eccoprotica, semicupia, & Væ Snes ubi alvum, lotium-

(*a*) Recueil. T. 6. p. m. 208.

(*b*) Praktische Heilungs - Versuche der Milzdünste 1. Th. 2. Abschn. Nro. 4. §. 39. p. 78. sqq.

lotiumque ſenſim ad priſtinam libertatem revocaſſent, interea ani quoque inflammatio in abſceſſum abiit, ex quo ſponte rupto incredibilis vis ichoris nigri fœtentiſſimi erupit. Pluribus ejus cavis ſectionis ope in unum redactis datus interne cortex peruvianus, & ptiſana ſanguinem depurans, interpolataque eccoprotica, diæta ſimul vegetabili imperata. Ichor ocyſſime in pus bonum verſus, & æger ſenſim plane convaluit.

f) *Gangræna* hæmorrhoidibus inflammatis superveniens. I. A. BRAMBILLA (*a*) meminit virginis 28 annos natæ, & ob copioſum ſputum pro phthiſica habitæ, cui circumcirca hæmorrhoides tumuere ſtrangulatæ adeo, ut intra paucos dies gangræna ſupervenerit. Factæ ergo inciſiones, & deligatio ope unguenti digeſtivi, ac baſilic. æquis partibus mixti; interne datus cortex Peruvianus. Ab his gangræna ſubſtitit, mortuoque a vivo paucos intra dies abſcedente ægra ſpatio 3 hebdomadum prorſus eſt perſanata.

SECTIO

(*a*) Von der Phlegmone 2. Th. 6. Cap. 4. Beobacht. p. m. 185. ſq.

SECTIO II.

CHIRURGIA.

CAPUT I.

SANGUINIS MISSIO.

§. LXXXXVII.

I. SANGUINIS *miſſio* in hæmorrhoidalibus affectionibus omnium fere præſidiorum eſt princeps, ſeu effectum ſpectes, quem præſtat rite adminiſtrata, ſeu frequentiam, qua indicatur. Interea multi omnino abuſus in mittendo hæmorrhoidariis ſanguine committi ſolent, quos LUDWIGIUS aurea prorſus diſſertatione (*a*) complexus eſt, usque adeo, ut nullo perinde in remedio, atque in hocce,

(*a*) Diſſ. cit.

hocce, peccetur, seu tempora sanguinem demendi spectes, seu vasa, &c. Multis profecto hæmorrhoidariis unica sæpe sanguinis missio perperam instituta magno stetit. Ne proinde hic tiro tam facile aberret, certis opus est regulis, juxta quas missionem sanguinis vel præcipiat, vel vetet.

§. LXXXVIII.

A. *Indicant* generatim sanguinis missionem

a) *Prophylaxis* morbi, præsertim ad prævertenda ejus molimina, vel suppressionem fluxus a plethora. Usu obtinuit, ut prophylacticæ id genus sanguinis missiones vel maxime circa solstitia, & æquinoctia instituantur; quippe queis temporibus vulgo hæmorrhoidales turbæ alioquin ingruere solent, ni misso ante sanguine antevertantur.

a) *Therapia* præsentis jam hæmorrhoidalis affectionis variis in casibus missionem sanguinis exposcit, quorum præcipui sunt:

§. LXXXIX.

1. *Plethora* tam universalis; quam topica, præsertim ea, quam sanguis hæmorrhoidalis ab ano ad alias partes organicas (v. g. vesicam, pulmones, caput, &c.) regurgitans ibidem producit, earumque functiones ob infarctum vasorum lædit. Universalis

plethora

plethora hæmorrhoides & producere poteſt nunquam ante toleratas, & easdem, ſi jam adfuere, anomalas reddere valet, dum nempe fluxum earum vel nimium efficit, vel etiam ſupprimit, dum ſanguine multo, mora viscidiori facto, vaſa usque adeo dilatantur; ut eidem propellendo, & excernendo evadant imparia: hinc ſanguinis miſſio in plethoricis, hæmorrhoidas nondum expertis, hasce prævertit; in iis vero, quibus rite, & cum euphoria diutius jam fluxere, cavet, ne fluxus vel ſupprimatur, vel nimius evadat. Sic „viri „meminimus, inquit G. E. STAHLIUS (*a*), „qui in 75 usque annum, & hæmorrhoidali „ſtato menſtruo plus minus fluxu, & bis in „ſingulos annos (vere nempe, & autumno) „admiſſis Væ Sbus ita ſanus vixit, ut a 44 „circiter anno, quo hæmorrhoides procedere „cœperunt, usque ad hanc ætatem nullo „morbo laboraverit; nullo interim reliquo „robore corporis conſpicuus; ſed valde me„diocris ſtaturæ in omnem dimenſionem, nec „etiam re ipſa ad paulo notabiliores diætæ „errores memorabili ſenſibilitate deſtitutus. „Cum autem dicto ætatis anno e ſiniſtra Væ „Snis operatione periculoſa brachii inflam„matione contracta deterritus poſtea eſſet ab „uſitata repetitione, cœpit tunc demum mani„feſtius

(*a*) Diſſ. de ſenum affectibus (4to Halæ 1710. Reſp. I. C. MICHAELIS) §. 38. p. 28.

„festius incommode habere, & successive per
„3 annos languescere: donec tandem sub finem
„78 anni ætatis ceu marasmo quodam decess-
„sit.“ Similem quoque casum suppeditat a BAIERO communicatum G. E. SCHMID (*a*):
„Parochus septuagenario major, hæmorrhoi-
„dum fluxu jam antea tentatus, eodem non
„rite succedente dolorem coxæ vehementem,
„ac diuturnum perpessus, inde per sanguinis
„missionem in pede lateris affecti, & medi-
„camenta congrua liberatus, redeunte incer-
„tis quidem intervallis profluvio isto se bene
„habuit per aliquot annos, repetitis circa æ-
„quinoctia phlebotomiis, & purgationibus.
„Cum vero ante biennium in autumno san-
„guinem mittere vano senectutis metu ne-
„glexisset, circa brumam subito apoplexia,
„& dextri lateris paralysi correptus est. In
„auxilium vocatus ego statim e brachio sini-
„stro mittendum sanguinem institui; sed prop-
„ter ipsius crassitudinem vix paucæ effluxe-
„runt guttæ: manum igitur aquæ præcalidæ,
„& quam æger, si sensum habuisset, difficul-
„ter omnino tolerasset, imponendam curavi,
„unde incisa vena salvatella sanguis quidem
„liberaliter prodiit; sed adeo spissus, ut in-
„ter effluendum in ipsa aqua tam calida, sta-
„tim coagularetur spermatis ranarum instar,
„& tenaciter concretus in altum attrahi po-
„tuerit.

(*a* Diss. cit. §. 32. p. 27.

„tuerit. Servatus tamen, & ſuperſtes adhuc „eſt, nulloque reſolutionis membrorum ve„ſtigio relicto fungitur ſuo munere jam ſex „ſupra 70 annos natus. Nuper autem in hæ„morrhoidum vicem ſuperveniente mictu cru„ento laborare cœpit, quem applicatis ad „anum hirudinibus, et interna medicina ſuf„flaminari, aut certe imminui poſſe non ina„nis hactenus ſpes fuit.“

α.) *Sanguinis vacuationes* ſolennes neglectæ, ut Væ Ses, ſcarificationes, &c., a queis hæmorrhoidales affectiones vel inducuntur, vel exaſperantur (a): proinde mox, ut iſthæc percipiuntur, illæ denuo ſunt inſtituendæ. Perinde

β) *Hæmorrhagiæ* naturales (ut menſes, lochia,) juſto parciores, vel ſubſiſtentes cum manifeſtis plethoræ hæmorrhoidas molientis, vel exaſperantis indiciis miſſionem ſanguinis expoſcunt; alioquin vero prudentia opus eſt in ſanguine demendo: enimvero „in pletho„ricis ſanguineis, inquit LUDWIGIUS (*b*), „catamenia raro largiter fluunt, & tum niſus „hæmorrhoidales immiſcentur. In his inter„dum ſanguinis miſſione tempeſtive admiſſa „cata-

---

(*a*) Vide §. 29. *a*)

(*b*) Diſſ. cit. p. 417.

„catameniorum fluxus liberior redditur, & „molimina, quæ aderant, hæmorrhoidalia sup„primuntur. Sed cum in feminis crebrior „plethora a debilitate solidorum oriunda; „quam vera sanguinea animadvertitur, judi„cium medici difficile redditur. Phlogoses in „feminis crebrius excitatæ, & cephalalgiæ „cum his conjunctæ sæpe magis impedimenta „liberæ circulationis; quam copiam sangui„nis produnt, & indignatio, vel ira transi„toria, haustus vini, vel aliæ leviores causæ „vix nocerent; nisi humorum movendorum „inertia, ut causa prædisponens, habitualia „hæc incommoda redderet. Væ So prophy„lactica speciosum auxilium affert; attamen „transitorium; cum enim subsidia cruoris recte „densandi, & ad elaborationes reliquorum „humorum adaptandi deficiant, tenuitas san„guinis oritur, quæ per Væ Ses crebriores „fovetur": unde hæ interatæ plus obsunt; potiusque tunc sedentaria vita in activam mutanda indicatur. Dum vero per ætatem cessantibus catameniis in sanis feminis (*a*) „plethoræ signa apparent, Væ So prophyla„ctica una, vel altera per annum, imo 3tia & „4ta ex symptomatibus obortis urgentur. Sed „in iis etiam feminis, quæ evidentia plethoræ „signa non monstrant, subita catameniorum „cessatio

(*a*) Ibidem p. 418. sq.

„cessatio postulat, ut si gravia contraindican-
„tia non obveniant, Væ So prophylactica in-
„stituatur. Hoc eo magis necessarium est;
„quo evidentius molimina hæmorrhoidalia
„sentiuntur. Etsi enim hac in re medicus
„non ad plethoram solam; sed etiam ad hu-
„morum dyscrasiam hæmorrhoides efficientem
„respicere debet, quo eandem aptis remediis
„corrigat; nequaquam tamen noxium fuerit,
„convenientem sanguinis copiam subducere,
„quæ & dyscrasiæ corrigendæ favet, & irre-
„gulares sanguinis motus dirigit.“ Quod si vero a catameniis non tam per ætatem desinentibus; quam aliunde cohibitis hæmorrhoides oriantur, neque illorum fluxum revocare propter varia adjuncta (v. g. graviditatem præsentem) liceat, plethora Væ Se est minuenda, quoad edito partu catamenia fuerint reversa. „Si vero post puerperium demum,
„lochiis etiam recte fluentibus, molimina hæ-
„morrhoidalia urgent, tunc quidem alia au-
„xilia correctionis, & liberioris circuli hu-
„morum negligenda non sunt; quamquam Væ
„So ut præcipuum ex his quoque suadenda
„sit“ (*a*). Porro etiam sanguinis missionem indicant.

§. C.

(*a*) Ibidem p. 419. sq.

§. C.

2. *Molimina hæmorrhoidalia* graviora, quæ ut plurimum plethoræ vel universali, vel topicæ debentur; licet non semper causæ illius manifestæ præcesserint. Quantum in his missio sanguinis valeat, docet F. HOFFMANNI (*a*) vir 30 annis major, sanguineus, & spongiosi habitus, ante semestre incipientes hæmorrhoides nactus. Hic lautæ, vinosæque diætæ indulgens, incidit demum in diros lumborum, & abdominis dolores cum pressione ad præcordia, anorexia, cephalalgia, tremore manuum, extremorum frigore, & alvo adstricta, colorisque faciei rosei in flavum, ac lividum mutatione. Aliis calculum, cachexiam, & hepatis obstructionem; vel malum hypochondriacum aliis diu, & nec quicquam, excepto aliquo levamine, curantibus, dum morbus abhinc semper circa æquinoctia rediret atrocior, nec hactenus vena ægro fuisset secta; prudentior tandem postremus medicus imperat usum carolinarum aquarum & quatuor quotannis in pede Væ Sectiones; unde æger diu a vehementia mali evasit immunis. „Ecquis est (subdit Auctor), qui re bene „considerata addubitare velit, immanes hos, „qui

(*a*) Diss. de imprudenti medicatione multorum morborum, & mortis causa §. 6. opp. T. 6. p. 297.

„qui præcordialem, & abdominis regionem „fatigarunt, ſpasmoſa plethora, & ſanguine „in viſceribus, & plexibus meſeraicis ſtagnan„te, qui per ſedis venas moliebatur exitum, „ſubortos fuiſſe, quos utique & matura, & „crebrior Væ So potuiſſet avertere". Plura huc facientia exempla paſſim (*a*) deinceps occurrent.

§. CI.

3. *Cœcæ hæmorrhoides* dolentes, & recentes, quæ tempeſtiva ſanguinis miſſione ſæpe celerrime abiguntur. I. WEISZII (*b*) „mercator ſucculentus de vertigine, ſpinæ „dorſi, & lumborum dolore, ardore tubercu„lorum hæmorrhoidalium lamentabatur; aver„ſatur ſanguiſugas: alvus obſtructa eſt, Væ „ſectio, & manna cum pulpis in ſero lactis „acido diſſoluta cum nitro medelam attulere." Quod ſi vero tubercula vetuſta jam ſint, nec niſi quandoque ex infarctu vaſorum doleant; tunc topica ſanguinis miſſione potius opus eſt vel per hirudines, vel per inciſionem; qua de re ſuis inferius (*c*) locis dicetur.

§. CII.

(*a*) Vide §. 109. a) b) c). §. 115. Nro 1.

(*b*) Pyretol. pract. continuat. 1. C. 1. §. 1. p. 20.

(*c*) Vide §. 113. 115. 117.

§. CII.

4. *Inflammatio* earundem; hujus enim præcipuum eſt ſanguinis miſſio præſidium. Hæc vero in exigua etiam ani parte inflammata negligenda non eſt; ſiquidem LUDVIGIO (*a*) monente, & facile augetur, & in abſceſſum abit.

§. CIII.

5. *Solventium uſus*, præprimis aquarum Soteriarum, dum hæmorrhoidalis diſpoſitio diſſipari debet. Nam „cum non raro accidat, „inquit LUDWIG (*b*), ut ſub hac ipſa meden„di methodo hæmorrhoides fluentes appare„ant, rariſſime tamen ea conſtantia, ex qua „verum commodum percipiat æger; id con„ſultius ſemper habui, ut poſt reſolventium „priorum uſum cum fructu adhibitum ſangui„nis miſſio inſtitueretur. Hanc ſæpenumero „poſtulat plethora, quæ in hac medendi ra„tione pulſu pleniore cognoscitur; nam & per „Væ Snem ſanguinis circulo liberiori red„dito, ▽æ medicatæ reliqua impedimenta „ex lentore ſanguinis nata diſſipant".

§. CIV.

(*a*) L. c. p. 403.

(*b*) Ibidem p. 398.

§. CIV.

6. *Suppressæ hæmorrhoides* cum functionum læsione, a sanguine hæmorrhoidali aliorsum regurgitante, plethoramque cum universalem, tum topicam, & sanguinis lentorem causante. Sanguinis enim tunc missio hæmorrhoidum fluxum vel revocat, vel certe compensat. Interea ubi innocue fluxus hic conquievit, nihil omnino est moliendum; imo nec semper, ubi leviora incommoda fluxum suppressum excipiunt, sanguinis missione sunt oppugnanda; nam „si in homine, „inquit LUDWIG (*a*), cui hæmorrhoides an-„tea, & satis regulariter fluebant, fluxus „substitit causa vel cognita, vel obscura; „medicus signa omnia cum cessante fluxu ap-„parentia attente observet. Nam cum tensio „abdominis, alvus sicca, & sæpe tarda, pon-„deris sensus ad os sacrum, pruritus ad „anum, phlogoses, interdum etiam tene-„smus, & micturitio adsunt, tunc motu cor-„poris moderato, tenui victu, potu suffici-„ente magis aquoso; quam fermentato im-„petus nimii moderandi sunt, & alvi interea „libertas per mannata, salina, & alia leniora „purgantia medicamenta, clysmatibus inter-„dum interpositis, servetur. Impeditur qui-„dem interdum hac medendi ratione regressus „hæ-

(*a*) Ibidem p. 409.

„hæmorrhoidum, conſtante tamen ſanitate. „Ubi autem affectus capitis, inprimis cepha- „lalgia, & vertigo ſymptomatibus nunc com- „memoratis ſe junxerunt; tunc ſanguinis miſ- „ſio omnino inſtituenda eſt... Viro ex ebrie- „tate cum Summa iracundia hæmorrhoides „ſupprimebantur, qui inde adeo furibundus „factus eſt, ut fasciis ad lectulum adſtringe- „retur. Non potuimus alio in loco; quam „in talo venam incidere, ſanguinemque co- „pioſum emittere: languidus tunc æger poſt „aliquot horas mentis iterum compos fiebat, „& cum hæmorrhoidalis fluxus denuo appa- „reret; poſt aliquot hebdomadas iterum ſa- „nus factus eſt. Attamen & hic ex fluxu „hæmorrhoidali parum ſolatii accepit; nam „cum diætam nunquam ſervaret, 36. ætatis „anno cachecticus, & tabidus obiit." Effi- cax perinde fuit Væ So in C. F. SCHWERTT- NERI (*a*) patre 74 annum agente, euſarco., ſat vegeto, ſumme plethorico, & ab adole- ſcentia annuæ Væ Sni aſſueto, atque per plu- res annos hæmorrhoidum fluxum paſſo, quo ſubſiſtente vires ſenis ſummopere proſterne- bantur, musculis colli, ac cervicis usque adeo flaccescentibus, ut totum caput antror- ſum nutaret, cervixque magnopere doleret. Fruſtra variis topicis nervinis collo admotis, hæmorrhagia narium, at parca, ſuperveniens mitten-

(*a*) Commerc. Nor. T. 5. A. 1735. hebd. 35. Nro. 2. p. 274.

mittendi ſanguinis neceſſitatem oſtendit. Secta itaque vena paucis poſt diebus hæmorrhoidum fluxus rediit, viresque ſenſim increvere, ac cervicis dolor deſiit, ſuperſtite tantum capitis antrorſum nutatione. Quin imo in læſis a ſuppreſſo hæmorrhoidum fluxu functionibus encephali quandoque non mediocris, & iteratis etiam vicibus copia ſanguinis eſt demenda, cujus rei inſignem caſum S. A. TISSOTUS (*a*) memoriæ prodidit, nimirum: forti robuſtoque viro 53 annorum ad 30 usque annum inſignes hæmorrhagias, & abhinc hæmorrhoidum fluxum paſſo, ex abuſu demum ſpirituoſorum cum fatigiis, vigiliis, ac triennii moleſtiis animi fluxus hæmorrhoidum prorſus ſubſtitit, quem anno poſt ſubita, vehemensque vertigo excepit. Væ ſectio facta cum levamine; ſed poſt trimeſtre gravior vertigo rediit cum difficili loquela, & inſigni crurum imbecillitate. A ſanguine tantum parce dempto, exhibitoque emetico æger aliquot dies languebat cum dyſorexia, magnaque ſiti: unde ſola aqua alebat ſeſe non ſine levamine. Catharticum datum haud magno effectu. Convalescens demum æger uno, alterove dein menſe mitius habuit; aſſidua nihilominus vexatus cephalalgia, parumque dormiens nulli negotio diu vacare potuit. Poſt 10 ab ultima

---

(*a*) Abhandl. von den Nerven u. ihren Krankh. 4. Band. p. m. 180. ſqq.

tima invasione hebdomadas vertigo rediit multo vehementior comite lævi brachii paralysi. Larga Væ So malum utrumque sustulit, superstite cephalæa. Invalescente interea mœstitia æger liberalius vino indulsit; unde crescentibus cephalæa, & vigiliis vertigo fere assidua evasit. Adhibita salia volatilia, medicamenta spirituosa, similesque fotus capitis, ac dorsi, & vesicantia. Interea spatio 6 hebdomadum quinquies insignes convulsiones in brachio est expertus, & post bihorii decubitum magna cum inquietudine toto corpore convellebatur, citra ensuum tamen abolitionem. Loquela 12 dies mansit perquam impedita, mœstitiaque ad amentiam pene increvit, non sine memoriæ etiam labe, ut æger nil amplius tractare posset. Severa autem diæta, & copiosæ catharses cephalæam mitigarunt, memoriamque repararunt. Sed ex multo *TRæ* succini usu denuo ter totius corporis convulsiones, & brachii lævi paralysis reverterunt, tristitia usque ad apathiam increscente. Tum tandem TISSOTUS consultus, imperato vegetabili victu cum aquæ potu præbuit omni mane seri lactis colati ℥xxx cum ⊖ Sedlicensis ʒj. Væ Sum prima facta ad ℥x, altera post 8 dies ad ℥viij, & reliquo trimestri 14. quoque die sanguinis ℥viij detractæ. Postridie cujusvis Væ Snis catharticum datum. Omnia alia remedia interdicta, post 3 menses vertigo cum convulsionibus ex toto desiit; cephalæa nec jam assidua, nec intolerabilis, somnus horarum aliquot, tri-

stitia

ſtitia multo minor, memoria vigebat, viresque in dies ſuccreſcebant, excepto brachio paralytico, in quo robur lente renaſcebatur. Continuata diæta cum ſero lactis, & iteratis 6. quaque hebdomade Væ Sne cum catharſi æger poſt 4 menſes omnis morbi evaſit expers, niſi quod cephalæa interdum recurrerit, & parum quid ſtuporis in brachio ſuperfuerit. Priſtinæ abhinc diætæ æger porro inſiſtens recuperavit conſtantem ſanitatem. Huic ergo cum ſingulares Væ Snes nil opis tuliſſent, ſæpius certis ex intervallis iteratæ profuere.

§. CV.

7. *Hæmorrhagiæ*, hæmorrhoidum vicariæ, quas vel ſuppreſſæ hæmorrhoides, vel anomala earum molimina producunt, ut: hæmoptoe, vomitus; mictusve cruentus &c. unica ſæpe idoneo loco inſtituta miſſione ſanguinis cohibentur, hæmorrhoidaliſque inſuper fluxus non raro revocatur. Unica ſane Væ So in ZETTERMANNI (*a*) medico utrumque præſtitit, I. STORCH (*b*) viri meminit, 40 annorum, ſanguinei, & perquam plethorici, qui multas narium hæmorrhagias juvenis paſſus, poſtea durum abdominis tumorem (ob

---

(*a*) Vide §. 108. b)

(*b*) Obſ. Clinic. ann. 4. Feb. d. 4. §. 1. Nro. 12. p. 119.

(ob quem ſubinde multis hebdomadis domi ſe tenebat) nactus, exeunte anno 1725 in ſtymatoſin incidit, ſanguine puro ſine urina ex pene profluente. Illa cohibita Februario A. 1726 cœpit notabilem ſanguinis copiam citra peculiarem dolorem exſcreare. Cum autem ſimul interdum pruriret velut ex hæmorrhoidum niſu anus, auctor phlebotomiam in pede, tum catharticum, demum hirudines ad anum conſuluit; ſed ſola Væ So pedis ſcreatum ſanguinis ita minuit, ut hirudinibus haud opus fuerit.

§. CVI.

8. *Fluxus immodicus hæmorrhoidum* utrum ſanguinis miſſionem expoſcat, haud perinde inter omnes Practicos convenit; ſunt enim, qui illam ſcopo vel revellendi, vel plethoram minuendi (quamdiu vires, & alia indicia ſinunt) neceſſariam eſſe velint; alii vero nihil utrique horum deferunt; alii denique media incedunt via. Non multum ſane revulſoriæ, & derivatoriæ Væ Sni fidendum eſſe M. ALBERTI (*a*) monuit „quando „(inquiens) hæmorrhoides modo prodige „profuſæ fuerunt, vires magis deſtruit, at„que enervat, & ita æquivoce ſubvenit, „dum artifex de indubia efficacia non ſatis „certus eſt; de eo vero majorem certitudinem „habet,

(*a*) L. c. §. 23. p. 209.

„habet, quod ſi poſt uſum Væ Snis hæmo-
„rrhoides non ſubſiſtunt, tunc ob majorem
„penuriam ſanguinis periculoſiores effectus
„inſequantur. Neque etiam maturius venam
„ſecare convenit; quia artifex non certus eſt,
„an hæmorrhoides in exceſſum delabantur,
„& an non proficiat: quo interdum paulo
„largius hæmorrhoides ſuccedant. Quodſi
„itaque nulla neceſſitate urgente talis artifi-
„cialis ſanguinis ſubtractio inſtituatur eo qui-
„dem tempore, quando hæmorrhoides fluunt,
„tunc liberiori earundem ſucceſſui non exigua
„perturbatio inducitur . . . ſiquidem (*a*) fa-
„cile contingit, ut poſt Væ Snis uſum in
„brachio, motus in ſuperiores regiones re-
„dundent, etſi hæmorrhoides ſubſiſtunt, vel
„actualis vomitus cruentus, vel molimina eo
„ſpectantia, aut motus hæmoptoici, vel pa-
„themata cardialgica, aſthmatica, hepatica,
„ſplenetica, &c. inſequantur." Nonnul-
lis iſthæc exemplis alibi (*b*) dandis eva-
dent luculentiora. Quantum autem ad ple-
thoram: „in iis tantum, inquit LUDWIG (*c*),
„ſanguinis miſſiones fluxus hæmorrhoidales
„immoderatos cohibent, in quibus magis ex
„plethora ſanguinea; quam ex dyſcraſia ſan-
„guinis

(*a*) Ibidem §. 25. p. 211. ſq.

(*b*) Vide §. 54. Nro. 8. d).

(*c*) L. c. p. 413. ſq.

„guinis oritur. Cum vero in hæmorrhoida„riis magis ad dyſcraſiam humorum; quam ad „abundantiam ſanguinis reſpiciendum ſit, fa„cile patet, Væ Snem minus tutum in iis eſſe „auxilium.“ Nam ſi non tam e plethora; quam potius ex tenui, acrique ſanguine immodicus accidat fluxus, Væ So etſi forte pro tempore illum cohibuerit (quod ipſe etiam fluxus ſibi relictus efficit, ut poſt determinatam ſanguinis copiam elapſam conquieſcat), ſanguinis tamen tenuitatem, & acrimoniam augendo etiam diſpoſitionem ad fluxum immodicum augebit, ſicque plus oberit; quam pro brevi tempore profuerat. Interea tamen haud tam rarus eſt ex plethora vera immodicus hæmorrhoidum fluxus, ac quidem LUDWIG nobis perſuadet; ſi quidem illam ſæpenumero & neglectæ, ſolennes alias, ſanguinis miſſiones, & catamenia, lochiave ſuppreſſa, & ipſe quoque interdum diutius reſtitans hæmorrhoidalis fluxus habitualis, &c. progignant: hinc recte F. HOFFMANNUS (*a*) „non adeo inſo„lens eſt (ait) ut in corpore plethorico, re„ſtitante aliquamdiu ſueto alias fluxu, a ve„hementiori corporis, vel etiam animi com„motione, a potu ſpirituoſo liberalius aſſum„to, balneo nimis calido, aut medicamento „inteſtinum ſanguinis motum nimium inten„dente

(*a*) Med. rat. Syſt. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. curat. §. 1.

„dente non modo ſubito, & confertim fiat; „ſed & ſolito diutius inſiſtat ſanguinis cum „pulſu magno, & vehementi per hæmorrhoi„des profuſio. Quod ubi accidit, primo „omnium divertendus, ac derivandus ſangui„nis impetus, eumque in finem ſanguinis „miſſio in brachio, vel brachiorum in liquo„rem aquoſo-vinoſum tepidum immiſſio ap„prime ex uſu eſt.“ &c. Pulchre his dictis congruit L. RIVERII (*a*) obſervatio de nimio hæmorrhoidum a deficientibus per aliquot jam annos catameniis fluxu identidem revertente, nullisque aliis præſidiis; quam phlebotomia brachii avertendo. Nimirum Aprili Anni 1651 matrona 40 annorum deficientibus ab aliquot annis catameniis incidit in immodicas hæmorrhoides nullis remediis per 8 menſes cohibendas: unde cachexia hydropem minitans, ſumma debilitas & icterus enatus. Cum nulla jam ferret remedia, & eccoprotica quoque fluxum proritarent, conſultus demum Auctor potionem 4 continuis diebus uſurpandam præſcripſit.

℞. Tamarindor. ℥ß.
Fol. plantag. M. j.
Myrobal. citr. ʒj. Coqv. ad ℥vj. In colatura infunde
Rhabarb. elect. ʒj.

Spicæ

(*a*) Obſ. med. Cent. 4. Obſ. 64.

Spicæ nardi ℈ß. Expreſſione facta diſ-
ſolve
Syr. roſac. ℥j.
☿ rhei ℈j. F. potio.

Cujus a prima doſi licet quinquies dejecerit; fluxus tamen ſanguinis conquievit, & idem a reliquis evenit doſibus. Tum in 12 dies datus julepus e decocto rad. pentaph., & torment. fol. plantag., pimpin., & millefol. cum ⊖e prunellæ, ac ſyrupo granator. paratus, interpoſitis 5. quoque die catharticis. Toto hoc tempore hæmorrhois non fluxit. Ne autem contumax fluxus diutinus, revertique ſolitus porro rediret, in multos abhinc dies datus ⊖. ♂. a gr. vj. ad viij, & 5. quoque die potio dicta purgans. Per 5 ſeptimanas ab horum uſu fluxus non revertit; his autem lapſis denuo ægra ſub quavis alvina dejectione puriſſimi ſanguinis copiam egerebat. Poſtridie ergo denuo data potio purgans, a qua ter, vel quater dejecit ſine ulla ſanguinis egeſtione. Altero a catharſi die imperatum balneum ex hordeo, plantag., polygono, ſummitat. rubi, & roſis rubris biduo uſurpandum. Deinceps eadem remedia toto menſe data. Vires ab his in dies crevere, vividus redibat faciei color, ac tandem priſtina ſucceſſit ſanitas. Circa finem tamen ejusdem menſis calor in hypochondriis, & ſomni tempore inquietudines obortæ. Hæc a copia ſanguinis renati & ſurſum regurgitantis (qui per anum prius, & multo

ante

ante per uteri vasa effluere consuevit) enasci liquebat: instituta ergo phlebotomia brachii; quo facto dicta symptomata sublata sunt.

§. CVII.

B. *Selectus vasorum* in sanguinis missione, ubi indicatur, utiliter, ac citra noxam instituenda proximam sibi ab indicatione curam vindicat; quippe quo spreto haud raro in gravissimum discrimen, aut vitæ, aut sanitatis certe ægri conjiciantur. Ab experientia enim certum est, sanguinem ex hydrostatices legibus semper versus venæ vulnus (ubi minor est resistentia) concitatius ferri. Porro & illud experiundo didicimus, hæmorrhoidalem sanguinem, si per ani vasa erumpere nequeat, ab iis refluentem, vel ad vesicam urinariam, vel ad superiora viscera regurgitare non sine functionum hisce in partibus læsione. Eapropter hæmorrhoidalis sanguis eo promtius ad superiora verget; si brachii, vel alia ano altior fuerit pertusa; nisi forte vel nisus sanguinis hæmorrhoidalis deorsum major sit nisu versus venæ vulnus, vel idiosyncrasia corporis contrarium efficiat. In delectu ergo sanguinis mittendi quoad vasa generalis esto canon: *quoties hæmorrhoidales nisus vel abolendi sunt citra sanguinis ad superiora regurgitationem, vel ad fluxum* (quem forte vel nimia vasorum distentio, vel spasmi partium morantur) *perducendi, vel fluxus suppressus revocandus,*

missio

missio sanguinis ex ano, vel e vasis infra hunc sitis facienda est: contra ea, ubi praesens vel indubie instans hæmorrhoidum fluxus est cohibendus, sanguinem e vasis supra anum remotioribus demere oportet. Nonnullis tamen canon hic non tanti esse visus est, ut religiosam illius habendam esse censerent rationem, quos inter etiam LUDWIG (*a*) „mihi . . . rebus omnibus rite perpensis videtur (ait) Væ So omnis depletoria, dummodo sufficientem sanguinis copiam subducat, optima esse; cum selectus venæ non „sine ratione suasus interdum in incidenda „vena fieri nequeat." Hac in sententia eo etiam confirmabatur magis, postquam Væ Sne „in hæmorrhoidibus non rite fluentibus quocunque demum loco, vel qua copia illa instituatur, fluxum brevi restitutum cognovit" (*b*). Sed pace cl. viri dicere licet, paucos admodum, & idiosyncrasiæ potius tribuendos esse id genus casus, quibus communis, & constans alioquin reclamat experientia, quæ paulo ante datum canonem longe esse verissimum confirmat. Hinc

§. CVIII.

(*a*) L. c. p. 410.

(*b*) Ibidem p. 412.

§. CVIII.

1. *Brachii* e venis demendum ſanguinem eſſe inprimis indicant ſequentia:

a) *Fluxus nimius* hæmorrhoidalis a plethora totius vel partis obortus; hac enim ratione non modo ſanguinis boni copia, ſeu plethora totius corporis minuitur; verum etiam niſus ſanguinis in vaſa ani (ut paulo ante vidimus) contrario inducto motu regurgitatorio ſurſum infringitur, & eliditur, ſicque topica inteſtini recti, vel & veſicæ urinariæ plethora imminuitur. Unde M. ALBERTI (*a*): „Væ „So in brachio motibus hæmorrhoidalibus „ſublevandis, & ordinandis haud conducit: „quare ad hæmorrhoides cœcas, & excedentes revellendas Væ Snem in brachio vulgo „ordinant.“ Plura hanc in rem deinceps & teſtimonia, & exempla (*b*) occurrent. Cum autem, ut alibi (*c*) dictum fuit, haud ſempertutum ſit id genus in caſibus niſum illum regurgitationis ad ſuperiora ſimul, ac ſemel uno veluti momento inducere, cautela G. F. LAURENTII (*d*) hac in re data non videtur aſper-

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoid. ſalubri, & inſalubri promotione §. 9. p. 26.

(*b*) Vide ſeq. c) & confer. §. 54. N. 8. d).

(*c*) Vide §. 54. N. 8. d).

(*d*) In notis Hippocraticis, not. omiſſor. 10.

aſpernanda, ut videlicet phlebotomia id temporis non fiat magna in vena, amplo vulnere, & uberi copia, ſed e venula exili, parcaque copia, & iteratis potius vicibus inſtituenda. Sic enim ille: „ad hæmorrhoidum „diuturnum, & nimium fluxum nihil tutius, „quam uti lenibus, temperatis evacuationi„bus, & revulſionibus moderatis; & iteratis „admodum juſto, & debito tempore per Væ „Sem inſtitutis, non neglectis hepar alteran„tibus, & roborantibus: ut ego obſervavi „talia profuiſſe in me ipſo, qui per 10 men„ſes ſingulis diebus, & noctibus fui hæmo„rrhoidum nimio fluxu vexatus. Hæmorrhoi„des enim diuturnæ, & nimiæ Væ Snem per „revulſionem inſtituendam indicant, urgent„que. Proinde aperienda vena 1.) minor, „quæ minore diſpendio ſanguinem ſpiritus, „& vires exhaurit; 2.) remotior, ut in ma„jore diſtantia revulſio fiat. Eligenda igitur „in manu dextra Salvatella, quæ urgente fluxu „repetenda, admoto digito per intervalla „ſub fluore ſanguinis. Lenes autem, & tem„peratæ evacuationes conſtabant ex ſyrupo de „roſis ſiccis ad ℥ij. pro doſi, ſicut hepar con„temperantia, & roborantia ex conſerva ra„dicum cichorii, ſpeciebus diamargar. frig., „diatragac. frig., item diarrhodonis Abbatis „cum nitri ppt. modico, & aliis hæmorrhoi„dum fluxui dicatis, quorum uſu . . . evaſi.“ Interea, qui venarum delectui hic nihil tribuunt, poſſent non abs re in contrarium ad-

 ferre

ferre I. C. GOETZII (*a*) obſervationem; ille enim „novit . . . Principem . . . qui . . . „hæmorrhoidibus ſtato tempore fluentibus cum „euphoria hactenus gaudet. Huic ſi in vere „(ut aſſuevit) brachii vena tundatur, mox poſt „Væ Snem hæmorrhoides erumpunt, & ſalu-„tariter ad aliquot dies fluunt.“ Perinde etiam LUDWIG (*b*) „novit virum arthritide „affectum, qui affirmaret, ſe ſcarificatione „omni menſe in novilunio inſtituta, & ar-„thritidem arcere, & blandum ſemper hæmo-„rrhoidum progreſſum ſibi conciliare. Quan-„quam vero hanc ejus ſpem per aliquot annos „certo expletam cognovi; tamen paulo poſt „inordinatis inſultibus arthriticis, & hæmo-„rrhoidibus cum magno vitæ incommodo va-„riantibus ita vexatus eſt, ut tandem ante „60 annum moreretur, quamvis ſummum ſe-„nectutis faſtigium ex hac re vellet attingere.“ Ex binis his caſibus abunde liquere credi poſ-ſet, niſum illum regurgitationis ad ſuperiora per ſanguinis miſſionem e vaſis ano altioribus haudquaquam progigni; quandoquidem utro-que hocce in caſu hæmorrhoidum fluxus po-tius; quam regurgitatio acciderit, ac proinde in minuendo, cohibendove nimio hæmorrhoi-dum fluxu brachii Væ Sni præ quavis alia non plus eſſe deferendum; cum copiam tan-

tum

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 2. Obſ. 185.

(*b*) L. c. p. 411.

tum sanguinis minuat. Verum enim vero jam superius monui, paucos admodum esse hujusmodi casus, & indubie idiosyncrasiæ peculiari tribuendos; siquidem infinities plures sint, qui contrarium evincunt. Unus instar omnium esto, quem F. HOFFNANNUS (*a*) refert: vidua 49 annorum, sanguineo-cholerica, spongiosa, mobili animo, post sanissimum cœlibatum nupta, etiam quinquies mater, nullo gravi tentata morbo, ut & crebris curis, & mœrori obnoxia, 40 annos nata ex vehementi terrore subito menses amisit. Neglecta re horrenda cephalalgia, vertigo, & insultus apoplectici sunt oborti; sed ab larga vulneris in fronte supra lævam orbitam e gravi lapsu accepti, hæmorrhagia protinus omnia evanuere. Abhinc Væ Snes fieri cœptæ, sed inordinatæ, & modo binæ uno anno, modo nulla per biennium. Lapso a mensium suppressione biennio hæmorrhois fluere cœpit, idque plures in annos statis temporibus cum insigni levamine, donec ultima æstate ob neglectum sub fluxu regimen substitisset. Nati hinc spasmodici dorsi, & intestinorum dolores. Ab usu antispasmodicorum, nitrosorum, præcipitantium, resolventium, pilular. balsam. HOFFM., ac STAHLII, & pediluviorum rediit denuo hæmorrhoidalis fluxus, sat largus; sanguinis modo floridi; modo grumosi, modo muco

(*a*) Consult. & resp. med. Cent. 2. Casu 24.

muco etiam albo, ac fetido remixti, ſed imi ventris ſpasmi ſuperſtites, totumque ſæpe latus lævum, & caput in conſenſum trahentes, apoplecticos interdum inſultus ſimulabant. Accitus ergo in autumno alius medicus venam juxta pollicem manus tundi jubet. Quid fit? Malum in dies ingraveſcit, ægra fit clinica, ſæviſſimi ingruunt oſſis ſacri dolores, alvus ſegnis, inquies, extremorum frigus, & intolerabilis ardor in ano. Priora ergo adhiberi cœpta remedia, & intumeſcentibus ab eorum uſu hæmorrhoidibus cœcis admotæ, præmiſſis fotibus, hirudines multum ſanguinis eduxere, at ſine levamine; imo internæ hæmorrhoides ita ſimul intumuere, ut enemata alvum motura, ſpasmosve lenitura gravem cauſarint dolorem. Ob aſſiduos ergo inteſtinorum ſpasmos alvus nonniſi data manna ſolvebatur. Externe inſuper circa anum excreſcentia dura, juglandem æquans enata eſt, cujus in apice ſæpius albæ puſtulæ obortæ ſponte iterum abibant: tumor parte ſuperiore mollior, fortius compreſſus, prodebat dolorificam duritiem. Cum diſcuti nec injectionibus, nec ſacculis poſſet, emollientia duritie nihil imminuta dolores intulerunt atrociores. Porro quotidie a 5 veſpertina ad mediam usque noctem febricula, horrorem æſtu jam leniore; jam graviore excipiente, ægram invadebat cum pulſu celeri, duroque, lotio rubro, paucique ſedimenti. Cetera ſitis nulla, appetentia inconſtans, ſomnus inordinatus; at ſine ſudoribus. Exitus

morbi

morbi ignoratur. Potuit ergo phlebotomia venulæ exilis juxta pollicem manus revocatum hæmorrhoidum fluxum ocyus cohibere, relictis tantum ad cœcas in posterum hæmorrhoides causandas nisibus, cur non nimium fluxum amplior brachii secta vena moderari possit, vel plane compescere? Copiam certe sanguinis phlebotomia non usque adeo videtur minuisse ob tantum vasorum hæmorrhoidalium tumorem consecutum; sed spasmodicos nisus aliquatenus ad superiora excitavit, licet eos, qui deorsum tendebant, non prorsus eliserit.

b) *Morbi capitis, & pectoris* ex aliquorum opinione phlebotomiam brachii poscunt, nempe ob celeriorem vasorum infarctorum revulsionem, depletionemque. Verum ut id in capitis affectionibus hæmorrhoidalibus concedam; de iis tamen, quæ ad thoracem pertinent, haud perinde sentio. Nam licet utriusque loci hujus morbi debeantur hæmorrhoidali sanguini illuc regurgitanti, tamen in morbis capitis utpote brachio altius siti phlebotomia cubiti nisum illum regurgitandi sursum insigniter minuere, imo & elidere valebit, contrario ad venæ tusæ vulnus effecto nisu: quod in situ pectoris cum brachii situ collato haud obtinet. In utrisque quidem dictis morbis tutius semper e talo mittitur sanguis, ut in LUDWIGII (*a*) furioso vidimus,

(*a*) Vide §. 104.

dimus, & plura deinceps (*a*) afferemus; vehementer tamen affecto capite etiam cubiti phlebotomia non eſt inefficax, quod liquido colligere eſt ex obſervatione L. P. ZETTERMANNI (*b*): medicus 44 annorum, ſanguineo-cholericus, cœlebs, paucis obnoxius morbis, nullisque hæmorrhagiis & capitis doloribus unquam vexatus, poſt ſcabiem in adolescentia litu artuum depulſam incidit in 3nam a paroxiſmo 7. ſine ullis remediis; ſed ſolo ſpontaneo ſudore copioſo judicatam. Juveni jam, & medicinam ægris facienti iſchias lateris dextri in ſuram usque excurrens accidit, quam unica Væ So in pede ſuſtulit. Lapſo hinc triennio poſt liberalius hauſtum toto anno vinum caterva malorum ingruit; primum enim circa regionem ſuperiorem inteſtini recti ſentire cœpit punctiones leviuſculas, quas inſequebantur varia pathemata hypochondriaca, ſegnior alvus, hypochondria (lævum in primis) inflata, ac tenſa, ſpaſticæ ventris ſtricturæ, dyſpnœa, imbecillitas inſignis artuum, ſomnus profundior, & a prandio maxime moleſtans, atque per vices mentis alienatio: quam ob rem lectum petere eſt coactus. Medici anamneſeos ignari morbum

(*a*) Vide §. 110.

(*b*) Diſp. ſiſt. hæmorrhoides ex palato profluentes 4to Erford. 1722. Præſ. I. A. FISCHER.

bum pro epidemico tunc grassante habentes cardiaca, & alexipharmaca dabant, frustra ea deprecante lucidis intervallis ægro, & Væ Snem deposcente. Post longam curationem convaluit; sed insequentibus annis verno præsertim tempore eadem recursabant symptomata cum fece alvina striis cruentis extrinsecus notata; quæ tamen phlebotomia in pede, & mucus albus tragacanthum solutum referens, ad aliquot cochlearia alvo egestus, denuo sustulit. Novissimo vere post brumam potissimum sedendo, multamque in noctem lucubrando exactam eadem rursum symptomata sunt oborta, dilataque Væ Sne mane quodam ægrum e lecto egressum vertigo (nunquam hactenus tolerata) prehendit, cum tensiva artuum, præsertim superiorum, gravitate, ac inter prandendum eodem die post obortum in palato acutum, scindentemque dolorem perceptum ocyus tumor subnigricans, transversum digitum ab uvula distans est observatus. Vena erat atro sanguine distenta, inque momenta usque adeo accrescens, ut suffocationis metum injecerit; sed leni linguæ appressione rupta fluidi sanguinis ad duo cochlearia sensim eructavit, indeclinabili fluxum hunc excipiente somno. Phlebotomiam ergo hactenus dilatam non amplius tuto differri ratus protinus a prandio pediluvium calidum adhibuit, summoque mane postridie e mediana lævi brachii demi sanguinem jussit; qui licet nil vitii præseferret, bihorio tamen post Væ Snem æger in recto

sensum

ſenſum relaxatarum ſtricturarum percipiens aliquoties mucum album inſtar gelatinæ aliquot cochlearium alvo excrevit, illico etiam ceſſantibus ſymptomatibus. Deinde per aliquot dies ſequenti uſus eſt ℥e:

℞. Lap. 69. citrat.
⊕ ſucco ceras. tincti āā ℈ß.
Cinnab. opt. ppt. gr. v. M. F. ℥.

Hunc dein variis mutavit modis, quandoque conchas ppt., vel ♁. diaph. ſubſtituendo, alias doſin mutando. Cumque a catharticis abhorreret, enemata ex ▽a ſalſa admiſit, quorum a primo ſexies, quater ab altero, & ſic porro dejecerat, ſumma cum euphoria, ceſſantibusque mox hypochondriorum tenſionibus. Ab his æger plane convaluit. Perinde TISSOTI (*a*) æger a vertigine ſua, & convulſionibus cum amneſtia, ſolis in brachio (ut videtur) ſæpius inſtitutis phlebotomiis ex toto eſt liberatus.

c) *Abolitio morbi hæmorrhoidalis*, ſi iſte nempe vel recens, vel periculoſus admodum, vel ſponte ſua citra ulla mala ceſſans, neque ullatenus indicatus, &c. ſit, ita ut ejus averruncatio proficua eſſe cenſeatur, factis prudenter circa ſolſtitia, & æquinoctia, & quo-

(*a*) Vide §. 104.

quotiescunque insignes hæmorrhoidales nisus sese exserunt, phlebotomiis in cubito morbus hæmorrhoidalis pedetentim aboletur. Docuit id jam olim GALENUS (*a*) dicens: „si „retentæ hæmorrhoides mittendi sanguinis „occasionem præstiterint, siquidem cohibere „eas voles, quæ in brachio sunt; sin provo„care, quæ in cruribus consistunt, venas se„care convenit." Perinde G. E. STAHLIUS (*b*) „si desuefacere (inquit) potius; quam juvare „hanc excretionem ex usu videatur, in parti„bus superioribus Væ Sne, vel scarificatione „pro diversitate habitus, seu temperamenti" id fiat oportet. Atque huc reipsa est referendum, quod facere F. HOFFMANN. (*c*) in cœcis hæmorrhoidibus cum colica consueverat, nempe tam ad sævam illam colicam abolendam; quam ipsas etiam varices dissipandas „venam tunc ego (inquit) non in pede; sed „in brachio secari præcipio, ad meliorem „sanguinis a partibus inferioribus ad superi„ores derivationem; exterius vero duo re„media expertissimæ virtutis deprehendi, „quorum alterum est linimentum . . . alterum est

(*a*) De cur. rat. per sangu. miss. Cap. 6.

(*b*) Diss. de motu sang. hæmorrhoidali, &c. Cap. 10. p. 29.

(*c*) Med. rat. Syst. T. 4. P. 2. S. 2. C. 5. curat. §. 9. Opp. T. 2. p. 289.

eſt epithema" (*a*) &c. Quam parum autem aliis id genus in caſibus ad colicas, & cardialgias hæmorrhoidales mitigandas cubiti phlebotomia proſit; imo quam ſæpe lædat potius, documento eſt I. STORCHII (*b*) femina 30 annis major, phlegmatico-ſanguinea. Hæc ex lauta diæta, & otio a 2, vel 3 annis admodum corpulenta incidit in plurium hebdomadum cardialgiam hæmorrhoidalem cum anxietate, quæ ubi 3 hebdomades jam vexaſſet; facta phlebotomia in cubito ſævior evaſit (nedum mitior), ſimulque ocyus ante terminum fluxus catameniorum ingruit cum dolorifica micturitione. Datæ ergo 2. Martii tres MRæ rhab. doſes, & ⚵ ⊖ amari ℥ij, antiſp. ʒj. M. pro 6 doſibus, cardialgiam ſuſtulere, ſuperſtite ad 8am usque micturitione: quo circa ⚵ prior datus, imperatusque litus ex oleis ſcorp., & petr. Die 14. rediit colica cardialgica cum teneſmo: hinc præter MRam rhab. datæ pil. BECHER., & purg. āā ℈j; ſed cum ab altera MRæ doſi menſes fluerent cum levamine, juſſa eſt nonniſi his finitis uti pilulis. Harum doſin 18va ſumſit: poſtridie levamen attulere; ſed poſt iram veſpere ejusdem diei vehemens cardialgia revertit cum frigore crurum; ſed a MRa rhab., &

(*a*) Vide §. 131. Nro 8.

(*b*) Quinque partit. pract. A. 1731. d. 4. p. 194. ſq.

& ☿ antiſpasm. cum magn. alb. die 20. melius habuit, & relicta ſimul cerevisia biduo adhuc recte valebat. Cumque 23. novus rediret; levior tamen, inſultus, hunc aliquot MRæ rhab. doſes, & una pilularum denuo profligarunt, ſuperſtite tantum poſtridie aliqua adhuc œſophagi conſtrictione. Nocte diei 25. æſtus cum ſiti adfuit: idcirco præſcriptum

℞. ♎. ⊕. dulc. ℥iij.
Syr. fl. pap. rh. ℥ß. M.

S. ter de die gtt. 30, ſimulque interdum doſis ☿. antiſp. cum magn. alb. capiatur. Unde altero die levamen. A meridie diei 27. denuo horror, & æſtus, & veſperi fluxus hæmorrhoidalis ſanguinis ad cochl. ij. ſucceſſit, continuavitque etiam poſtridie, utut cum tenesmo, & tuberculis ani. Datus interne ☿ antiſpasm., magn. alb., & arcan. dupl. Externe anus illitus ungu. camph. alb., & ſacculi e flor. chamom. in lacte maceratis admoti. Die 29. ſanguis puri miſtus lubricæ conſiſtentiæ prodibat; unde 3tia tantum levata eſt, ut lectum deſereret, ſed lenes adhuc dolores coxæ aderant: hinc inſiſtebat uſui MRæ ex liqu. anod. min. cum. ſyr. fl. pap. rh. Aprilis prima cum bene adhuc valeret, 6ta e pede ſanguis bonæ notæ eductus, & dein data doſis pilular. ante dictarum, atque abhinc ad 4am Maji usque ſana manſit; quo tempore cum poſt inſuetum motum denuo

nuo fieret anxia, ab una pilularum dosi rursus levata est, & ex usu jusculi cum herbis nasturtii aquatici, beccabungæ, chelidon. min. recte valebat. Die 30. catameniorum tempore oborta tormina ad aliquot MRæ rhab. doses desiere.

§. CIX.

2. *Pedis* autem phlebotomiam, si nimium hæmorrhoidum fluxum excipias, omnis alia hæmorrhoidalis affectio melius fert, quam quæ in brachio instituitur. Præprimis vero illam exposcunt.

a) *Molimina* graviora hæmorrhoidalia, ut sunt: dolores capitis, dorsi, stomachi, intestinorum, artuum, præsertim coxæ, &c. Cum enim hæc ab infarctu vasorum dictis in partibus non sine spasmis concurrentibus oriantur, queis hæmorrhoidalis sanguis erronee ibidem subsistens, vel etiam illuc regurgitans occasionem præbet, facile patet, infarcta vasa sanguinis missione, quæ sæpe simul etiam spasmum ab infarctis vasis ortum solvere solet, esse deplenda. Cum vero plurimum intersit, ne depletio hæc nisum simul sanguini, vasisque inducat sursum regurgitandi, unde gravissimæ affectiones oriri solent, nisusque hic a sanguine superioribus e venis apertis excitetur, non item a phlebotomia partium infra anum sitarum: satis intelligitur, phlebotomiæ hic non brachii; sed pedis locum

esse,

eſſe, id quod & paulo ante allatus STORCHII (a) caſus edocet, & plures etiam alii conteſtantur.

b) *Coecae haemorrhoides* indolentes, dolentes, inflammatae; in his enim phlebotomia pedis vaſa infarcta deplendo citra regurgitationem celerrimam fert opem. Sic apud M. ALBERTI (b) „matrona annorum 35, 7 libe„rorum mater, admodum tenera: dum ute„rum fert, ordinarie bis Vae Snem in pede „ſibi inſtitui ipſa poſtulat, quamprimum nem„pe dolores abdominis ſpaſtici, & haemo„rrhoides coecae repullulant, jam ſatis ex„perta; nullo alio ſubſidio tam praeſentaneum „ſibi levamen obtingere. Factum eſt aliquan„do, ut cum vena minus late incideretur, ac „nihil fere ſanguinis ſtillaret; illa prae metu „aliam ſibi venam aperiri recuſante, nihil „quoque ſolatii, ſed potius dolorum exaſpe„ratio ſequeretur." Perinde I. STORCHII (c) auriga multis ab annis rheuma, ſubinde humeſcens, & aliquoties eryſipelas, ac retroceſſione morbos periculoſos creans paſſus, incidit in vehementes inteſtini recti dolores, &

(a) Vide §. praeced. c)

(b) Diſſ. de Vae. Snis. in pede gravidar. uſu tuto, & ſalubri (4to Halae A. 1724. Reſp. A. HOIELSINO) Cap. 3. p. 30.

(c) Obſ. clin. ann. 1. Jul. d. 4. Nro 1. p. 170.

& inflammationem cum multis hæmorrhoidum varicibus, colore ſtriatum leporis tergum, ac humectatum æmulantibus. Imperata, quam neglexit, pedis phlebotomia, lituumque in locum admoto podici vino calido, ac datis MRæ ex TRa rhei ℥iij, TRæ 🜍ri ℥j, 4ta quaque hora gtt. 30. æger intra paucas horas levatus 3tio die domo egreſſus eſt. Huc etiam I. A. RAIMANNI apud A. E. BÜCHNERUM (*a*) obſervatio pertinet: vir 48 annorum, ex abuſu vini gutta roſacea fœdus, & aliquoties hæmorrhoidum fluxum paſſus, incidit poſt prævios dorſi, lumborumque dolores, cum alvo teneſmode in laniantes utriusque pedis dolores, quos poſt varios fotus octiduo admotos ſic ſatis abegit; ſed non multo poſt intumeſcentiam hæmorrhoidum in ano ſenſit, & quandoque etiam ſub ſicciori alvi egeſtione aliquot ſanguinis guttas excerni animadvertit. Fluxum hæmorrhoidum, ſibi alias ſalubrem promovere cupiens, neſcio, cujus medici ſuaſu, dum ſæpius vi editis alvinis nixibus id perficere ſatagit, loco fluxus nactus eſt hæmorrhoides cœcas tumentes, perquam dolorificas cum gravi pectoris oppletione, noctu præſertim ſpiritum intercludente, ſiccaque tuſſi. Accitus demum Auctor invenit in lævo recti limbo tumorem iuglandi nuci æqua-

(*a*) Miſc. phyſ. med. A. 1728. Octobr. d. 4. art. 6. p. 1398. ſqq.

æqualem, e nigro fuscum, durum, & attactum nullatenus ob dolores ferentem, quapropter æger nec jacere, nec ſedere valebat, inprimis vero ad tuſſim dolor ſæviebat. Ocyus ergo larga in pede phlebotomia facta, fotus e fl. ſamb., verbasci, herb. linar. &c. in lacte coctis ano admoti; interne vero ob alvum nycthemero non egeſtam datus hauſtus, olei amygd. dulc., cum pauxillo ☿ii dulcis, cum enema vix applicari potuiſſet. Sub noctem ℨis nitroſo-cinnabarinus exhibitus. Continuantibus autem nihilo ſecius doloribus poſtridie datum infuſum millefolii calide ſæpius hauriendum, tumorique præter priorem fotum etiam linimentum ex albo græco cum oleo verbasci, & fl. calendulæ, ac pauxillo camphoræ applicitum. Emollito poſt 3 dies aliquatenus tumore, & ſub egeſtione alvi ſanguinis aliquid præbente, ad promovendam ejus reſolutionem idonei fotus in vino cocti applicabantur, eo cum ſucceſſu, ut intra paucos dies curatio fuerit abſoluta. Pectoris ſymptomata mox a Væ Se evanuerunt quidem, ſed expectoratio aliquamdiu adhuc pergebat: donec & hac ſub uſu reſolventium prorſus ceſſante priſtina demum rediiſſet ſanitas. En Væ Sem in pede ad hæmorrhoidales pectoris morbos abolendos perquam proficuam! Quæ etſi ani inflammata tubercula non perinde leviora reddidit, ſaltem etiam non auxit; id quod tamen fieri oportere nonnulli perperam contendunt. Sane de utilitate phlebotomiæ digiti minimi pedis agens

M. A. SEVERINUS (*a*) „nos (inquit) sectæ „ejusdem venæ beneficium experti sumus in „doloribus hæmorrhoidum sopiendis, quibus „& implacidos dies, ac insomnes noctes „per multas duxerat legum doctor: . . . „ISALONUS. Surculum interioris saphenæ, qui „inter pollicem, proximumque digitum pedis „excurrit, aperiri feliciter in hisce malis testatus etiam ab experto est ARN. VILLA„NOVA" (*b*). Haud itaque video, cur F. HOFFMANNUS (*c*) in dolore intestini recti ex hæmorrhoidibus maluerit venam in brachio reserari; siquidem in pede secta perinde juvet; ac sine regurgitationis insuper metu.

§. CX.

c) *Morbi a suppressis, anomalisve hæmorrhoidibus* nati, ac vel maxime superiorum partium. Cum enim hi a regurgitante aliorsum, vel descendere versus anum non valente sanguine oriantur; nisus ille sanguinis ab his partibus ad venæ in pede vulnus est avertendus. Profuit omnino hæc phlebotomia LUD-

(*a*) De efficaci medicina L. 1. P. 2. de phlebot. C. 33. p. 60.

(*b*) Libr. de consid. oper. medic. Dist. 2. P. 1. C. 2.

(*c*) Vide §. preced. c).

LUDVIGII (*a*) viro ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus furioſo. Et „novimus, inquit F. HOFF-„MANNUS (*b*), iſchiadicum dolorem ex hæ-„morrhoidibus ſuppreſſis aperta in pede vena „protinus ex toto ſublatum fuiſſe, neque minus „recordamur in atrocibus totum abdomen, „& male fluentes hæmorrhoides affligentibus „doloribus Væ Snem in pede inſtitutam, pa-„riter & nitroſa, atque emollientes clyſteres, „omne curationis punctum tuliſſe." Cur igitur alias (*c*) in cubito venam ſecandam ſuaſit?

§. CXI.

d) *Fluxus hæmorrhoidum.*

a) *Inſtans*, ſi indicatio ſit eum promovendi; plerique enim illum phlebotomia pedis facilitari, accelerarique aſſerunt, ſolo id F. PLATERO (*d*) negante. Non ita ſane crebro ſaltem id evenire vel ſolæ hactenus allatæ variorum obſervationes evincunt; neque enim idem hic; quod in catameniis obtinere videtur. Eatenus tamen Væ. So. in pede inſtantem

(*a*) Vide §. 104.

(*b*) L. c. T. 3. S. 1. C. 9. §. 19. Opp. T. I. p. 344.

(*c*) Vide §. 108. c).

(*d*) Prax. med. T. 3. p. m. 570.

tem fluxum promovere eſt cenſenda, quod ſanguinis ad anum niſum contrario nullo niſu interturbet, &, ſi forte præ nimia vaſorum ſedalium turgescentia fluxus nequeat ſuccedere, blanda illorum depletione facta, obſtaculoque ita ſublato, ſanguini viam ad erumpendum quaſi ſternat. Exemplum hujusmodi ſuppeditat I. STORCHII (*a*) vir prope 60 annorum, melancholico-cholericus, pene per 20 jam annos molimina hæmorrhoidum expertus, ſed quæ vice quadam contraria Væ. Se. interturbata ita evaſerant anomala, ut nunquam hactenus hæmorrhoides prodierint. Hic Martii 2., inſtante Væ ſectionis vernalis tempore, cum coryza, tuſſisque moleſta, eam non admitterent, medicina catarrho primum facta, atque in hujus declinatione, demum ipſo in æquinoctio phlebotomia pedis inſtituta id eſt conſecutus, ut mane diei 24 Martii non exiguus hæmorrhoidalis ſanguis eruperit, qui ægrum reddidit alacriorem. Auctor ad fluxum aliquatenus adhuc promovendum, vel mucum ſaltem evehendum præſcripſit:

℞. M. P. BECHER ℈ij.
— purg. ℈j. M.

S. bis per hebdomadem veſperi pilulas 10. Effectus erat laudabilis.

β)

(*a*) Obſ. clin. ann. 6. Martii. d. 4. p. 50c.

β) *Suppressus*, qui pedis phlebotomia vel revocatur, vel certe compensatur. Ad revocandum fluxum cohibitum hanc phlebotomiam commendatam fuisse a GALENO, aliisque jam ante (*a*) vidimus, & LUDWIGII (*b*) furioso suppressum hunc fluxum secta in talo vena denuo revocavit, furoremque auspicato sustulit.

§. CXII.

3. *Ani* denique ex vasis hæmorrhoidalibus ipsis non raro sanguinem educere oportet, idque duplici scopo; videlicet, vel ad fluxum hæmorrhoidum arte producendum, vel tantummodo ad infarctum sedalium vasorum, indeque orta symptomata tollenda. Fluxus porro arte excitati finis rursus duplex est; nimirum: ut nisus sanguinis hæmorrhoidalis: vel ad sedis vasa, at imperfecte, & cum functionum læsione tendentis promoveatur, cum symptomatum mitigatione; vel alias ad partes anomalo motu regurgitantis elidatur, aut etiam in nisum versus anum convertatur, & ita symptomata ex hac quoque anomalia orta profligentur. Binis vero modis ani vasa aperiri solent; nempe vel cultri acie; vel

(*a*) Vide §. 108. c) §. 110.

(*b*) Vide §. 104.

vel hirudinibus admotis: verum cum non eadem ſemper ſit utriusque hujus methodi utilitas, ita ut alias hirudines incaſſum; alias culter periculoſe applicetur; liquet operæ eſſe pretium, ut utriusque hujusce præſidii legitimus, opportunusque uſus tironibus ex aſſe explanetur.

§. CXIII.

a) *Hirudines* veteribus hoſce in fines ignotæ, noſtrorum temporum induſtria detectæ, tantæ ſunt ſeu in fluxu hæmorrhoidum arte excitando, ſeu in malis illarum mitigandis utilitatis, ut ſpecifici nomine haud indignas G. E. STAHLIUS (*a*) cenſuerit. Odione hujus, an prolixioris experientiæ defectu F. HOFFMANNUS (*b*) hirudines ſibi habuit ſuſpectas, & ambiguæ utilitatis? ſerius tamen errorem ſuum dedoctus maxime proficuas ſæpe eſſe confeſſus eſt (*c*). Pene autem deſipit I. D. SANTORINUS (*d*) ſcribens: „hinc conſtare puto ampulloſum hoc eſſe remedii genus, ceteris ni deterius, non equidem majus;

(*a*) Diſſ. de ſanguiſugar. utilitate (4to Halæ 1699. Reſp. I. I. COLERO) Cap. 4. p. 15.

(*b*) L. c. S. 2. C. 9. Theor. 21. ſchol. opp. T. I. p. 462.

(*c*) Vide §. 115. Nro. 1.

(*d*) Opusc. med. 5. §. 49. p. m. 188.

„jus; ſed aut enormis præjudicii ſignum, ſive „(ut diximus) deſperatæ ſalutis, aut exhau- „ſtæ medicinæ prodromon. Nec mihi expe- „rimentorum myriades pro hujus ſaluberrimo „uſu reponant; ſit experimentis fides, at ſit „cautum alioquin difficillimum experimentorum „judicium." Quid jam hoc homine facias, cui myriades obſervationum de utilitate hirudinum, ut eas admittat, non ſufficiunt? haud utique ſine ullo diſcrimine ubique ſunt applicandæ; quandoquidem alias inutiles ſint, alias etiam noxiæ. Proinde

§. CXIV.

α. *Contraindicant* earum applicationem.

1) *Inflammatio* varicum hæmorrhoidalium præſens, vel jam facta ſuppuratio, recte notante id C. F. SCHULZIO (*a*), iſta enim nondum præſens ab inflammatæ partis vulnere facile conſequitur.

2) *Varices grandes, vetuſtæ;* quia plerumque & illarum tunicæ craſſiores ſunt, quam ut ab hirudine ad cavum usque penetrari poſſint, & ſanguis diutius ibidem ſtagnans in grumoſum abit craſſamentum, ab hirudine non amplius evacuandus. Monet id ipſum M. AL-

(*a*) L. c. p. 26.

ALBESTI (*a*) „practici ſolertiores (inquiens) „ad hirudinum uſus in hiſce cœcis hæmorrhoi- „dibus confugiunt, neque quidem male, ſed „cum hac diſcretione, quo mox in primis „initiis applicentur; alias ſi tumentes hæmo- „rrhoides cum inflammatorio motu ſtipatæ „ſunt, & turgentes aliquamdiu ſubſtiterunt, „ut in cutanea veſiculari illa protuberantia „ſanguis jam in coagulum prolapſus ſit; tunc „hirudines partem non apprehendunt.“ Diſ- „ſertius etiam I. L. SCHMUKERUS (*b*) hirudi- nes tali in caſu & inutiles, & interdum etiam noxias eſſe oſtendit: „ubi tubera hæmorrhoi- „dalia (ait ille) ſunt grandiora, veſanum eſt „hirudines admovere; quamvis viderim eas „imperari in varicibus pomum magnis. Chi- „rurgus illas in id genus adjunctis ſuadens „non videtur unquam apertam vidiſſe hujus- „modi varicem, nec ullam tenere ideam ſtru- „cturæ, indolisque illius; nam quo amplius „grandeſcit varix, tanto etiam tunicarum ip- „ſius increſcit craſſities, quam ſæpe annulari „digito æqualem reperi, ut proinde tunc hi- „rudines tam craſſas tunicas morſu penetrare, „coagulumque ſanguinis educere nullatenus „valeant. Idcirco non inutiles modo ſunt, „ſed vidi etiam ejusmodi varices ab admotis hiru-

---

(*a*) Diſs. de hæmorrhoidib. cœcis §. 24.

(*b*) Vermiſchte chirurg. Schriften 1. Band. 2. Abſchn. p. 108.

„hirudinibus, aliaque inepta medela cancro„ſas evaſiſſe." Hinc tali in caſu exitus coacto ſanguini melius ferro paratur, ut paulo poſt (*a*) dicetur; quidquid contra ſentiat C. F. SCHULZIUS (*b*).

3) *Internæ hæmorrhoides* perinde hirudinum uſum vetare cenſentur. Cum enim hirudo externo tantum ani limbo admota nonniſi vaſa externa hæmorrhoidalia apprehendat, ſi morbus ab ſanguine internarum hæmorrhoidum oritur, creditur tunc hirudo non inutilis modo; ſed etiam noxia eſſe poſſe, ob ſanguinem non peccantem eductum. Ingens ratio dubitandi, quod ex parte affecta ſanguinem hauriant hirudines, hæc eſt inquit F. HOFFMANN (β): „quod ipſæ ex hæmorrhoi„dibus externis, cum internæ lateant, ſu„gant, quæ exiguum vel plane nullum com„mercium cum vaſis inteſtinalibus meſeraicis, „& portæ ramis, in quibus tamen ſedes pa„thematum ſpasmodicorum & hypochondria„corum, habent; in fluxu vero hæmorrhoi„dali hæmorrhoides internæ ſanguinem ſtil„lant, & ob id ſi convenienti modo, & tem„pore fluunt, vitiis ex ſtagnatione in ramis venæ

(*a*) Vide §. 117. (β) L. c.

(*b*) L. c. §. 25.

„venæ portæ oriundis apprime opitulantur.“ V. TRINCAVELLA (*a*) id ipsum videtur voluisse, dum monet, non esse admovendas ano hirudines, si hæmorrhoides non tumuerint, i. e. si nullæ adsint varices externæ, videturque id confirmare M. ALBERTI (*b*) observatio: „contigit mihi (narrat ille) habere „virum per longum tempus moliminibus hæ„morrhoidalibus externis, spasmodicis, ar„thriticis, ad pedes usque evagantibus, & „hos podagricis doloribus excruciantibus ve„xatum, in quo non obstante larga evacua„tione per hirudines, & debito medicaminum „usu nullus constans sequebatur effectus, sed „motus spastici vix per 3, 4ve dies emansere, „ex consuetudine iterum redeuntes.“ Ad externas quidem hæmorrhoides casum Auctor refert; sed quam parum id sæpe numero asserere liceat, nemo qui vasorum hæmorrhoidalium externorum cum internis nexum, variumque amborum decursum apprime novit, ignorat. Unde etiam consequitur, hirudines ad mala ab internis quoque hæmorrhoidibus profecta debellanda, vel certe mitiganda non raro prorsus utiles esse; id quod variis deinceps exemplis in medium datis patebit liquidius

(*a*) De rat. cur. partic. H. C. affect. L. 9. C. 14.

(*b*) Diss. de flux. hæmorrhoid. provocat. (4to Halæ 1719. Resp. A. HERRMANN) thes. 21. p. 13.

dius. Certe S. BIANCARDI (*a*) Juvenis 25 annorum ab internis hæmorrhoidibus miſerrimos dolores paſſus, admotis hirudinibus eos depulit, ita ut nunquam amplius redierint.

§. CXV.

β. *Indicant* vero illarum admotionem

1. *Molimina* hæmorrhoidum cum niſu ſanguinis vel ordinato verſus anum; at inſufficienti ad fluxum producendum; vel anomalo in alias partes ſeu vicinas, ſeu remotiores, quacunque alia tentata medendi methodo non ſopienda. Ordiamur moliminum horum exempla a capite, digreſſuri ab iis in alias partes. F. HOFFMANNUS (*b*), ubi in apoplexia ſanguinea utilem eſſe ſupervenientem hæmorrhoidum fluxum cum COO, agnoviſſet, „maxime iis, qui eundem antea jam experti" ſubdit: „nos ad obtinendum hoc præter fri-„ctiones in ano, & admiſſos fotus maxime „proficuam cenſemus hirudinum applicatio-„nem." Et „Nobilem Patavinum ætatis „mediæ, melancholicum ab epilepſia liberavit

(*a*) Inſtit. chirurg. P. 3. C. 20. Opp. T. 2. p. 462.

(*b*) L. cit. T. 4. P. 2. S. 1. C. 7. curat. §. 8. Opp. T. 2. p. 244.

„vit B. SILVATICUS apertis quovis menſe ve-
„nis hæmorrhoidalibus" teſte I. RHODIO (*a*). Videtur ſane in melancholico corpore ſimul alia medicus hic obſervaſſe phænomena, quæ arguerent, epilepſiam ab anomalis hæmorrhoidum moliminibus fuiſſe productam: qualis & ille fuerit, cujus M. ALBERTI (*b*) caſum refert, qui „prægreſſis in juventute lar-
„gis narium hæmorrhagiis, in provectiore æ-
„tate vero graviſſimis hemicranicis doloribus
„initium ſenſit cataractæ, quæ nil obſtante
„Væ Se in pede; externis diſcutientibus,
„internis ☿libus laxantibus, in dies majus
„ſumebat incrementum; adhibito vero, &
„continuato hirudinum uſu cum topicis di-
„ſcutientibus evanuit." Huc item pertinet, cujus meminit E. D. SALOMON (*c*), juvenis ad 17 annos natus, in apyretam, & continentem capitis inbecillitatem lapſus, ut ſine duce incedere nequiret. Nullis licet præſentibus hæmorrhoidum cœcarum indiciis BERGIUS ſuaſit hirudines ano admovendas; quod hujus adoleſcentis pater in juventute ab ſimili capitis imbecillitate hæmorrhoidum fluxu ſit liberatus; applicatis ergo illis æger poſtridie

(*a*) Obſ. med. Cent. 1. Obſ. 65.

(*b*) Diſſ. cit. theſ. 17.

(*c*) Act. Suec. Vol. 22. Trimeſtr. 2. Nro. 5. p. 137.

ridie prorſus ſanus fuit. Porro (*a*) mulier 40 annorum nacta eſt vehementem læva in lumbari regione, ac ſpina dorſi dolorem, quem ſecutæ graves abdominis tenſiones, & vix 4. diebus lapſis, dolor lævum etiam femur, genuque invadens ſeſe per crus ad pollicem usque extendit, lacerans ac lancinans, præſertim ubi ægra aſſurgeret, at ſine tumore. Nec eryſipelas, nec podagra, nec hæmorrhoides cœcæ præceſſere, ſed mox a 2do puerperio inſolita in inteſtino recto ſenſatio ſine ullo tamen tumore, oborta eſt. Cetera mulier ſæpe alvina laborabat obſtructione. Cum inſpectus anus ruborem circa ſphincterem oſtenderet, ocyus admota hirudo. Eductis ſanguinis ℥v. ægra noctu placide dormiit, ac poſtridie ab omnibus ſymptomatibus immunis eſt inventa, levi tantummodo ſuperſtite in pede, ac femore ſenſatione, quæ poſtea perinde evanuit. Plura ſimilia etiam G. E. STAHLIUS (*b*) commemorat. Vir erat 40 annis major, melancholico - ſanguineus, a 5 vel 6 annis cereviſiam vino ſufficere coactus; curisque, & iræ ſæpius obortæ deditus, atque inde ad anxia melancholico-hypochondriaca pathemata pronus, demum & præludia iſchiatico - nephritici mali nactus, cum a STAHLIO molimina eſſe hæmorrhoidum, utilesque ad illa hirudines audiſſet, repoſuit, ſe ante 8, vel am-

(*a*) Ibidem p. 138.
(*b*) Diſſ. cit. p. 16.

amplius annos semel, vel bis illis e medici consilio eo cum successu fuisse usum, ut inde sibi veluti renatus videretur. Perinde (*a*) „vir habitus sanguinei quinquagenarius a plu„sculis annis circa orificium ani pruriginoso, „& quasi leviter serpiginoso malo (quod fe„re Galli les hæmorrhoides blanches vulgo „vocare solent) vexatus, tandem oleo com„posito hyperici, lilior. albor., & similibus „ab hac quidem molestia liberatus fuit; sed „incidit non ita multo post in febrem inter„mittentem, a qua (ut est suspicio) per chi„nam chinæ liberatus cum paulo post iter su„scepisset . . . pluvia, & frigida tempestate, „in febrem cum paroxismo vehementissimo, „& paralytode relapsus, mox inde rheumati„cas passiones in artubus persensit, quæ mox „magis, magisque in ischiadicas, & arthriti„cas conversæ jam in 3um annum patientem „exagitant, repetitis nempe variis insultibus. „Apud hunc patientem cum etiam denique „hirudinum mentio fieret, ipse similiter recor„datus est, quod præsidio hoc ante 18. cir„citer annos similiter aliquot jam vicibus „usus fuerit, eoque ipso tum temporis non „exiguum levamen, & alacritatem corporis, „animique inde persenserit." Haud secius (*b*) vir alius 40 annis major, melancholico-cho-

(*a*) Ibidem.

(*b*) Ibidem p. 17.

cholericus, in juventute vinis Gallicis, Italicis, Auſtriacis, & Hungaricis uſus, in tantam incidit iſchiadem, ut ſtanti ſpina dorſi obrigeſceret, quam ad conſidendum cito flectere nequiens nec promte aſſurgere ſine ſæviſſimo dolore poterat: a quo demum crebriori malo Viennæ admotis hirudinibus cito, conſtanterque ſanatus eſt. Id dum religioſo cuidam narraret, repoſuit iſte, in toto ſuo Ordine commune, arcanumque eſſe hoc remedium, a quo monachi pancratice valerent. Denique (*a*) & viri 43 annorum meminit, arthriticos totius ſpinæ dorſi dolores, & aſthmathicam circa ſcapulas preſſionem, ac nonnunquam (a vehementi præſertim ira) anxietates præcordiorum, & pectoris cum ſicca tuſſi patientis, qui propterea phthiſeos initia eſſe ratus una, alterave vice Væ Snem, at inordinate, inſtituit, deincepsque iterum intermiſit: donec Auctoris conſilio hirudines admotæ inſignem ſanguinis copiam eduxere, & hæmorrhoides poſt aliquot inde hebdomades elicuere. Unde habitum reſumſit, & ab omnibus ſymptomatibus eſt liberatus, ſuperſtitibus tantum interdum in externis partibus aliquibus arthriticis veſtigiis. Inſignem etiam hujus commatis caſum C. O. MOLLERUS (*b*) literis prodidit:

(*a*) Colleg. caſual. magn. Caſu 14. p. 188.

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 18. A. 1721. Novembr. d. 4. art. 12. p. 518. ſqq.

Præco ſacer. 33 annorum, cholerico-melancholicus a 18vo ætatis anno hucuſque ſemper valetudinarius, ſæpeque vehementes inſultus hypochondriacos, a queis raro penitus liber erat, expertus; nihilo tamen ſecius totas hebdomadas fere ſine induciis docendo cum acri animi intentione, & affectibus exigebat: unde etiam aſſiduo madebat ſudore. Alias toto anno ita in raucedinem proclivis erat, ut eam vel ab horæ intenſiori ſermone contraheret. Ante aliquot annos medicorum ſuaſu Væ Ses aliquoties celebravit; poſtea vero rectius valens eas prorſus omiſit. Tandem cum a gravi febre rite percuratus brevi poſt immoderate & labori, & appetitui denuo nunc reverſo, quo pluribus jam annis caruit, indulgeret, aliquando poſt prehenditur dolore cutaneo, & carnium toto corpore, qui, ubi æger concionando aliquoties magnopere incaluiſſet, remittens in ſola ſeſe brachia, & pedes contraxit, ut ut e brachiis iterum fere in totum abierit. Abhinc tantummodo querebatur de ardenti dolore pedum (potiſſimumque in carnibus, licet ſæpius etiam dolor intrinſecus, ac præſertim in pollice, & circa articulos ſentiretur) cum tanta omnium artuum laſſitudine, ut ſi vel uno $\frac{1}{4}$ horæ pro concione diceret, feſſo inde caput æſtuaret, ac ſudaret. Auxit etiam laſſitudinem hanc aſſidua agrypnia cum magna anxietate, ægrum nunquam in lecto ferente. Singulare ſimul erat, quod cum ante toto corpore ſolitus eſſet ſudare, nunc ſolo capite, pectore, & dorſo uber-

uberrime ſudantibus totus venter, & ſuperni artus ſicci eſſent. Dictus item dolor febrile quid præſeferebat; quippe qui alternis diebus ſævius affligebat, magno cum æſtu, ceteris diebus factis tolerabilibus. Ubi ſummus erat dolor, ibi (& paſſim alibi etiam) efflorеſcebant maculæ rubicundæ, ac lividæ, ſed brevi iterum evanidæ. Ante hunc morbum, præſertim ante febrim, multas habuit in manu rubras maculas magnis cum torminibus, ſæpeque paucas puſtulas, & gingivarum cruentationem. Principio hujus morbi exigua Væ So facta; dein aliquoties pro alvo reſeranda STAHLII pilulas, & pro ſanguine depurando decoctum e ſaſſafras, &c. hauſit; at ſine levamine. Conſultus Auctor præmiſſo tridui uſu infuſi rhei, 4to vel 5to die, quo nempe remiſſio dolorum aderat, 4 hirudines ano admoveri juſſit. Abhinc per aliquot tempus præbuit omni mane infuſum diſcutiens diapnoico-diureticum, veſperi autem ℥em ex conchis citr., arcano dupl., & nitro, ſub diæta molli, ac diluente, ſalubrique corporis motu. In poſterum vero monitus, ut ſemper circa æquinoctia vel hirudines repetat, vel Væ Sem in pede ſubſtituat. Facta omnia eo ſucceſſu, ut intra 2 horas, poſtquam hirudines deciderant, dolor fere omnis evanuerit, & ſub remediorum datorum uſu cetera quoque ſymptomata ſenſim abierint. Ita & monachus 46. annorum, ſanguineo-melancholicus ab hypochondriaco-cardialgico-nephriticis paſſionibus pertinaciſſimis in verum

 hecti-

hecticum statum, omnibus jam conclamatum visum, prolapsus admotis ano hirudinibus intra breve tempus convaluit, & repetito circa singula æquinoctia eodem remedio athleticum recuperavit corporis habitum, donec post 11. annos (indubie ob neglectas sanguinis missiones) ex hydrope interiit. Neque minoris ponderis est observatio, quam E. D. SALOMON (*a*) suppeditat: mulieri 29 annorum lævo in pede oborta est rosa bullata cum valido tumore, tantoque dolore, ut noctu, diuque careret quiete, idque in 5 dies cum capitis gravitate. Apertæ vesicæ, sine levamine. Ex anamnesi patuit, ipsam cœcas quandoque hæmorrhoides habuisse; sæpe vero spinam dorsi dolere, & alvum assiduo esse obstructam: hinc nihil licet vitii in recto visceretur, tamen ocyus 4 hirudines ei admotæ sanguinem ad ℥v. elicuere. Postridie post totam noctem pacatam dolor pedis plane abfuit, tumore simul ita imminuto, ut cutis prius tensa nunc rugosa esset, ruborque etiam pallesceret. Gravitas quoque capitis abiit, & ægra sensim prorsus convaluit. Ejusdem (*b*) vir 42. annorum toto dorso dolores passus cum pectoris oppressione, & primum somno inquieto, ac sudoribus nocturnis; dein autem aliquo corporis tremore, ac demum aurium

---

(*a*) L. c.

(*b*) Ibidem Vol. 26. Trimestr. 1. Nro 12. p. 61.

aurium susurro, punctorioque temporum dolore: hirudines ano applicari jussit; unde symptomata partim desiere, partim lenita sunt, & reverso 4ta abhinc hebdomade dorsi dolore, ut ut mitiore, admotis iterum hirudinibus sanguinis circiter ℥vj. eductæ optato cum successu. Denique & A. LEBENWALDTII (*a*) casum adducere visum est: „juvenis quidam temperamenti sanguinei, passus est herniam varicosam in interna scroti tunica dilatatis vasis spermaticis cum dolore & pondere, quoties deambularet. Aperitur vena brachii ob plenitudinem sanguinis; nec gutta effluit: pedibus comprimit locum affectum; mitigatur dolor, & largissimo rivulo saltat sanguis foras. . . Valde levatus fuit per venæ aureæ mediantibus sanguisugis apertionem.“ Ex hactenus ergo dictis satis, superque probata habetur hirudinum in moliminibus hæmorrhoidalibus sanandis utilitas.

2. *Varices parvæ recentes*, proinde molles, nondum callosæ, nec vehementer inflatæ nulla alia arte deplendæ, & abolendæ, vel sponte sua crepare (si criticæ sunt) non valentes. „In parvis adhuc, inquit I. L. „SCHMUCKER (*b*), & pisum, vel nucem par-„vam

(*a*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 6. Obs. 97.
(*b*) Vermischte chirurg. Schriften 1. Band. 2. Abschn. p. 107.

„vam æquantibus tuberculis hirudines ſunt „ſingularis prorſus utilitatis, a queis illa ple-„rumque aperta a ſuo craſſo ſanguine vacu-„antur, & concidunt" atque in fotu dein, vel enemate admota aqua frigida partes relaxatæ contrahuntur, priſtinumque ad officium redeunt (*a*). Nihilo minus tamen haud pauci fuere, qui minus tuto hæc inſecta ano applicari exiſtimaverint. F. HOFFMANNUS (*b*) propria ſua experientia didicit hirudines ſæpe inutiliter, aliquando vero cum evidenti noxa fuiſſe adminiſtratas: „vidit multoties in ve-„hementibus, & inveteratis hypochondri-„orum ſpaſmis hirudines ſine effectu applica-„tas; vidit easdem levamen tantum ad tem-„pus attuliſſe, vidit quoque ab earum appo-„ſitione ad hæmorrhoides cœcas, mali mo-„ris ulcera, & fiſtulas procreatas." Et multo jam ante iſtum T. BARTHOLINUS (*c*) ex hirudinibus admotis (ait) „multi ulcera nacti Ne-„apoli me præſente, unde fiſtulæ, aliaque „mala ad noſocomium miſeros detruſerunt. „Phthiſicum novi ibidem miſere exinde fi-„ſtula ani tortum. CHEBIBI medicus Ebræus „(*d*) teſtatur ex his vulneribus complures „fato

(*a*) Vide §. 119. Nro 4.

(*b*) L. c. T. 3. S. 2. C. 9. theor. 21. Schol.

(*c*) Hiſtor. anat. Cent. 4. hiſtor. 74.

(*d*) Libro de Væ Se.

„fato cessisse inflammatione, dolore, abscessu.“ Eadem & alii ingeminantes maluerunt varices ferro; quam hirudinibus unquam reserare. Sed pulchre ad hæc LUDWIG (*a*), qui ubi cultro alias, alias hirudinibus aptius venas hæmorrhoidales aperiri docuisset, demum subjungit: „post tales evacuationes, præsertim si ægri nimia humorum corruptione laborant, ulcera remanere satis notum est; hæc etiam, cum „in spurco loco sint, difficilius purgari, „& nonnunquam sinubus, & fistulis ad anum „oriundis occasionem præbere: sed hoc in „uno, & altero auxilio evenire vidi, nec „evitari posse credo, nisi medicus in dyscra„sia corrigenda attentus, & chirurgus in ul„ceribus purgandis diligens, & prudens sit“ Idque eo facilius evenit, si ut superius (*b*) vidimus, hirudines vetustis, grandibusque applicentur. Quod vero sæpe brevi tantum cum levamine, & sæpe nullo etiam successu fuerint admotæ, nemini mirum videbitur, cum non sint remedium infallibile; & certiorine levamine uspiam aliud remedium in hæmorrhoidalibus malis adhibetur? Ceterum numerosi omnino casus præsentissimam hirudinum cœcis hæmorrhoidibus provide applicatarum utilitatem commonstrant. S. BLANCARDUS

(*a*) L. c. p. 402.

(*b*) Vide §. præced. Nro 2.)

DUS (*aa*) puerperæ varices hæmorrhoidales majori nuci moſchatæ æquales habenti admotis hirudinibus ſanitatem reddidit. Et „quam „laudabilem, inquit V. RIEDLINUS (*a*), con„ferant opem venis hæmorrhoidalibus dolen„tibus, & ſanguine plenis appoſitæ, . . . „me ipſum quoque experientia docuit. Cum „enim . . . rei tormentariæ præfectus a dictis „doloribus rebus humanis tantum non exem„tus, omnia alia fruſtra in uſum reduxiſſet, „tandem ab hoc vermiculo levamen ſenſit, & „quidem tam præſentaneum, ut vix eodem „delabente dolor omnino . . . ceſſaverit; „quin imo (quod adhuc magis mirandum eſt) „in hunc usque diem ceſſet.“ I. STORCH apud A. E. BÜCHNERUM (*b*) narrat cholericum juvenem 30. annorum a ſemeſtri ter expertum fuiſſe invaſionem ſpaſmi manuum, pedumque cum ſyncope, quæ ♃e antiſp. cum epilept. nigro brevi ſemper mitigabatur. Sed ubi dein venter cœpiſſet inflari, datæ pilulæ STAHLII cum levamine; verum oborta circa ani exitum anguſtatio docebat morbum eſſe niſus hæmorrhoidum. Incredulus juvenis diu abhinc, at

---

(*aa*) Inſtit. chirurg. P. 3. C. 20. Opp. T. 2. p. 462.

(*a*) Lin. med. ann. 1. Decembr. 6. p. 422.

(*b*) Miſcel. phyſ. med. A. 1727. Januar. d. 2. art. 2. §. 4. Nro. 3. p. 47.

at incaſſum, alius medici opera uſus eſt; donec hæmorrhoidale tuberculum enatum fidem rei feciſſet. Admotis ergo hirudinibus, tuſaque aliquoties pedis vena immunis evaſit a ſpaſmo, & ſyncope, flatulentias tamen retinuit. E. D. SALOMONIS (*a*) conſanguinea intolerabilem mejendi difficultatem cum dolore in imo ſpinæ dorſi, ac preſſione abdominis, & ſæpe vertigine, ac perturbatione capitis paſſa cum ab initio cathetere nonniſi ℥j. lotii reddidiſſet, explorato inteſtino recto mox ad orificium 2. varices repertæ ſunt: protinus ergo 4 hirudines admotæ intra horam omnem dolorem ſuſtulere. Unde reverſos deinceps dolores eodem ſemper præſidio fugabat. Multo autem hisce ſunt luculentiora duo exempla, quæ apud A. HALLERUM (*b*) I. B. L. CHOMEL poſteritati reliquit: vidimus (inquit iſte) „mulierem annos 39 natam, „aſthmatis paroxismo variantibus anni tem„peſtatibus ſuffocatam, hepatitide ſæpius la„borantem, nephritico quandoque dolore di„vulſam, colica modo inteſtinali, hyſterica „modo fatigatam, hisque affectibus variis eo „magis obnoxiam, quod ob hæreditariam, „&

(*a*) L. c. Vol. 22. Trimeſtr. 2. Nro. 5. p. 137.

(*b*) Diſſ. med. pract. T. 4. Nro. 116 (ergo tumidis hæmorrhoidib. hirudines. Præſ. I. F. C. MORAND) §. 5. p. 122. ſqq.

„& vagam arthritidem cum puerili ſcabie ſup-
„preſſa conjunctam tota nervorum compages,
„ſævum in modum leviſſima de cauſa doleret,
„& ſpasmodice torqueretur. Huic miſeræ...
„toties a pueritia repetita fuerat Væ So, ut
„vaſa omnia cubiti, radii, carpi, pedis, lan-
„ceola fœdata, & quaſi conciſa operationem
„licet indicatam omnino rejicerent. Hanc
„in aſſueto diverſorum ſymptomatum paro-
„xyſmo viſitans cum inveniſſem dolente ab-
„domine, hepate tumido, diaphragmate quaſi
„ſurſum retracto (ſæviebat acriter aſthmatis
„paroxiſmus) exiguoque pulſu laborantem,
„ecce natura, tantis etſi oppreſſa, & fatigata
„ſymptomatibus, per tumidas hæmorrhoides
„ſublevare ſe enixa eſt... Protinus admo-
„vendas hirudines juſſi. Vix ſanguis fluere
„incepit ſpiſſus, feculentus, atro-rubeſcens,
„cum ſubito pulſum reviviſcere, ventrem de-
„primi, urinas cieri, diaphragma deſcendere,
„aerem ſpirari, hepatis regionem elevari, ſe-
„cretiones uno verbo redintegrari, & (quod
„fauſtum magis; nec ſatis prædicandum) hæc
„omnia ſymptomata non ad menſes (ut olim
„cum balneis, Væ Sbus, temperantibusque
„medicamentis) ſed ad annum, & amplius ſo-
„lis admotis hirudinibus, ſolo fluxus hæmo-
„rrhoidalis promoti beneficio conticuere, &
„quæ per plures annos in ſella brachiata,
„noctes infelix erecta perdiderat, lecto nunc
„ſana decumbit. Adeo verum non quantitate
„evacuati ſanguinis; ſed qualitate; ſed ele-
„ctione loci, per quem extrahitur ſanguis,
„natu-

„naturam ægrotantem juvari, atque ſublevari.
„Curavimus virginem annos 25 natam, qui-
„busdam abhinc annis ob menſtruæ purgati-
„onis tardantem fluxum colicis doloribus ne-
„phriticam, uterinamque colicam ſæpe refe-
„rentibus ita vexatam, ut pluries noctu e
„lecto pulſus auxilium, & opem laturus cur-
„rerem. Lacerabant miſeram diſtenti ventris
„tormina, torquebant ſævum in modum ſemi-
„animem vomitus horrendi. Væ Ses innume-
„ras, fomenta, olea, victum tenuiſſimum,
„ceteraque hujus generis medicamina vix fa-
„vente ſucceſſu præſcripſeram. Balnea aquæ
„dulcis ad menſes quavis die per 4 horas
„uſurpanda cenſueram, ut tumens, & acriter
„renitens univerſum abdominis ſpatium mol-
„lirem, & redigerem. Vix ægra tepidæ bal-
„neum aquæ ſubierat, cum aquam proprio
„calore ita recalefaceret, ut plures aquæ ſi-
„tuli alternatim in balneo projecti illud vix
„temperarent (quem viſceribus æſtum!). Emul-
„ſiones, ſerum lactis, & id medicaminum
„genus incaſſum abhibebantur. Incendebant
„narcotica; non ſedabant, adſtringebant; non
„aperiebant aquæ ♂les: humores rarefaciebant;
„non pellebant ſulphureæ, & thermales. Væ
„Sem non ſemper admittebat debilior pulſus.
„A ſpiſſo, & viſceribus abdominalibus hæ-
„rente ſanguine univerſa ſymptomatum cohors
„ut plurimum ducebat originem; at maſſam
„hanc penetrare, vaſorum mæandros perme-
„are hoc opus, hic erat labor. Cœca modo
„in-

„interius ; exterius modo tumebat hæmo-
„rrhoidum congeries, ſtrictamque pertinaciter
„alvum reddebat ſtrictiorem. Hirudines igi-
„tur pluries admovendas eo confidentius præ-
„ſcripſeram, quod ab ipſismet abdominalibus
„vaſis ſanguinem eliciendum eſſe fortiter perſua-
„ſum haberem. At neſcio quo ſuffuſa pudore pu-
„ella renuebat acriter, per annumque fere
„integrum pugnaverat; ſed atroci, multoties-
„que recidivo victa tandem, & fere confecta
„malo, nullamque aliam a nobis ſententiam,
„quam enixe poſtulabat, accipiens, hirudi-
„nes admoveri permiſit; quæ quidem ita pro-
„ſpere ſucceſſit operatio, ut deinde quavis
„die quavis hora hirudines invocaret, has
„amicas appellaret, precibusque admoven-
„das efflagitaret, donec perfecte ſanata fue-
„rit, hirudinum plus quam 50 admotione,
„3 menſium intervallo.“ Dictum ſuperius (*a*)
fuit, vetari ab nonnullis hirudinum ano ad-
motionem tumentibus hæmorrhoidibus inter-
nis ut inutilem, & noxiam, ſimul autem fuit
monitum, contrarium ſæpe nos experientia
doceri, promiſſaque ſunt hujus rei exempla.
En unum! quod M. FALIX (*b*) præbet: mu-
lier 23 annorum, ſanguinea, at parce men-
ſtruans, viro vegeto, alacrique nupta, in
quo-

(*a*) Vide §. 114. Nro. 3.

(*b*) L. c. Faſc. 1. Obſ. 21.

quovis coitu quiritabat. Abhinc aliquot septimanis cum virum facile tulisset, rursus deinceps tam dolorifici fiebant coitus, ut clamores invitæ exprimerent. Anno ita exacto vir rei impatiens, malitiamque subesse ratus, uxorem obstetrici lustrandam tradit, istaque nullam dolorum causam detegente, magis sua in suspicione confirmatus uxorem male tractare cœpit. Hæc cum a medico clam consulto data nescio ad quem uteri morbum medicina uteretur, virque fortuna in eam incidisset mitius cœpit agere, atque ad morbum jam diutinum examinandum Auctorem accivit. Iste intellecto nunquam alias nisi in coitu sentiri dolores, menstrua parce procedere, mulierem vero cetera per omnia sanam esse, manu demum genitalia perquirit. Admonitus ab ægra imam vaginæ partem doloris esse sedem, in hac tactu explorata plura detexit tubercula. Rogata num & alvum egerens doleret, vel sanguinem excerneret? annuit, additque, largius ex ano profluente sanguine nullos in coitu se pati dolores. Indito proinde in anum quoque digito, & ceteris quoque præsentibus signis haud ægre patebat omnem dolorum causam esse hæmorrhoides. Facta Væ So, imperatum idoneum regimen cum semicupiis tepidis, jussaque est internam intestini recti tunicam unguento populeo inungere, atque cum nihil inde minuerentur tumores, hirudines etiam sunt admotæ. Hac demum methodo in 14 dies observata cœperunt & hæmorrhoides, & catamenia uberius

fluere

fluere, tumoresque sensim evanescere. Inde mulier virum sine dolore admittens paulo post concepit, legitimoque tempore filium feliciter partu edidit. Ex omnibus itaque his casibus abunde elucescit, quanta cum utilitate hirudines hæmorrhoidalibus varicibus applicari soleant, & quam parum, raroque metuenda illa ani ulcera, ac fistulæ inde consequantur. Non tamen ita ubique hirudines esse necessarias contendimus, ut non persæpe earum in locum culter sufficí posset eodem successu; imo plures sunt, qui promtius cultro ægrum; modo is illum non reformidet, levari asserant, nec nisi paucis in casibus cultro hirudines præferendas esse velint, cujusmodi est, quod solicite discernit LUDWIG (a), quodque non exigua dignum est lectoris attentione: persistunt enim (inquit ille), „sæpius in iis, qui hæmorrhoidalibus insultibus affecti sunt, tubercula callosa, quæ sine dolore sunt, nec excretionem alvinam adeo turbant, interdum tamen cum aliqua sanguinis abundantia, vel dyscrasia has partes urget, & irritat, dolorosa fiunt. Venæ, quæ tum temporis a latere callosi tuberculi surgunt, sponte non rumpuntur, quod ipsæ callosæ sint, et si vel maxime rumpuntur, parum sanguinis reddunt, ex qua re levamen exiguum, vel etiam nullum experiuntur.

„Sæ-

(a) L. c. p. 400. 194.

„Sæpius in his nulla universalis indicatio ad „sanguinis missionem est, & ea, quæ solum „ob stases ad anum factas instituitur, effectu „sperato caret. Cum igitur præcipue de san„guine in loco ipso affecto subducendo co„gitandum sit, quo vasa turgentia deplean„tur, et se contrahant; disquirendum omnino „est, num in doloribus obortis hirudines „applicandæ, aut incisio debeat institui? „Medicotum consilia hac in re discrepare in„telligo; alii enim hirudines præferunt; alii „incisionem suadent; alii utrumque auxilium „promiscue admittunt. In hac re itaque quan„tum fieri potest, definienda ad constitutio„nem venarum semper attendendum esse ar„bitror. Si nimirum callositas in cute non „solum; sed in venis ipsis animadvertitur; „hirudines apto loco applicatæ, & aliquo„ties reiteratæ sensim evacuant; quamvis in „callosis partibus verum robur institui ne„queat, nec applicatis externis remediis emol„litio solidarum, & discussio fluidarum par„tium attingatur: ægri tamen exinde aliquod „solatium capiunt, & nonnunquam applica„tio hirudinum iterum necessaria redditur. „Quodsi vero venæ turgidæ molliores sunt, „altiusque in intestinum surgentes, & aptus „in tumente quadam vena locus deprehenditur, „incisio majori cum emolumento instituitur; „quod venæ promtius evacuantur & nonni„hil contrahuntur. Etsi enim perspexi foti„bus calidis post hirudinum applicationem „ad anum admissis magnam subinde sanguinis

„vim

„vim elici, & hunc interdum ita fluere, ut vix „cohiberi possit: tamen ea, quæ incisionem „venæ sequitur, evaçuatio promtior mihi visa „est, inprimis si vulnus satis amplum venæ „turgenti infligi potuerit.“ Verum hæc ex adjunctis semper juste sunt æstimanda.

3. *Suppressæ* denique cum functionum læsione. Admotæ enim hirudines vel nisum illum sanguinis ad sedis vasa, qui perperam quacunque de causa sufflaminatus fuit, restituendo fluxum hæmorrhoidum revocant; vel saltem fluxum non amplius revocandum compensant, & quemvis alium anomalum sanguinis nisum versus alia vasa enervant, symptomata inde enata profligant. Sic Ill. A. STÖRCK (*a*) de sua illa epidemica febre hæmorrhoidali agens „sanguisugæ (inquit) circa „anum iis in casibus necessario debebant po„ni, in quibus ab hæmorrhoide regurgitante „fiebant caligines, vertigines, sopores. Et „A. HAENIO (*b*) narravit . . . vir omni fide „dignus, solere se instante fluxus tempore „caligas sibi suas mappis densis complere, ne „per eas perflueret sanguis. Semel autem „contigisse, ut sui temporis immemor, atque „itinere defatigatus amici, qui eum hospitio „exce-

(*a*) L. c. p. 153.

(*b*) Prælect. in H. BOERHAAVII instit. pathol. ad §. 708. Tom. I. p. 103.

„excepiſſet, lectum pretioſiſſimum profluente „per ſomnum ſanguine ita fœdaſſet, & conſpurcaſſet, ut nulla ratione deinceps refici „potuerit. Se quondam in Gallia degentem „illo fluxu caruiſſe, incidiſſeque in quemdam „morbum fere apoplecticum; quam cauſam „cum ignorarent medici, fruſtra quæque ad„hibuiſſe: donec amicus quondam ejus for„tuito accedens hanc anamneſin medicis daret; „mox medicos tunc applicuiſſe hirudines, ar„tisque cetera applicuiſſe auxilia, ſeque hac „ratione mortis exemtum periculo fuiſſe.“ Similem etiam caſum I. M. LANCISIUS (*a*) commemorat; nempe matronæ ſubpingui 60 annorum, cum diu ſpaſmodicis circa collum, pectusque doloribus, ac levi vertigine vexari ſolitæ hæmorrhois interdum flueret cum levamine, hac ſubſiſtente poſt alvi tormina, & fluxum, ac dein contractiones artuum ſiniſtrorum, 30ma Novembris repente ingruit apoplexia. Admotis autem illico cucurbitulis, uſtione, balneis, dextrosque ad artus, & cervicem veſicantibus, ac ♃u. Θammon. ad nares, reſipuit balbutiens, poſteroque mane a ſyrupo perſico belle purgata eſt. Gravi autem adhuc ſuperſtite ſopore cum hemiplegia lævi lateris accitus Auctor, cum a reſtitante hæmorrhoidum fluxu morbum judicaſſet enatum, juſſit

(*a*) De ſubitan. mortib, L. 2. Obſ. 2. p. 191. 192. ſqq.

jussit mariscas aperiri eo cum successu, ut superveniente febri ægra, prius fere muta cum hebetudine sensuum, evaserit loquacissima. Cumque facile in soporem recideret, paralyticis etiam artubus admota vesicantia, relictis octo dies in fluxu plagis, intereaque cathartica, & crebra enemata data, & ob sitim urgentem largi potus concessi ex jure C. C., & aquis cephalicis. Transacta 30ma die post novam catharsim in solo infusi eboris; ac salsæ usu relicta ægra appetente demum vere, recuperato pedum usu ad pristina munia rediit. Perinde ZACUTI (*a*) „femina gravida „novimestris, carnosa, & juvenis ex con„sueta hæmorrhoidali vacuatione diu suppres„sa in gravissimam incidit epilepsiam, qua „cessante melancholicum patiebatur delirium. „Hæc præter acria enemata, & partium in„feriorum diversiones, & sectas in utroque „talo venas nonnisi hirudinibus sedi ter ap„plicitis convaluit, & felicissime peperit.“ Eodem quoque præsidio virum a melancholia liberavit (*b*). Neque segnius ab hirudinibus auxilium obtinetur in pectoris morbis ex eadem causa enatis I. D. GOHLII (*c*) vir consi-
stentis

(*a*) Medic. Princip. histor. L. 1. Obs. 27. p. m. 249.

(*b*) Vide seq. §. 116. Nro. 1. d).

(*c*) Act. med. Berolin. dec. 2. Vol. 1. Sect. 2. p. 68.

ſtentis ætatis, tenerioris tamen habitus, a 9 annis, ex anomalis hæmorrhoidum moliminibus, ſæpius obnoxius erat humorum ad pectus congeſtioni coryzam, tuſſimque, & aſthmaticam oppreſſionem cauſanti; quæ ſymptomata provocatis per pediluvia hæmorrhoidibus cœcis dolentibus ſemper iterum ſolvebantur. Donec continuatis pediluviis, inſtitutisque æquinoctialibus phlebotomiis in pede ad fluxum hæmorrhoides perduxiſſet, periodicum quidem, rarum, at non ſtatum, quippe qui ſemel per trimeſtre, dein per ſemeſtre, tandem toto triennio ſemel perinde apparuerit, potiori ſemper manente cœcarum apparitione. Cum A. 1721. nec unus, nec alter hæmorrhoidum ſtatus toto ſemeſtri accidiſſet, menſe ſeptembri homo nactus eſt iſchiadem, cujus in ſumma ferocia phlebotomia æquinoctialis in pede facta malum exaſperavit; & verſus hibernum ſolſtitium totum jam in pedem ſæviebat dolor ardens, ac lancinans, cum ſtupore, & per intervalla ingraveſcens cum celeri pulſu, æſtu interno, nocturnisque pavoribus, ac vigiliis. Conſultus medicus cum præter venæ ſectionem pedis, enemata, fotus calidos, demumque affecto in pede fonticulum, interne ſimul juſto calidiora remedia ordinaſſet; ab horum uſu nihil levaminis acceſſit; imo inſuper vetus illa humorum ad pectus congeſtio magno cum ardore, & anguſtia rediit; ſed ſepoſitis his remediis iterum remiſit. Sic 6am usque ſeptimanam

dira ischiade vexante rogatus Auctor consilium, intellexit ischiadicos dolores interdiu esse leniores, stuporem pedis abiisse, cœcasque hæmorrhoides a triduo protuberare. Cum hirudines istis mox admovendæ nuspiam obtineri possent, data pro re nata alia, inter quæ externe emplastrum saponatum BARB. dolores pulchre lenivit, & ⊖e Epsomensi mota alvus perinde cum levamine. Atque ab his æger pede sine dolore uti cœpit, superstite solummodo aliqua post sessionem surgendi difficultate, & post stationem oborto rigore pedis cum sensu fervoris. Verum prout hæmorrhoides cœcæ, ac spasmi pedis cum dolore abibant, ita solennis illa humorum sursum congestio renascebatur cum cephalalgia, sternutatione, coryza, & Nuchæ spasmis, præterea tremula quædam motitatio toto in pede hactenus affecto, nucha, maxilla inferiore, ac temporibus sese exseruit. Nihilo tamen secius dolor in os sacrum contractus, & ani post alvi egestionem fervor ægrum fatigantes cum non inventis hirudinibus abigi non possent, sibi erant relinquendi, quoad æger ipse sibi hirudines applicare potis factus. Interea tamen hactenus bene valuit observato exacto regimine, & æquinoctiales celebrando prophylactice Væ Ses. Clariorem isto casum suppeditat I. PLENCIZ (*a*):

(*a*) Act. & Obs. med. Cap. 4. p. 99.

„45 annorum ſedentarius a $\frac{1}{2}$ anno multo „mœrore affectus, quique ante annos plu„res continuo hæmorrhoides fluentes ha„buit, ad ultimum quadriennium usque. Ab „anno jam dyſpnœa afficitur, ac tuſſi vio„lenta, ſicca cum deleto appetitu, & dolore „hypochondrii, præſertim dextri, laborat. „Conſuluit practicorum noſtrorum unum ex „famoſiſſimis, ab eoque recipit remedia pecto„ralia, decocta, dein demulcentia, pilulas „dein balſamicas, ultimo ▽as Selteranas „cum lacte potandas, ſed meliorationis loco „pejorantur omnia eousque, ut noctu a tuſſi „impetuoſiſſima omnis excuteretur ſomnus, „de die ſub motu minimo anheloſiſſimus greſ„ſum ſiſtere cogeretur, emaciaretur ſummo„pere, febricitaret intenſe, hocque in ſtatu „apud me auxilium quæreret. Omnia præ„dicta audiens inquiro in hypochondria, he„patisque regionem, & duram, & dolentem „invenio, pulſum præcelerem, contractum, „ac durum, oculos flaventes, linguam albam, „ac appetitum deletum. His inventis ſangui„ſugas hæmorrhoidibus applicari jubeo, ac „decoctum ex rad. graminis, & taraxaci, & „ex tamarindis cum leni ſtimulo ſalino præ„ſcribo. Cum vero poſt primas 6 hirudines „levamen perſenſerit, 4ta die denuo eas re„peti curavi, ſicque hominem poſt octiduum „per ſcalas meas libere ac vegete aſcenden„tem, adventumque ſuum riſu profuſo de„nunciantem vidi, & audivi, indeque ſpes „affulget maxima miſerrimum hunc, & pro

„phtifico habitum hominem brevi perfecte „restituendum fore.“ Pari quoque felicitate in morbis imi ventris dicta ex caufa obortis hirudines ufurpantur. C. O. MOLLERI (a) Centurio 45 annorum melancholico-cholericus a 4 annis affiduam pene patiebatur cardialgiam cum vehementi pectoris tenfione & anxietate. Nihil per id tempus opitulantibus multis emeticis, catharticis, & carminantibus morbus crevit potius, noctu præfertim affligens & fomnum ne unius quidem horæ concedens. Bene appetebat æger, diætam exactam tenebat, nifi quod femel, aut bis opem a liberalius haufto vino Tokayno fperans dolorem pectoris fecerit aliquamdiu multo graviorem. Corpus etiam quotidiana fere venatione exercebat. Alvus tertio quoque tantum die folvebatur, & ructus interdum erumpebant non levantes. Vi hujus mali homo ad offeam usque maciem jam extenuatus fuit. Multo ante fæpius Væ Sem inftituens, eam ab aliquot jam neglexit annis. Ante biennium multum a cœcis hæmorrhoidibus perpeffus ex illo tempore nil amplius earum fenfit. Hæc anamnefis, totusque ægri afpectus arguebant cardialgiæ caufam

(a) Annal. Vratisl. Tent. 18. Octobr. d. 4. art. 11. §. 2. p. 418. fq.

ſam eſſe retentas hæmorrhoides. Conſultus Auctor, cum æquinoctium autumni procul adhuc abeſſet, dilata ſanguinis miſſione præbuit infuſum leniter reſolvens, & eccoproticum cum ℥bus digeſtivo nitroſis: externe vero 🜄 camphoratum. Uſus his æger usque ad æquinoctium ſine ullo levamine. Præmiſſo ergo ⊖e cathartico, 4a Octobr. Væ So lævo in pede facta cum levamine, & noctu bihorii ſomno, quo jam æger diu caruit. Inde per 5. inſequentes dies datum quovis mane vinum ex infuſis herbis reſolventibus, incidentibus, ac laxantibus, veſperi autem ℥ temperans, & vini ac cereviſiæ loco decoctum ex hordeo, polypod., liquirit., ac cinamomo potui conceſſum, externe ad præcordia admotum emplaſtrum ſaponatum, & ſubinde ſacculi diſcutientes. Ab horum remediorum uſu ſic ſatis levaminis obtentum, cum ſomno etiam trihorii. Verum ubi 7 die a Væ Se admotæ ano hirudines ſatis elicuiſſent ſanguinis, manifeſta apparuit emendatio ſequente nocturno 5 horarum ſomno. Nec poſtridie æger de ulla ſingulari preſſione, aut dolore amplius queſtus eſt. In 8 tamen adhuc dies datæ pilulæ correctæ BECHERI. Abhinc inſigniter homo carnes, vireſque recepit, & hucuſque ab inveterata illa cardialgia prorſus immunis manſit. Quid porro ad cruciatus arthriticos, rheumaticosque ab ſuppreſſa hæmorrhoide obortos profligandos valeant hirudines, documento eſt caſus apud M. AL-

BERTI (*a*): juvenis 24 annorum: temperamenti ſanguineo-melancholici, antea laborioſo vitæ generi deditus, patre hæmorrhoidario natus, cum 3. „jam annis hæmorrhoi„des internas menſtruas ſubiiſſet, præter has „æquinoctio autumnali dorſi, & cruris vexa„tur doloribus, qui in malum iſchiadicum „deſiere; hoc ſequebantur puſtulæ prurientes „circa limbum ani, quæ adhibito unguento „ſaturnino camphorato disparuere, redeunte „tamen priore malo, cum dorſi, & ſpaſticis „vagis arthriticis doloribus ſcapularum, colli „& artuum; hi accedentibus largis, ſponta„neis, matutinis ſudoribus arte promotis ſen„ſim evanuere. Adventante æquinoctio ver„nali adhibet Væ Sem præſervativam in pede; „nihilonimus ſequuntur hæmorrhoides cœcæ „tumentes, quæ ſuffumigiis cedunt, ſecutis „in harum locum multo gravioribus arthriti„cis, vagis doloribus; a quibus nonniſi pro„vocatis per hirudinum uſum hæmorrhoidibus „liberabatur, & continuata ſic verſus æqui„noctia Væ Se, & hirudinibus ab incommo„dis illis liber vixit.“ Quantum denique ad varias periculoſas hæmorrhagias (ut eſt hæmoptoë, vomitus, mictuſve cruentus, &c.) a ſuppreſſis hæmorrhoidibus inductas cohibendas, & deinceps avertendas hirudines valeant,

(*a*) Diſſ. de fluxus hæmorrhoid. provocatione, theſi 15. p. 9.

ant, complurimum perinde Practicorum edocemur experientia. Sic AMATUS (*a*): „per „hæmorrhoides . . . vir . . . sanguinem co- „piosum emittere solebat; cui cum multa „peracta essent remedia, & sanguis ex toto „cohibitus, consequens fuit, ut sanguinis „rejectatio veris statuto die illi superveniret. „Qui cum graviter morbum ferret, & phthi- „sis adventum timeret, nos ad se accersiri „fecit . . . cui nos . . . sanguinem extra- „here ex interna brachii vena fecimus, & „bene habuit. Ceterum singulis sequentibus „annis antequam morbus ipsum invaderet, „venis ani hæmorrhoidalibus dictis hirudines „nostro consilio admovere faciebat, ac san- „guinem per eas, quoad hirudines deciderent, „& sanguis ex se cohiberetur fluere . . . per- „mittebat. Qua . . . evacuatione homo abs- „que sanguinis ex pectore rejectione sanus & „incolumis perseverabat." Ejusdem (*b*) propola 45 annorum, olim syphiliticus, nunc diu jam menstruum hæmorrhoidum fluxum passus copiosum, cum iste ab aliquot diebus restrictus non flueret, cœpit sputare sanguinem copiosum subflavum, ac rubrum, at sine tussi, & febre. Admotis autem ano 4 hirudinibus, eductisque ℥vj. sanguinis, & præscripto cum diæta in aliquot dies decocto en-

diviæ,

(*a*) Curat. med. Cent. 2. cur. 13.

(*b*) Ibidem Cent. 5. cur. 3.

diviæ, fumariæ, ac lupulorum cum homonymis syrupis, & subjuncto cathartico, atque usurpato per plures abhinc dies condito ex flor. fumariæ, Saccharo, veluti fl. cichorii concinnato, stomacho jejuno, haustaque semper desuper pauxilla ▽a cichoreæ, convaluit, reverso nempe fluxu hæmorrhoidum cum euphoria. Confirmavit hæc propria sua experientia, haud ita multo abhinc tempore I. L. SCHMUCKER (*a*): „sæpe (ait ille) ex suppressis vel hæmorrhoidibus, vel catameniis pe„riodica nascitur hæmoptoë, in qua hirudi„nes reperi perquam efficaces. Utprimum „vel minima pectoris oppressio sese exserebat, „extemplo 8 vel 12 hirudinibus ano admotis „prævertebatur hæmoptoë, reversoque alter„utro illo fluxu, ægri ab hæmoptoë prorsus „liberabantur . . . In tota mea praxi tres „tantum viros novi, quos post diu ante sup„pressas hæmorrhoides periodica id genus „hæmoptoë, ut in feminis, invasit, fere 4a „quaque hebdomade revertens, rejecto sem„per ad aliquot vascula theata sanguine. Unus „eorum hypochondriacus vitæ semper jactu„ram sub hæmoptoë reversa metuens, 4a qua„vis hebdomade sanguinis ℥vj e brachio de„mebat; sed sæpe admodum eo ipso die san„guinem sputabat. Diætam tenebat exactam, „& aliquanto ant , quam me consuluisset,

„cœca-

(*a*) L. c. p. 405. sq.

„cœcarum hæmorrhoidum nisus, at citra fluxum, experiebatur. Exserentibus ergo sese „per pectoris oppressionem imminentis hæmoptoes indiciis admovi ano 12 hirudines: „hæmorrhagia 5 horas duravit, sanguine ad „℥xij elapso. Id ipsum per 3 menses est iteratum, atque ita a morbo penitus liber evasit. Verumtamen quotannis deinceps suo „consilio omni vere, & autumno sibi 10 ad „12 hirudines admoveri sivit neglecta plane „Væ Se, & hucusque recte valet. Eadem „quoque ratione duos alios ab hæmoptoe „vindicavi.“ Similia etiam de mictu cruento memorat (*a*): „haud raro in hæmorrhoidibus „a distentis vesicæ vasis oritur hæmaturia molestissimis cum symptomatibus. Nonnullos „Væ So in brachio cum temperantibus illico „levavit; aliis vero morbus plures in dies „perstabat summis cum doloribus, nil opitulante Væ Sne quater, & sæpius facta, datis „una temperantibus, & exactissima servata „diæta, imo quibusdam hæmorrhoides omnino ex vesica (satis jam ejus vasis p. n. dilatatis) fluxere, id quod in 3 ægris multis „cum doloribus, molestiisque vidi accidisse. „Omnes prius hæmorrhoidum fluxum habuerunt; sed hocce ad vesicam converso, nil „nisi levis ad cœcas hæmorrhoides nisus pristino in loco superfuit. Primo illorum 4a „qua-

(*a*) Ibidem p. 112. sqq.

„quaque ſeptimana, alteri quavis 8a vel 10ma
„tertio vero quolibet vere, & autumno ex-
„acte hæmaturia redibat. Poſt incaſſum ten-
„tatas Væ Snes, remediaque temperantia,
„& alia tandem cuivis illorum inſtante fluxus
„periodo hirudines ano apponi juſſi, quo ter,
„quater facto, hæmorrhoides rurſus ex ano
„fluxere, & hæmaturia deſiit. Omnes tres cum
„militarent, atque ob id ipſum non ſemper
„juſtam poſſent diætam obſervare, nulli tamen
„amplius revertit hæmaturia. Ante aliquot
„annos miniſter ſtatuum maximos ab aliquot
„diebus cruciatus ex hæmorrhoidibus veſicæ
„perpeſſus me accivit. Erat 50 annis major,
„macer, atque intolerabiles perpetiebatur ante
„dolores; quam guttas aliquot cruenti lotii
„emitteret. Jam Væ So & omnia in & ex-
„terna idonea fruſtra adminiſtrata fuere. Vix
„$\frac{1}{4}$ horæ conſilio interfui, cum ægrum ſeroſa
„proſterneret apoplexia. Datis emeticis poſt
„aliquot horas ad ſe rediit; ſed mictus dolo-
„rificus manſit, ut ante. Admotæ autem qua
„perinæo, qua ano actutum 20 hirudines vix
„ſuxere, & jam fiebat æger tranquillior, lo-
„tiique fluxus evanuit. Poſt $\frac{3}{4}$ horæ arcte
„adhuc inhærentibus ſanguiſugis magnum
„reddidit vitrum lotii cruenti cum grandibus
„fruſtris coacti ſanguinis non ſine facilitate,
„ac levamine, ac paulo poſt tantumdem cum
„grumis, atque abhinc urina denuo rite, &
„ſine dolore procedebat. Die 4ta rediit
„morbus; verum admotis iterum ſanguiſu-
„gis abiit ſine ulteriori recidiva. Trimeſtri

„autem

„autem poſt obiit ex hydrope cerebri, nam-„que inſignis aquæ vis inter meninges, at-„que in ventriculis eſt reperta.“

§. CXVI.

γ. *Cautelæ* tamen aliquæ in ſanguiſuga-rum applicatione haud ſunt prætervidendæ, ne illæ ſine his adminiſtratæ ægro aut moleſtiæ plus; quam utilitatis, aut noxam etiam affe-rant. Obſervanda autem hæc fere occurrunt.

1. *Præparatio ægri* exigit, ut vaſa hæ-morrhoidalia, queis hirudines admovendæ ſunt, reddantur conſpicua; quod præſertim de vaſis hæmorrhoidum internarum valet: ea-propter illa die ægro intemperate calido loco degenti, ac mollibus cibis paſto (*a*)

a. *Enema* emolliens bihorio ante appli-cationem injicitur; poſtmodo vero.

b. *Semicupium* vel inſeſſus vapori hy-drogalæ æqualiter ſemper calidæ per ½ ho-ram imperatur. Si autem ne ſic quidem vaſa dicta ſatis evadant conſpicua.

c. *Nixus inſpirationis* cohibita exſpira-tione qualis præſertim ad alvi egeſtionem fit, facien-

---

(*a*) C. F. SCHULZ l. c. §. 28. ſqq.

faciendus jubetur. Quodſi neque ita inſlentur & in conſpectum ſe dent vaſa aperienda, tunc

d. *Cucurbitula* totum anum comprehendens eſt apponenda, quod ZACUTUS (*a*) eximio cum ſucceſſu fecit ſequenti in caſu: viro immanes ex intervallis hæmorrhoidum dolores oborti cum ſemper ceſſarent excreto humore nigro, aliquando reſtitante hac evacuatione incidit in melancholiam. Tentata varia quæque ad vacuationem illam vel revocandam vel ſuppiendam ſine fructu, atque ter etiam incaſſum admotæ ano ſanguiſugæ, propterea quod externas tantum ſedis venas reſerarint. Superveniens ZACUTUS comperto errore cucurbitulam totum anum comprehendentem apponi jubet, foraſque ſic prolectis vaſis hæmorrhoidalibus, quæ intra anum ante latebant, hirudines quartum admovet, copioſumque ex iis ſanguinem elicit; quo facto æger ſanatus pancratice dein vixit.

e. *Situs* denique ægri aptiſſimus eſt, decubitus quietus alterutrum in latus.

2) *Hi-*

(*a*) Medicor. Princip. hiſtor. L. 1. Obſ. 6. p. m. 22. & Prax. med. admir. L. 2. Obſ. 74.

2) *Hirudines* porro ipsæ exigunt, ut observetur illarum delectus, numerus, modusque, cum applicandi, tum amovendi.

a. *Delectus* illarum censetur optimus, si illa sumatur hirudinum species, quam I. L. SCHMUCKER (*a*) ex MÜLLERO depictam sistit, vel etiam SCHULZIUS (*b*) ex GESNERO commendat, jubens eas e stagno captas, optimeque absterfas per 7 vel 8 dies in aqua fluviatili servari, quod ita & puriores fiant, & morsus avidiores.

b. *Numerus* vero applicandarum pro loco & morbi magnitudine est varius. Ano adultorum 4. 6. 8. 10. 12. apponi possunt; sin pluribus opus fuerit, perinæo ceteræ admoveri vel primis delapsis aliæ atque aliæ sufficì possunt. Vicenas SCHMUCKER (*c*) Ministro statuum applicuit. AMATUS (*d*) quidem consilium præbet, qua ratione paucarum hirudinum ope multum sanguinis elici queat: „postquam „(ait) affixæ . . . hirudines . . . tumefieri „incipiunt, per medium eas forficibus præ„scindi mandamus; nam tunc melius sugunt, „& ex ægroto super perforata sede sedente „sup-

(*a*) L. c. p. 116.
(*b*) L. c. §. 27.
(*c*) Vide §. præced. Nro. 3).
(*d*) L. c. Schol.

„ſuppoſita aqua calida ſanguis in vaſculum „aut ſcutelam cadens ea a nobis præſcripta „quantitate ſervatur, ut poſtea de ejus co- „lore, & ſubſtantia judicium feramus.“ Sed rejicit id SCHULZIUS (*a*), quod experimentis captis conſtet, multas hirudinum vulneratarum decidere; ceteras autem factas debiliores lentius ſugere cum ægri impatientia, nihiloque ita plus ſanguinis elici.

c. *Applicatio.* porro ita peragitur: hirudines cum aqua in pelvim effuſæ, indeque exemtæ intra linteum ita conduntur, ut capite tantum eminentes deſtinato loco, probe ante ſpongia aqua, lacteve tepidis imbuta mundato, applicentur, et ſi mordere nolint, vel aceti guttula capiti aſperſa excitentur, vel illito parti ipſi mordendæ ſanguine allicia ntur (*b*).

d. *Amotio* denique triplici ratione procuratur, nempe vel relinquendo ſanguiſugam, donec ſponte ſua delabatur, vel ſi id ob moram aut minorem ſanguinis educendi copiam neceſſariam haud expedit, momentum ſalis illius ori applicando, vel vi avellendo: poſtremum tamen; cum ſubinde periculo non vacet, vitandum eſt.

3. *Hæ-*

(*a*) L. c. §. 29.
(*b*) FROMMANN. l. c. P. 2. probl. 27. p. 375.

3. *Hæmorrhagia* superstes cohibendane an promovenda sit, e copia sanguinis ab hirudinibus exsucti est æstimandum.

a. *Cohibetur* vel sponte sua sibi relicta, vel decubitu in lecto, ubi compressis venis vulneratis desinit, vel stipticis lenibus admotis v. g. linteo combusto cum splenio apposito, &c.

b. *Promovetur* autem duplici ratione, videlicet vel cucurbitula sicca toti ano imposita, si æger lectum relinquere nequit, vel si id potest, insidendo sellæ perforatæ (ne alio corporis situ venæ apertæ comprimantur) super vase excipulo stillarum sanguinis, ita ut vapore ▽æ calidæ subtus locatæ & sanguis a grumescentia circa vulnera prohibeatur, & vasa relaxata conserventur, ne sese contrahant. Quodsi tamen sanguis circa vulnera grumescens fluxum interrumpat, spongia calida & humida sæpius est abluendus. Cavendum tamen est, ne ubi hirudines varicibus hæmorrhoidalibus præsertim majusculis, fuerunt adhibitæ, hæmorrhagia alterutra hac methodo promoveatur, monente id F. AB AQUAPENDENTE (a): periculum enim est, ne nimium inde profluvium sanguinis consequatur, cujusmodi exemplum

---

(a) De chirurg. operat. p. 119.

plum GESNERUS (*a*) excitat de juvene, quem poſt delapſas ab hæmorrhoidibus hirudines miniſtri inconſulto medico in ſolium vaporis impoſuerant: quo factum ut contumaci hæmorrhagia pene fuerit exanimatus. Sic & DURETI (β) mulieri, quæ prætumidas venas 5 ani habebat, admotæ ſunt cucurbitulæ, quarum vi 2 pintas profudit ſanguinis: fere incidit in hydropem.

4. *Locus* denique, cui apponere hirudines oportet, rite eſt determinandus, prout nempe intentio eſt, ſanguinem aut ex internis aut externis hæmorrhoidalibus vaſis eliciendi. Ubi varix protuberat, huic ipſi hirudo admovetur; at ubi nullo, conſpicuo venarum tumore præſente hirudo eſt adhibenda, RIOLANUS (*b*), præcipit, ut ad interna vaſa hæmorrhoidalia referanda hirudo verſus coccygem ac magis introrſum ad inteſtinum applicetur; ad latera vero podicis ac verſus perinæum & ſuperficietenus, ubi externa oportet vaſa hæmorrhoidalia deplere. Cautum tamen decet eſſe chirurgum ac providum, ne hirudo intimo ani limbo admota ipſum in anum ſeſe penetret, velut ZACUTUS

(*a*) Ex 3. dialogor. medic. MUNDELII p. 509.

(β) Schol. in HOLLER. l. c. p. m. 579.

(*b*) Anthropogr. l. c. Cap. 17.

rus (a) quartanario cuidam accidisse narrat, unde injecto cœparum succo semimortua est excreta. Enema ex aqua probe salsa tunc etiam proficuum foret.

5. *Regimen* post cohibitam hæmorrhagiam exigit, ut æger levi cibo & quiete aliquamdiu utatur; sic enim vasa vulnerata brevi sanantur; motu vero, acribusque assumtis & dura fece alvina facile iterum recrudescunt.

§. CXVII.

b) *Acies ferri* demum hirudinibus præfertur, quotiescunque vel celerius deplere turgentia vasa ani oportet, vel hirudo ad vacuationem hujusmodi præstandam est impar Quapropter incisionem vel scarificationem vel omnimodam etiam excissionem subinde exposcunt.

α. *Prolapsus ani* simul præsens atque ob tumorem hæmorrhoidalem partis elapsæ non reponendus, qui ut recte notat YOUNG (b), sese haud ante reponi sinit; quam vasis elapsa in parte turgentibus vel hirudine vel

(a) Medicor. Princip. histor. L. 1. Obs. 7. p. m. 24.

(b) L. c.

vel cultro depletis, & per admota dein ſtyptica minus ad volumen facile redigendis. Verum cum ani prolapſi celeri ſit opus repoſitione, lente vero hirudo depleat: liquet, cultro (ſi nil obſtet) tunc uti chirurgum oportere.

β. *Varix* grandis, vetus craſſa (*a*), præſertim hæmorrhois dicta ſaccata (*b*), grumoſo jam ſanguine referta, aut recens quidem adhuc, ſed atona, & ſtrangulata, nec Væ Sne, nec topicis ullis, nec internis perinde remediis diſſipanda. Vaſa enim ani tunc ad atoniam usque a ſanguine diſtenta ſe (utcunque vaſis aliis per Væ Snem vacuatis, & utcunque topicis, ad ſui contractionem exſtimulata) non amplius contrahere, ſanguinemque mora & quiete grumoſum factum nullatenus loco movere valenti idcirco neceſſaria eſt immediata horum vaſorum non tam per hirudines hic inefficaces, quam ferri acie apertura, ut educto grumoſo ſanguine ipſa ſeſe denuo contrahere valeant. Atque tunc „inciſio cauta, pro tuberculi „mole major vel minor, puncto livido ni„gro (loco nempe ubi grumus latet,) facta „integrum, evidentem grumo præbet exi„tum"

(*a*) Vide §. 114. Nro. 2.
(*b*) Vide §. 6. B. Nro 2. a). E.

„tum" inquit I. N. HUMBOURG (*a*). De recentibus adhuc varicibus I. A. BRAMBILLA (*b*) agens „hæmorrhoides (inquit) ſunt tubercu-„loſa venarum inteſtini recti a ſanguine ſpiſ-„ſo, lentoque dilatatio. Quando hæ venæ „a conſtrictione fibrarum circularium ſphin-„cteris ani permanente ſtrangulantur, vici-„nis in partibus, quas continuo irritant, in-„ſignem cauſant inflammationem cum tu-„more ac dolore, quæ vero facile abeunt, „ſi turgentia vaſa inciſione reſerentur, gru-„moſusque intus contentus cruor educatur. „Quodſi vero inflammatio ſit vehemens, „contumax, & ipſa etiam inciſione facta „non reſolvenda, tunc præter V.æ Sectionem „emollientibus quoque & anodynis topicis „opus eſt; rarius tamen accidit, ut non „ocyus poſt inciſionem, & exemtum ſangui-„nem coactum dolor, ac tenſio ceſſent." Et alibi (*c*) „ſæpe numero (ait) ad ægros „accerſebar, qui a conſtrictione ſphincteris „ani & preſſione ipſius ſanguinis in vaſa cu-„tanea varices hæmorrhoidales ovum æquan-„tes, lividas vel nigras, ſtrangulatas habe-„bant cum doloribus ſpasmodicis abdominis, „dy-

(*a*) Diſſ. Ergo hæmorrhoidi recenter tumidæ ſectio, non hirudo §. 13. p. 17.

(*b*) Von der Phlegmone 1. Th. 3. Cap. p. m. 29.

(*c*) Ibid. 2. Th. 6. Cap. 2. Beobacht. p. m. 134.

„dysuriaque, vel ischuria, febre, & in-
„flammatione. Totum illico tuberculum
„discidi, atque exemto inde grumoso san-
„guine dolores e vestigio; cetera vero sym-
„ptomata pedetentim evanuere; incisura au-
„tem mox, ad $\frac{2}{3}$ minuebatur, & intra pau-
„cos dies persanabatur. Cavendum tamen,
„ne vel minimum quid grumosi sanguinis
„incisa in varice relinquatur; moratur enim
„sanationem." Pulchre hæc aliorum obser-
„vatis confirmantur. I. HOLLERUS (*a*): „cui-
„dam nobili . . . cum in gravissimo renum
„dolore emingeret pus, sanguinem, & cras-
„sam pituitam, natura remedium ostenden-
„te, quia tumebat hæmorrhois, & aliis re-
„mediis non cedebat dolor, eo statim tem-
„pore jussi aperiri hæmorrhoidem; unde in-
„credibili celeritate dolor conquievit."
Idem G. H. VELSCHIUS (*b*) „vidit in viro
„nobili consistentis ætatis, cui tumebant in-
„signiter, & dolorem intolerabilem excita-
„bant. Huic extemplo scalpello apertæ sunt:
„unde præsentaneum auxilium sensit multo
„ichore cum pauco sanguine effuso. Chirur-
„gus mundificans ex melle rosaceo appli-
„cuit, deinde cerato diachalciteos cum oleo
„hyperici liquato consolidavit." Perinde
duo-

(*a*) De morbis intern. Schol. ad Cap. 55. p. m. 573.

(*b*) Obs. med. hecatost. 2. Obs. 98.

duobus in civibus cœcas hæmorrhoides graviter paſſis poſt præmiſſam Væ Snem in cubito ad immodicum ex ano fluxum præcavendum, inciſis FROMMANNI (*a*) juſſu varicibus ani, ſecutoque aliquo ſanguinis effluxu dolores confeſtim remiſerunt. Magis etiam alius ejusdem caſus neceſſitatem hujus inciſionis commonſtrat: vir gravem hæmorrhoidum cœcarum dolorem pilulis aloeticis, ſpecificis, narcoticisque ſumtis, ac litu adhibito ex ungu. populeo infrigidante, opio, &c. aliquatenus ſopiens, cum abhinc varicum crepaturam frictione lintei aſperi ſucco cœparum cum oleo amygdalarum amar. ſub cineribus aſſatarum imbuti procurare conaretur, dolores inde renati cum ſat amplo carnoſa in parte rubore eryſipelatode oborto. Accitus eapropter chirurgus varicum complurium tumidarum unam majorem, nuci moſchatæ æqualem, mollem, ac tactu vix dolentem lanceola aperit. Sanguis inde craſſius fibroſusque, & parum perolidus non niſi facta manu compreſſione poterat elici (manifeſto indicio, hunc talem nullis internis, externisque remediis diſcuti, reſolvique potuiſſe). Hoc educto & dolor tumorque ceterarum varicum inde remiſit, & copioſus abhinc e vulnere ſanguis ſanus ſponte erupit, ut cum fluxui illius plane cohi-

---

(*a*) L. c. P. 2. Probl. 26. p. 364. ſqq.

hibendo admota ſpongia chelidoniæ aqua & aceto imbuta non fuerit par, appoſito crepitu lupi fuerit ſiſtendus. Eryſipelatoſo illi rubori impoſitum molle linteum in calidos ſuccos chelidonii, fol. quercus, & ſempervivi minoris cum ſebi hircini, ac ceræ ſ. q. ad ignem miſtos intinctum cum levamine. Magis etiam iſtis momentoſus eſt caſus, quem F. L. BANG (*a*) & I. D. METZGERUS (*b*) referunt, nimirum plebejus adultus ſtricti habitus, hæmorrhoidum pathemata jam expertus, in Argentinenſi noſocomio æger decubuit ex morbo peripneumonici quid præſeferente; aderat enim fixus dextri lateris dolor cum pulſu celeri, & aliquatenus duro, æſtu, ſiti, tuſſi ac dyſpnœa, a perfrigeratione, ut videbatur, obortus. Facta Væ Sne data in biduum antiphlogiſtica ſine levamine. Morbus abhinc relicto pectore caput petens cauſavit delirium celeriter increſcens, & efferatum, atque ad omnia quæque præſidia adeo rebelle, ut ne intermiſerit quidem, ſed multo potius ſub ejus augmento excrementa ſponte abirent, motusque convulſivi in facie ſeſe exſererent; conclamata res jam omnibus viſa, ægro podicis nomen aſſiduo in ore habente; quod cum omnes

---

(*a*) Collect. med. Hafn. Vol. 1. Obſ. 6. p. 46.

(*b*) Adverſar. med. Part. 2. Specim. 2. Cap. 1. §. 2. p. 207. nota (n).

omnes agrestibus hominis moribus tribuerent, PEILL medici memoriam subiit, LEIDENFROSTIUM præceptorem olim inculcasse: non aspernandas esse delirorum voces, utcunque illæ viderentur incongruæ; quod ægri solerent iterato verbis eam corporis partem, quæ morbi est sedes, indicare. Et ecce! cum forte fortuna PEILL præsente tiro chirurgi enema injecturus ob insignem hæmorrhoidalem nodum fistulam ano indere nequiret, suspicari cœpit PEILL, num non morbus ab hæmorrhoidibus esset? Et vero aperta varice enema mox promte injectum & modico licet sanguine e vulnere elapso æger post pauca minuta mentem; sensimque etiam sanitatem recepit. Satis itaque speciminum necessitatem, utilitatemque ferro incidendarum hæmorrhoidum cœcarum recens e strangulatione dolentium, & nec sponte crepantium, nec ulla alia arte dissipandarum. Nihilo tamen secius sunt, qui cultro eas tangi prorsus vetant, quod lethales inde, aut certe vix cohibendæ sæpe hæmorrhagiæ & fistulæ ani non curabiles observatæ sint. Quantum ad fistulas, jam superius (*a*) ex LUDWIGIO vidimus, quid reponendum sit; nunc hæmorrhagias expendamus. DION. DACA (*b*) Hispanus chirurgus celeberrimus scri-

(*a*) Vide §. 115. Nro. 2.

(*b*) De Apostematib. L. 3. C. 43.

ſcribit JOANNEM Auſtriacum CAROLI V. Imp. filium, Ducem ſtrenuum hæmorrhoidibus laborantem admoto iis ex conſilio plurium medicorum ſcalpello, largaque inde oborta hæmorrhagia, nullis cohibenda auxiliis, intra 4 horas e vita migraſſe. Similem quoque caſum ZACUTO (*a*) debemus de robuſto quodam juvene ex haemorrhoidibus ſuppreſſis in melancholiam lapſo ad omnia quaeque rebellem; inter quae cum hirudines etiam ter ano incaſſum fuiſſent admotae, chirurgus craſſum ſanguinem promtius educturus lanceola venas ani aperit. At ſectione vix facta oboritur haemorrhagia nullis remediis, nec ipſo etiam cauterio ſiſtenda, donec viribus cum ſanguine exhauſtis miſer juvenis exſtinctus eſt. Huc quoque referendus eſt I. A HÜNNERWOLFFII (*b*) pellio bilioſae temperiei, cui cum ante ſtatis temporibus haemorrhois procederet, & ſi quando ex errore in victu intumeſceret, fluxum impoſitis ficubus cum melle roſato contuſis & ſubjuncta pannis aſperis frictione provocare ſolitus eſſet, accedens aliquando ita tumentibus venis abſque fluxu chirurgus eas phlebotomo incidit. Verum immodicus inde fluxus ortus cum aſſiduo dolore, proſtratione virium,

(*a*) L. c. Obſ. 40. p. m. 330. & Prax. med. admir. L. 3. Obſ. 59.

(*b*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 1. Obſ. 119.

rium, ac vigiliis. Admotis vero ſtypticis vulnus inhibita haemorrhagia in ſordidam abibat ani fiſtulam, cui tandem horrenda ſupervenit epilepſia quotidiana vix 3 horarum inducias concedens, hominemque tandem extenuatum necans. Nunquid ergo ſatis tuta varicum cultro inciſio? Imo maxime! nihil enim haec infortunia probant aliud, quam quod inciſio facta ſit, vel ubi fieri non debuit, vel certe prava methodo. Nam in DACAE caſu vel non fuere varices ſtrangulatae, vel plures inciſiones (dum una ſuffeciſſet) factae exitio fuere (*a*). Idem etiam de reliquis valet, praeſertim de ultimo, ubi phlebotomo vulnus juſto altius fuiſſe debuit, cum tantos poſt ſe dolores, & ulcus traxerit. Alioquin enim id genus infortunia nullatenus conſequi experti ſunt medici Vratislavienſes (*b*) ſcribentes: „ubi . . . diſcuſſio „obtineri non poterat, aliquoties tumores „hi aperiendi fuerunt . . . Et ſane ex iſta „apertione ope lanceolae perpetrata nec hae- „morrhagias nimias, nec fiſtulas conſecutas „meminimus, ac ſane . . . ferro magis, „quam hirudinibus . . . negotium perpe- „traudum eſſe opinamur.“ Haud tamen inficiandum eſt, puncturam tantum varicis (ut in

(*a*) Mediciniſche Anecdot. 2. Th. Nro. 14 p. 48.

(*b*) Hiſtor. morbor. Vratisl. A. 1700. p. m. 172.

in crurum quoque varicibus dolentibus deplendis aliquando factitatur) praeferendum interdum esse latiori ejusdem incisioni, praesertim ubi a majore vulnere metus imminet haemorrhagiae. Atque de hac fere M. A. SEVERINUS (*a*) sola loquitur „haemo„rrhoides (inquiens) compungi multi sangui„nis affluxu distentas novum non est, sed „saepe tum a peritis medicis, tum a vulga„ribus usitatum.“ Quid autem cum haemorrhoidibus illis internis grandioribus, quas THEDEN saccatas (*b*) vocat, agendum? Istae nullam aliam requirunt sanationem, quam omnimodam excisionem, quae operatio THEDENIO (*c*) teste multo minoris est negotii, quam incisio tuberculorum externorum. „Vidi, narrat idem (*d*), virum pror„sus cacheticum cum assiduis incommodis „febrilibus, anxietate pectoris, & anorexia. „Peritissimi medici causam nequibant assequi. „Dato cathartico antiphlogistico egressae hae„morrhoides. Inspecto ano apparuit varix „juglandem magna, quae ex intestino recto „protrusa minus quam coecae, quarum ali„quot majus pisum aequantes ad anum erant, „dolo-

(*a*) L. c. paracenth. Cap. 17. p. m. 74.

(*b*) Vide §. 6. B. Nro. 2. a) E.

(*c*) L. c. p. 62.

(*d*) Ibidem p. 60.

„dolorifica, ſed rubra tantum ac velut in-
„flammata. Decreta exciſione ſaccus for-
„cipe attractus forfice abſcinditur; quo vix
„ablato ſimilis alius erupit pugnum magnus,
„perinde etiam exciſus. Injectum deinde
„ter quotidie decoctum vulnerarium ▽a mea
„Arquebuſada remixtum; interne datae
„MRæ temperantes. Nox longum, placi-
„diſſimumque ſomnum attulit, qualem aeger
„per ſemeſtre ante nunquam habuit. Ab-
„hinc vero pedetentim ex integro conva-
„luit." Alter (*a*) miles 50 annorum omnia
eadem incommoda nullis remediis internis
ſopienda perpetiebatur, ex quo haemorrhoi-
des ante ſub quavis dejectione fluere ſolitae
ab aliquo tempore ſubſtitiſſent. In ano in-
ſpecto nil repertum; ſed a cathartico ex ⊖e
mirabili vehementer alvum ciente emerſe-
runt 3 ſacci, duo avellanam, juglandem
nucem unus aequans. His forfice ablatis in-
jecta ▽a vegeto-mineralis cum magno do-
lorum lenimine, atque abhinc ex toto me-
lius habuit. Haud ſecius (*b*) unus amicorum
Auctoris e nimia ſanguinis per haemorrhoi-
des quotidie profuſiſſime fluentes jactura
amiſſis omnibus viribus perquam cachecti-
cus lente febricitabat nihil ullis proficienti-
bus remediis. Ano inſpecto ſaccus prorſus
callo-

(*a*) Ibidem p. 61.

(*b*) Ibidem.

callosus ½ pugni magnitudine inde cum variis parvis sacculis protuberabat, & a dato cathartico alter ejusdem molis perindeque callosus egressus est, qui ambo excisi sunt. Ita etiam I. L. SCHMUCKER (*a*) accitus ad magnatem tria tubera hæmorrhoidalia, quorum unum pugno aequale fuit, habentem & a triduo jam alvo, somnoque carentem summisque excruciatum doloribus, eum mensæ impositum diductis ab alio natibus jussit fortes nixus velut ad desidendum edere, queis tubera magis tendebantur. Maximæ illarum primum incisæ tunicæ ½ pollicem crassæ erant, cavumque tam capax, ut digitum indicem commode admiserit; unde elapso plurimo sanguine atro, spissoque eavum collapsum est. Quo facto tunicæ utrinque forfice ablatæ. Idem etiam cum reliquis duobus factum. Abhinc ocyus nova duo tubera ex ano erupere, quorum majus juglandem nucem æquabat: hæc quoque eadem methodo ablata. Omnis hæmorrhagia vix ℥viij erat. Externe igitur admota Splenia ▽a frigida imbuta; interne datæ doses aliquot ⊖ GLAUBERI. Operatio vesperi peracta, noctu placidum attulit somnum, alvusque sponte soluta est. Postero mane injectio ▽æ frigidæ in anum imperata, & vulneribus admotum ope penicilli & linteo car-

(*a*) L. c. p. 109. sq.

carpto unguentum lithargyr. illa intra aliquot dies perſanavit. Modum hunc varices hæmorrhoidum internarum exſcindendi jam multo ante docuerat H. F. LEDRAN (*a*) conſultus pro viro, cui ultra ſemeſtre jam interna recti inteſtini tunica ex ano egreſſa formabat fimbriam circularem (ſarciminoſam) 2 pollicum, ultra quam ſurſum 6 tubercula hæmorrhoidalia, acinos paſſularum æquantia, ſedebant obdurata, margine ani admodum ſimul relaxato: ut idcirco æger elapſam partem ſine difficultate reponere poſſet, perinde facile iterum elapſuram, dolor quidem aberat; ſed ob quotidianum partis exeuntis incrementum æger multum inde moleſtiæ perferebat. Reſpondit Auctor, poſt præmiſſam aliquot dierum diætam non nimis ſeveram & unum alterumve catharticum tubercula aliud ex alio eſſe exſcindenda proxime tunicam internam inteſtini, cui inſidebant, at illæſa illa fimbria; hæmorrhagiam etſi levem cohibendam eſſe turunda a linteo carpto, magna, in aquam ſtypticam intincta, denuoque expreſſa, vulneri impoſita, & ſub ipſa elapſae partis repoſitione ſimul in anum intruſa, filo tamen extra anum pendulo firmata, ut educi queat, nec ſeſe altius ad inteſtina recipiat. Orituram a ſtyptica aqua leviſſimam in vulneribus cruſtam, quæ appli-

(*a*) Chirurgiſche Gutachten p. 188. ſqq.

plicatis ope laxae ex linteo carpto turundae vulgaribus digestivis brevi secessura sit. Fore etiam, ut a suppuratione tumida interna tunica, ante operationem irritata, dejectionis tempore aliquid patiatur. Si fimbria non illico post operationem tota reduci posset, reductum iri indubie 2do vel 3tio post deligationem die. Post octidui per digestiva suppurationem injectiones in anum vulnerarias m. & v. imperavit. Ut autem interna tunica relaxata sensim iterum pristinum situm, tonumque recuperet, opus esse quiete in lecto minimum in 3 hebdomadas; quod sub horizontali situ intestinum rectum se ipsum non premat, humoresque liberius fluant, quem situm etiam anus imus relaxatus exposceret. Porro quo certius tonum hunc tunica recipiat, m. & v. injectiones stypticas præscripsit, ut simul iis collecta fex molliatur, dum interea cibi liquidi tantum concessi collectionem illius praepediunt. Tandem subdit Auctor se hujus methodi efficaciam experientia didicisse. Consulebatur etiam (*a*) pro alio viro 40 annorum a longo tempore haemorrhoidibus abnoxio, quae nunquam alias, nisi sub dejectione duris a scybalis compressae, sanguinem fundebant, sub alvi nixibus foras semper protrusae, posteaque vix intra horam intro sese recipientes. Malum hoc in dies ingravescebat. Erant autem 5 varices cerasa aequantes, internae recti tunicae

(*a*) Ibidem p. 192. sq.

nicae fat ampla bafi, firmiterque inhaerentes; his aliae 6 acinis paffularum aequales erant intermiftae : omnes autem fimul fumtae magnitudine pomum mediocre exaequabant, cinctae plica ex interna tunica coronae in formam redacta. Aeger cetera fanus. Huic quoque repofuit Auctor, nullam hic aliam medelam profuturam præter omnium varicum excifionem priore in cafu cum adnexa curatione defcriptam. Cum autem inter exfcindendum indubie aliquae varices futurae effent, e quibus ab arteria illuc eunte fanguis profiliat, ocyus fplenium ▽æ RABELLII intinctum, digitoque per ⅛ horam appreffum firmiter teneri juffit; ceteris vero tantummodo ftillantibus turundam magnam e linteo carpto aquæ lenius adftringenti intinctam, rurfusque expreffam imponi, & quoad ejus fieri poffet, omnia iterum reponi juffit; licet faepe nonnifi pars poffet reponi. Poft mediam horam omnia iterum eximi poffe, folamque turundam (ut in priori cafu) adhiberi. Non obftante cautela hac perdi aliquid fanguinis, qui in rectum inteftinum redit; cafus enim fibi obtigiffe, ubi aeger ad 3 vafcula pro Væ Sne adhiberi folita fanguinis amifit, poftquam oborti borborygmi eum ad defidendum urfiffent. Hoc in cafu omnem deligationem fecedere, omniaque fimul ano exire, novaque proinde turunda ut ante indita oriri cruftam, quae haemorrhagiam fiftat. His factis ulteriorem curationem uti priori in cafu fieri. Hisce jam univerfim expenfis non usque adeo videtur neceffaria

cau-

cautela, quam GOULARD (a) ſimili in operatione inculcat. Meminit ille theologi internas haemorrhoides paſſi, quae ſub quavis dejectione foras protruſae plurimum ei moleſtiae cum in egreſſu tum in reditu in anum facescebant, donec urgente malo operationi ſe ſubjecit. Auctor voluminoſiſſimam molem haemorrhoidum foras egreſſarum ac manu prehenſarum aliquanto plus quam dimidiam excidit, intactis reliquis, quod ab experientia certum eſſet, ablatis ſimul ac ſemel in toto ani ambitu varicibus cicatricem per arctam, curatuque difficilem ſtercori iter velut ſtrangulatu praecludere, id quod ſaepius ipſe obſervaſſet: contra ea nihil ab relictis varicibus integris metuendum eſſe; ut quae ſanguine ſponte evacuato flaccescant, quo facilior evadit & deligatio & immiſſio turundae factae compluribus e laciniis lineis, fasciae decuſſatae ſuper vulneratis partibus affixis. Finita operatione deligatus aeger bihorio inde poſt adeo ad deſidendum urgebatur, ut apparatus fuerit demendus, & hæmorrhagia ſupervenerit, periculoſa futura, niſi Auctor adveniens eam compescuiſſet; ſed abhinc rite deligatus aeger ſenſim convaluit. Plurisne eſt cautela HIPPOCRATIS (b) varices

(a) Traité ſur les Effets des Præparations de Plomb &c. T. I. Chap. 10. p. 227. ſqq.

(b) L. de hæmorrhoidib. Opp. FOES T. I. p. 892. ſq.

varices id genus non radicitus usque exſcindi, ſed extrema tantum illarum praecidi jubentis? „Foras educta quam maxime ſedes „(inquit ille) calida perfunditur, tum vena„rum ſanguinem fundentium extrema prae„ciduntur. Hoc vero medicamentum antea „praeparatum ad ſectionem habere oportet: „urina in vas aeneum immiſſa, flos æris „uſtus optime laevigatus inſpergitur, tum „vaſe agitato maceratur, & in ſole ſiccatur; „ſiccatum eraditur, teritur, & laevigatur; „ano admovetur; ſpongiaque ſuperimpoſita „deligatur.“ Perſundit nempe anum aqua calida, ut dolorem leniat; praeciſis varicibus pharmacum applicat valide ſiccans, & ſubadſtringens, quod & vaſa contrahit, & haemorrhagiam cohibet: Oleum denique ad leniendum valet dolorem, & inflammationem prohibendam. Spongia omnia in ſitu retinet. Atque haec de ferro haemorrhoidibus admovendo.

§. CXVIII.

c) *Vicaria ferri, hirudinum* in aegris utrumque horrentibus eſt varicum *frictio* rebus aſperis, vel *Compunctio* rebus aculeatis peracta; imo ambo haec in eo videntur convenire, quod minimum tantum hiatum puncti inſtar in varice efficiant citra inſignis inde haemorrhagiae diſcrimen, ut ex HÜNER-

 WOL-

WOLFEII (*a*) casu æstimari potest. Compunctioni autem faciendæ optime deserviunt vel hystricis Americanæ aculei, vel hamulosum dypsaci pericarpium, de quo M. A. SEVERINUS (*b*) „Sic ubi scalprum (ait) asperius videatur (præsertim pueris, mulieribus, uno „verbo molli huic toti generi); tum omisso „ferro capietur hamulosum pericarpium dyp„saci cardui illius, quem vulgo nominant „Cardo, Septembri mense collectum . . . ad „illud globuli plumbi frustulum accommoda„bis, quo certius impelli possit; sic particu„lam feries humore, quanto sit opus, ex„hausto. Tuto autem modicam hanc rem in„ferri testificatus experimento fuit Rev. sa„cerdos A. LOMBARDUS, qui non alio sane „modo multis abhinc annis turgentium hæ„morrhoidum dolorem sibimet ipse lenire con„suevit.“ Ad frictionem autem varicum, qua tunicæ illarum extenuari sensim usque ad crepaturam possint, vel maxime idoneæ sunt res planæ, & aspera superficie præditæ, cujusmodi præsertim est *charta bibula* rudior, quam A. STÖRCKIUS (*c*) consuluit, vel *panni asperi*, vel *folia ficus*, &c. Interea tamen ante similium applicationem monente P. FO-

RESTO

(*a*) Vide §. præced. β)

(*b*) L. c.

(*c*) Medic. pract. Unterricht. 2. Th. p. 29.

RESTO (*a*) hæmorrhoidum varices erunt „prius „emolliendæ balneis, unctionibus, empla„ſtris emollientibus, & ita molliores reddi„tæ aperiendæ frictione aſpera . . . foliis „ficum.“ &c. Sed & id cavendum, ne in varicibus inflammatis, aut nimium dolentibus frictio fiat; quippe quæ utrumque hoc ſymptoma exacerbet, ut id expertus eſt FROMMANNI (*b*) æger.

CAPUT II.

E N E M A T A.

B A L A N I.

§. LXXIX.

II. ENEMATA ampliſſimi in hæmorrhoidalibus malis uſus alterum ſibi a ſanguinis miſſione locum vindicant, eaque pro varietate indicationis varia indole prædita: hinc

1. *Emollientia* aquoſa, mucilaginoſa, oleoſa adhibenda, ubi ſicca inteſtina humectanda vel ſpaſmo conſtricta relaxanda, dolores

(*a*) L. c. Schol. ad Obſ. 6.

(*b*) Vide §. 117. β).

res leniendi, fex dura mollienda, & lubricanda. &c. Recte utique obſervat LUDWIG (*a*), in cœcis hæmorrhoidibus non tam ad plethoram quam ſiccitatem inteſtinorum, ac fecum eſſe attendendum; ſiquidem cum ob languentem vel vitioſam hæmatopoieſin. lentor in ſanguine naſcatur, vel pituitoſus vel ſæpiſſime atrabiliarius ad ſecretiones ineptus, minus ibidem ſecernatur humorum inteſtina humectantium ac lubricantium, fecemque mollem ſervantium: quapropter & inteſtina & ſcybala ſicciora facta venas premendo cauſabunt hæmorrhoides. Unde (*b*) in „corrigenda ſiccitate inteſtini recti tanquam primarii ſymptomatis initium faciendum eſt. „Quæ medendi ratio etſi palliativa eſt, viam „tamen pandit ad reliquas indicationes rectius „exſequendas. Efficitur vero humectatio cly„ſmatibus, iisque reiteratis; quoniam primæ „injectiones ut plurimum magis lædunt; quam „juvant. Sed ſi ſaburra inteſtinorum craſſo„rum his quodam modo mota & emollita eſt, „facile ſuccedit alvi ductio per leniora ⊖na, „& mannata, quæ antea purgantibus fortiori„bus & reſinoſis effici non poterat." Multum huic methodo MORGAGNI (*c*) tribuit: „quod „ſi . . . æquo durior (inquit ille) eſſe alvus „per-

---

(*a*) L. c. p. 393.
(*b*) Ibidem p. 395.
(*c*) L. c. Nro. 11.

„pergat, neque usus crebrior adjuvet molli-„entium ciborum, nulli alii subsidium il-„lud postpones, ne hæmorrhoides ob nixus „oriantur, quo claros medicos uti video, ne „ortæ, sint adeo inter nitendum molestæ. „Injiciunt hi ante dejectionem unciam lenis „cujuspiam olei, inprimisque seminum lini: „quo nos quoque cum duriora recrementa „mollienda sunt, imumque intestinum lubri-„candum, sæpe uti, ac feliciter consuevimus „eodem fere pondere, aut certe non multo „majori, ne continuo refluat, imo ut diu-„tius retineatur; quamquam sic olivarum „quoque oleum interdum præscripsimus ab eo „usque tempore, quo narrabat RAMAZZI-„NUS, in puerpera matrona 7 jam dies nil „dejiciente, cum multa, ac varia nihil pro-„ficerent, rediisse in memoriam, quod le-„gisse dicebat (si recte memini) apud M. RU-„LANDUM, ut binas horis singulis uncias com-„munis olei injiciendas curaret, eaque ratio-„ne alvum solvisse." Quantum porro etiam enemata mollissima ad pacandos ab hæmo-rrhoidibus cœcis dolores valeant, documento est observatio D. GRÜGERI (*a*) de viro into-lerabilem intestini recti dolorem ex hæmo-rrhoidibus passo, nullis expugnandum reme-diis, donec tandem injecto enemate ex de-cocti malvæ ℔j, & olei popul. Augustan. ℥v,

(*a*) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 2. Obs. 197.

℥v. non levamen modo; ſed demum etiam hæmorrhoidum ulceroſarum ſanatio eſt obtenta. Plurimum quoque id genus enemata conferunt ad immodicum hæmorrhoidum fluxum ex acrimonia vel nimia irritabilitate ortum compeſcendum. DE LA METRIE (*a*) narrat hypochondriacum laboraſſe obſtructione hepatis, crurum oedemate, tantoque hæmorrhoidum fluxu, ut quotidie fere ea copia ſanguinem, qua Væ Sne demi ſolet, egeſſerit: unde admodum debilitabatur. Facta igitur Væ Sne inſiſtebatur uſui enematum ex lacte aſinino, queis hæmorrhagia ſenſim cohibebatur. Tandem deventum adpotum aquarum mineralium S. JOANNIS (vicus eſt a S. MALO leucam diſtans), & demum ad equitationem diutinam. His præſidiis ad priſtinam rediit valetudinem.

2. *Anodyna* etiam quandoque acri dolori urgenti ſunt opponenda, in queis præter emollientia jam dicta etiam leniſſima nervos pacantia locum habent; cujusmodi vel maxime ſunt olea illa infuſa cum herbis antiſpasmodicis chamomilla, viola, &c. Sic apud R. DODONAEUM (*b*) „viro cuidam cœcæ, ac inter„næ hæmorrhoides moleſtæ erant. Medicus „enemata adhibuerat, quibus ſalem, & hie„ram

(*a*) L. c. Obſ. 36. p. 104,

(*b*) Obſ. med. Cap. 50.

„ram picram admiſcuerat: hinc dolor, & in-„flammatio adeo intenſa, ut non minus; quam „hæmorrhoidum labor, urinæ quoque mole-„ſtum eſſet ſtillicidium, & cui prius remedi-„um adhibendum, foret, in deliberationem ca-„deret. Huic autem mox olei violacei uncia „in anum injecta benefecit, dolore primum „hæmorrhoidum, deinde & veſicæ levato. Eo-„dem vero poſtea aliquoties impoſito omnis „dolor cito conquievit."

3. *Eccoprotica* vero cum emollientibus injecta, quod non feces modo educant, ſed & vaſa infarcta aliquatenus depleant, graviſſimos ſæpe dolores ſedant, cujus rei exemplum præbet E. GOCKELIUS (*a*): puerpera 30 annis major, a laborioſo partu nacta eſt hæmorrhoidalem varicem fabæ; vel avellanæ magnitudine, inflammatam cum tanto dolore, ut præ illo anxia vix ſpirans in lecto ſeſe huc illuc volutarit. Lochia varii erant coloris. Imperata ergo idonea diæta; ſequens parti dolenti admotum remedium:

℞. Unqu. de linar. ℥j.
— liquirit. ℥ß.
Olei Maſtichin.
— ovor. āā ʒjß. M.

Hocce

(*a*) Gallicin. med. pract. Cent. 1. Conſil. 8. p. 32.

Hocce non ſatis levante adhibitum aliud:

℞. Unqu. infrigid. GALEN.
— de litharg. āā ℥ß.
Olei ovor. ʒj. M.

Ano, intra quem maximus erat dolor; indita turunda ex goſſypio oleo ovor. calido intincta, deſuperque unguentum anodynum ſuper linteolis applicatum. Sed nec his ex toto juvantibus injectum demum enema:

℞. Lactis vaccini ℥vj.
Sacchari Thomæi
Mell. roſar. ſolut. āā ℥jß.
Vitell. ovor. No ij. M. F. clyſma.

Hoc protinus dolorem, & inflammationem ſuſtulit, & revertentem 3tia abhinc die dolorem rurſus abegit. In prophylaxim, indicante præſertim lotio craſſo, ac turbido, borborygmisque torminoſis, deinceps datum eccoproticum:

℞. Fol. Senn. Alex. S. S. ʒij.
Crem ♀ri
Rhei elect. āā ʒß.
▽æ ceraſ. nigr. ℥iij. Poſt lenem ebul. in colat. diſſolve
Mannæ Calabr. granulat. ℥jß. F. potio.

Sexies

Sexies inde, facileque dejecit cum totius corporis alleviatione, morbusque omnis inde conquievit.

4. *Tonica* enemata ex roborantibus, & adſtringentibus parata, ubi laxitas inteſtini recti varices vel fluxum cauſat, fovetque ſummi, ſæpe ſunt uſus, & nimio in fluxu compeſcendo quantum poſſint, cum CORNARII (*a*) æger eſt expertus, tum etiam H. SMETII (*b*) caſus teſtatur: „viro nobili quadragenario a multis „difficilibus, longisque morbis reſtituto nu„per admodum copioſus ab alvo ſanguis flue„bat, ut intra ſecundum diem 6 ℔ pondera„les adæquaret .... Revulſionem frictione, „atque ligatura brachiorum fieri jubeo una cum „rerum adſtringentium per ſuperiora ſumtione. „Poſtridie ad ægrum accerſitus circumſtan„tiis examinatis hæmorrhoidem balani ex con„creto melle ſuppoſiti uſu in recto inteſtino „recluſam deprehendo. Sanguis enim ſince„rus, incontaminatus, grumoſus, flavescens „(non nigricans, qualis ab ani venis prodire „ſolet) frequentiſſime excernebatur, ut ſe„ſqui die plures quam 30 puri ſanguinis excre„tiones decederent; quin etiam tandem ſyn„cope cum vomitu multo corripiebat. Depre„henſo loco affecto medicamentum emplaſticum

(*a*) Vide §. 95. d).
(*b*) Miſcell. med. L. 4. Epiſtol. 9. p. 222.

„cum cum adſtrictione modica injici manda-
„bam, leniſſime tamen, ne inteſtinum rectum
„præterveheretur. Quo facto ſuaviſſime to-
„tam noctem quiescebat æger, nulla excre-
„tione ſollicitatus. Poſtridie reddebat infu-
„ſum cum fecibus compactis nulla ſanguinis
„nota apparente, ſurgebat, ambulabat, redi-
„bat ad conſueta munia." Perinde P. SPIND-
LERI (*a*) figulus poſt enormem aliquot heb-
domadum dolorem lumbarem, incidit in co-
licam cum inſigni, continuoque vomitu. His
ſumta aqua laxativa remittentibus ſucceſſit
fluxus ex alvo ſanguinis floridiſſimi tantus,
ut per 24 horas ultra ℔ 12 ad 14 egeſſerit,
præcedente quamlibet dejectionem tolerabili
colica, moxque iterum ceſſante. Juncta erat
febris cum pulſu celeri & primis fluxus horis
ſatis vehementi, dein vires omnino proſter-
nebantur. Facta initio Væ So, injectæ liga-
turæ, victus imperatus refrigerans & adſtrin-
gens, data medicamenta in dyſenteriis, &
hæmorrhagiis probatiſſima; etiam narcotica;
ſed omnia incaſſum: donec unica vice injectus
clyſter A. SALAE in dyſenteria decantatus cum
conſolidæ majoris radice præparatus fluxum
velut incantamento ſtitiſſet. Sine ullo alio
remedio æger convaluit, nunquam deinceps
ſimile quid paſſus. Haud minor eſt enematum
tonicorum neceſſitas poſt ſaccatarum hæmo-
rrhoi-

(*a*) Obſ. med. 44.

rrhoidum excifionem ad venas conftringendas, recidivasque præcavendas; atque hocce in cafu nil efficacius eft injectione aquæ frigidæ. I. L. SCHMUCKER (*a*) poft faccatas varices dicto modo depletas injici juffit „fi illæ intra „anum latebant, jamque collapfæ funt, quo-„tidie m. & v. enema ▽æ perfrigidæ; fic „etiam atonæ partes iterum contrahuntur, „ardor fub dejectione evanescit; circulatio „hisce in partibus denuo rite procedit, & „recidivæ ita præcaventur. Hunc in finem „ferviet ftannea Syrinx, circiter vafculi choc-„coladæ capax. Multi fimili in ftatu meum „(ait) fecuti confilium ex injecta in anum „quotidie femel aut bis hac aquæ quantitate „optime fefe habent; imo complures adftri-„ctam affiduo alvum (fymptoma hypochondri-„acis vel maxime, ac hyftericis familiare) ex-„perti etiam ab hac liberati alvum rite, & „fine moleftia excernunt.“ Plurimum fane ab his enematibus illius magnas (*b*) eft lucratus.

5. *Acria* denique etiam enemata interdum locum habent, inprimis ubi fuppreffus hæmorrhoidum fluxus eft revocandus. Ita I.

S.

(*a*) L. c. p. 108. fq.

(*b*) Vide §. 117. β).

S. ALBRECHTI (*a*) „vidua ſexagenaria phle-„gmone utriusque femoris afficiebatur, ex „qua aſthmatica fiebat, utpote cui affectui, „alias erat obnoxia; aſthma autem poſt inſe-„cutum tumorem oedematoſum utriusque pe-„dis mitigabatur, quo diſcuſſo dyſpnoea re-„diit, hocque modo unus affectus alterum „aliquoties alternatim excepit tamdiu, donec „hæmorrhoides copioſe quidem, aſt doloroſe „fluentes erumperent; a quibus poſtea melius „ſe habere cœpit, qualem eruptionem clyſte-„rum acriorum uſus multum juvabat.“ Haud ſegnius F. HOFFMANNI (*b*) viduæ 50 annum egreſſæ ob lautam, otioſamque vitam obeſæ, humorumque plenæ ante 8 annos cum catameniis hæmorrhoides etiam fluxere. Inde cum ſemel tantum, ex quo menſes prorſus deſiere, venam ſecuiſſet, diu jam laſſam, languidamque ſe ſentiens tandem circa æquinoctium autumnale in grave incidit coma cum omnium ſenſuum abolitione nulla inde arte excitanda, donec poſt phlebotomiam in pede copioſus fontanæ frigidæ potus quavis hora ad aliquot uncias datus fuiſſet. Exhauſtis ſic intra biduum 5 vel 6 ejus menſuris poſt injectum enema ſtimulans ingens vis ſanguinis craſſi primum, dein tenuioris alvo exiit,

(*a*) Commerc. Nor. T. 7. A. 1737. hebd. 44. p. 347.

(*b*) L. c. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. Obſ. 6.

iit, ut intra 24 horas plus quam 5 mensuræ profluxerint. Ex eo illico ad se rediit ægra, sopor discussus, collectæ pedetentim vires, datisque analepticis leniter adstringentibus, injecto etiam clysmate ex pura aqua frigida, pauca tamen, belle convaluit.

§. CXX.

Cautelæ tamen in clysmatum administratione aliquæ interdum tenendæ sunt, nempe ubi tantummodo ratione intestini recti affecti injiciuntur, opera danda est, ut non isto prætervecto altius in tubum intestinalem perveniant; sed intra rectum subsistant, & ut quam diutissime ibidem morentur. Quocirca

1. *Injectio lenissima* instituatur; ne fluidum concitatius immissum ultra intestinum rectum altius provehatur. Sollicite id observatum fuit in viro SMETII (*a*).

2. *Copia* liquidi esto parva, ne pondere suo alvum cieat. Uncia olei satis visa est MORGAGNIO (*b*), suffecitque DODONAEI (*c*) viro,

---

(*a*) Vide §. præced. Nro. 4.

(*b*) Ibidem Nro. 1.

(*c*) Ibidem Nro. 2.

viro, aquæ non plus injecit SCHMUCKER (*a*), quam quantum choccoladæ capit vaſculum.

3. *Irritatio* ani a fiſtula clyſteris ſollicite cavenda eſt præſente inflammatione, & acerrimo dolore cum tumore anum omnino præſtruente; facile enim gangræna inde letalis conſequitur. Sic apud ZACUTUM (*b*) „cuidam „ex cœcis hæmorrhoidibus laboranti, cum „præ illarum tumore anus eſſet clauſus, & „multis diebus . . . non dejiceret, injecto a „quodam inſcio clyſtere ita hæmorrhoidales „venæ ſunt dilaceratæ, ut ob dolorem, & „affluxum humorum tota inflammata parte „ſphacelata . . . biduo vitam cum morte „commutaverit." Perinde referente in PEREISKII vita GASSENDO (*c*) hoc ipſum infortunium magno iſti litteratorum mœcenati eadem ex cauſa accidit.

§. CXXI.

BALANI enematum vicarii ſunt: proinde ejusdem quoque indolis ſint oportet, nimirum vel emollientes, vel anodyni, vel eccoprotici, vel tonici, vel acres ſtimulantes, prout

---

(*a*) Ibidem Nro. 4.

(*b*) Prax. med. admirab. L. 3. Obſ. 137.

(*c*) Lib. 4. p. 158.

prout hos, vel illos necessitas exegerit. Emollientes & anodyni ex sebo vel butyro frigore durato optime parantur, præsertim vero *butyrum cacao* mire se hic commendat: hinc I. C. STUNZER (*a*) ad hæmorrhoidales dolores, & ardores compescendos non abs re commendat balanum ex butyro cacao m. & v. indendum. AMATI (*b*) Romana uteri prolapsum, & hæmorrhoidum dolorem passa, post frustra adhibita remedia selecta demum balano e sebo hircino cum opio indito dolorem fugavit, quin amplius reversus fuerit, præsertim subjuncto ad partem affectam fotu calido roborante. Si vero acribus pro fluxu suppresso revocando sit opus, varia scopo hoc adhiberi possunt: „quidam, inquit FROM-„MANNUS (*c*), alumine suppositorii loco so-„lum usurpato fluxum concitarunt; idem „præstat radix ireos recens, vel raphani, „vel betæ, vel brassicæ in formam supposi-„torii secta, molliore aut lana aut bombacis „floculo circumducta, atque intincta in felle, „vel si acrimonia metuatur, in oleo irino, „& subdita. Radix quoque cyclaminis re-„cens, item cœpæ vel allii bulbus detracto „cortice externo intrusus idem efficit. Ex „sapone

(*a*) L. c. p. 78.

(*b*) L. c. Cent. 2. curat. 91.

(*c*) L. c. P. 3. Probl. 31. Nro. 4. p. 403.

„ſapone albo recenter parari etiam poteſt
„glans, oleoque irino tincta ano immitti.
„Vel

℞. Mellis q. ſ. coqu. & inter coquendum
adde
Aloes opt. ℈ij.
Hellebori. nigr. pulv. ℈ß.
Succi mercurial. parum.

„F. l. a. ſuppoſitorium. Vel

℞. Amygdalar. amar. ʒij.
Pulpæ colocynthid.
Folior. rutæ āā ʒj.
Croci ʒß. Cum
Medulla cervi, & exigua
Bdellii in vino diſſoluti aut
Myrrhæ quantitate fiant glandes

„oblongæ, immittantur." Tenendum autem apprime, balanos & enemata haud ita per omnia inter ſe convenire, ut ſine diſcrimine unum alteri ſuffici poſſit; enimvero eſt, ubi balani melius in rem quadrent; alias vero enema.

CAPUT

CAPUT III.

T O P I C A.

§. CXXII.

III. Topica etiam remedia, quoniam manibus accessus affectam ad partem datur, utilissime sæpenumero forma fumi, vaporis, litus, fotus, turundæ, cerati, &c. adhibentur, præprimis vero ad hæmorrhoides aut sine fluxu tumentes, aut fluentes etiam. Cum autem varius hæmorrhoidum in tumorem elevatarum status esse possit; ita ut tumor vel recens, criticus, symptomaticusve, & indolens aut dolorificus, præsertim ex inflammatione, sit, vel pus collegerit, vel in gangrænam degenerarit, &c. satis intelligitur; topica quoque pro vario id genus statu varia esse oportere. Ex innumerabili prope eorundem serie probatissima tantum & in suas quæque redacta classes hic referam, ne reliqua farragine vel paginas inutiliter impleam, vel memoriam tironum obruam. Ac primum quidem occurrunt,

§. CXXIII.

A. *Æmollientia*, quæ exigit cœcarum immanis dolor, vel inflammatio, vel suppuratio occipiens, vel ubi fluxum obtinere satagimus;

gimus, ut ab iis laxata magis ani vaſa plus recipiant ſanguinis, & ab eo facilius crepent, &c. Indolentibus tamen ac præſertim inflammatis id de emollientibus notabis, addenda ſemper illis eſſe lenia vel anodyna, vel diſcutientia, & haud diu eorundem uſui eſſe inſiſtendum; ne ſecus aut laxitas vaſorum ani morbum fovens adaugeatur, aut etiam inflammatio in ſuppurationem abeat, indeque ulcera ani fiſtuloſa oriantur. Recte idcirco experti monent Practici, ut remittentibus dolore, tumore, rubore, febre, &c. ocyus diſcutientia in locum emollientium ſufficiantur. Emollientia porro triplicis fere ſunt generis, videlicet:

§. CXXIV.

1. *Aquoſa* tepida, quæ hic forma fotus, aut vaporis applicantur. Sic I. WEISZII (*a*) „hæmorrhoidarius juvenis tinctor tuſſi ſub„peripneumonica afficitur, quam una Væ So, „nitroſum emulſum, ac dein MRa ſtibiata „oxymellita facile ſanarunt. Poſt ½ annum „tuſſis cum pectoris oppreſſione pejor redit, „hæmorrhoides tument, arte benignæ na„turæ alvus ſimul fluit. Vapores emolli„entes, balnea pedum, infuſum emolliens & „purgans ſalinum . . . hæmorrhoides aperi-

„unt,

(*a*) L. c. p. 19. ſq.

„unt; fluunt hæ, & mala pectoris evanescunt.“ I. P. LOTICHII (*a*) juvenis eruditus immenso ex intervallis hæmorrhoidum dolori obnoxius ievamen sæpe obtinuit a fumo, vel calore candentium prunarum ad anum admisso. Reverso aliquando acerbo hoc dolore consultus Auctor, cum materia flueret, neque condylomata adessent, primo hoc linimentum suasit:

℞. Olei rosar. ℥ijß.
Mucilag. sem. cydon.
— — psyll. Aqua plantag. extr. āā ℥jß.
Lap. calamin. cum ▽a ros. triti.
Pingued. gallin. āā ℥ß.
Vitell. ovor. No ij. Ponantur in Mortario plumbeo per 3. horas, sub sole. M. F. linimentum. Applicetur cum lana carpta vel penicillo calide instar suppositorii. Hoc vero nihil juvante, jussus est decocti e fol. ac flor. verbasci vaporem fervidum ano excipere. Quo per 2 vel 3 dies factitato omnis dolor conquievit. Simillimus huic est. V. RIEDLINI (*b*) casus de viro 60 annis majore, rarissime ægrotante, itineribus dedito, nuperque hæmorrhoidum nacto fluxum cum tanto dolore, ut incedere non posset. Cum pinguia adhibita cruciatus potius auxissent, hisque surrogata

(*a*) Obs. med. L. 4. C. 10. Obs. 2. p. 430.
(*a*) Curar. medicar. millenar. Obs. 51.

gata mucilago ſem. cydon. nil opis tuliſſet, demum vapores aquæ calidæ herbis idoneis alteratæ ano admiſſi dolorem profligarunt.

§. CXXV.

2. *Mucilagines* cydoniorum, pſyllii, &c. ad quas & fotus plantarum emollientium, althææ, ſaleb, &c. mucilaginis plurimum continentium ſunt referendi, queis graviſſimi ſæpe cruciatus pulcherrime mitigantur. V. RIEDLINUS (*a*) „præter interna . . . mucilaginem „ex ſemine pſyllii vel cydoniorum cum aqua „vel conveniente, vel etiam ſimplici paratam „ſæpius jam dolorem, ſi non penitus abegiſſe, „plurimum tamen leniiſſe expertus eſt, ſi nimirum vel cum linteo ſubtili applicata vel „per ſyphonem injecta fuit.“ Multi his mucilaginibus alia ſimul coindicata, ut deinceps paſſim viſuri ſumus, jungere aſſolent. I. B. MORGAGNIUS (*b*) „ALBERTINUM vidit tu„mentium hæmorrhoidum cruciatus in Pro„cere quodam lenire admotis cucurbitarum in„teraneis aut injecta aqua, in qua hæc fue„rant decocta. A Procere autem altero . . . „accepit, ipſi quidem in harum doloribus ita „prodeſſe linteola ſubinde admota, quæ ma„derent tepida, in qua lini ſemina & con„ciſæ

(*a*) Lin. med. ann. I. April. 4ta. p. 96.

(*b*) L. c. Nro. 12.

„cisæ radices althææ decocta essent ad ter-
„tias, ut cruciatus non modo sedarent, ve-
„rum etiam si statim, atque hi inciperent,
„admoverentur, increscere hæmorrhoidum
„tumorem non sinerent, nec (quod consequi-
„tur) disrumpi, & sanguinis profluvium fieri.“
Perinde Vratislavienses medici (*a*) „folia (in-
„quiunt) verbasci in lacte cocta, & calide
„applicata sæpe sola nobis suffecerunt.“ For-
mulæ huc facientes sparsim in consequentibus
(*b*) occurrent numerosæ.

§. CXXVI.

3. *Pinguia* denique, ut Axungiæ, seba, butyra, olea pressa, blanda, maximi hic sunt usus, idque vel sola, vel (quod usitatissimum) lenibus resolventibus, discutientibus re-mixta, atque in formam litus redacta.

a) *Axungiæ* hic laudari solitæ sunt

α, *Canina*. MORGAGNIUS (*c*) ex femina
„remedium adhiberi audivit, quæ tumentibus
„hæmorrhoidibus a longo jam tempore vexa-
„batur, quas . . . cum ostendisset, ipse au-
„tem

(*a*) Histor. morbor. Vratisl. A. 1702. p. m. 376.

(*b*) Vide §. 131.

(*c*) L. c.

„tem quærerem (ait), qua ratione tumentes „adeo reponere ſine intolerabili moleſtia poſ-„ſet ? continuo reſpondit, ſe multa & varia „expertam nihil utilius inveniſſe pinguedine, „quæ circa renes ſit canis rufi: ea igitur rite „præparata inungere ſe egreſſas inter dejici-„endum hæmorrhoides, eaque ratione aut „ſine dolore, aut certe cum multo leviore „jam diu reponere, ex quo ab aliis, qui pe-„riculum ante fecerant, id ſecum pro arcano „fuerat communicatum." Sed nil ſpecifici opinor axungiæ canis, etiam rufi, vel circa renes collectæ ineſſe; quandoquidem aliorum etiam animalium axungia idem præſtant, ut

β. *Caprilla.* P. FORESTUS (*a*) commendat ſequens cataplasma:

℞. Medullæ panis ℔j. coque in
Lactis ℔ij ad conſumt. ⅔. Adde
Axung. renalis caprillæ ℥ij.
☿. verm. terreſtr. ℥j. M. & ano
calide applica.

γ. *Suilla* ſed vel cum tabacco, vel cum colcothari vel cum ☿o vivo remixta. „Inter „præſtantiora reſolventia, & anodyna prima-„tum ſane ducit *unguentum Neapolitanum* „in-

(*a*) L. c. L. 23. Obſ. 6.

„inquit I. LIEUTAUD (*a*), quod omnium ali-„orum topicorum vices explere multiplici „experientia edocti afferere minime dubita-„mus.“ Perinde de aliis inferius videbimus.

b) *Butyra* quoque raro fimplicia fed plerumque aliorum corporum viribus acuata hic in ufum vocari folent. Inter hæc

α. Cacao Butyrum princeps eft remedium, & omni fæpe pretio majus, quod non ano folum fed perinæo quoque aut offi facro illitum dolores actutum fopire folet, id quod in pluribus jam fum expertus.

β. Unguentum terreum ex butyro cum terra aliqua fubacto paratum, quale eft. I. DOLAEI (*b*): „ad dolorem (inquit ille) & ar-„dorem compescendum, & fluxum immode-„ratum lente fiftendum inftar arcani medicis „junioribus . . . commendo vile fed profi-„cuum hoc remedium:

℞. Alcohol lapid. fciffil. q. v. Cum
Butyro non falito parat.

„& ano applicat.“ D. NEBEL (*c*) „lubet . . . „pau-

(*a*) L. c. p. m. 393.
(*b*) Encyclop. med. L. 3. C. 10. §. 19. p. m. 291.
(*c*) Mifc. nat. cur. dec. 3. ann. 3. Obf. 162.

„paucis hic meminisse (ait) illius euporisti, „quod quidam meorum amicorum non saltem „in se ipso; sed etiam in . . . Principe CA„ROLO LUDOVICO Electore quondam Pala„tino, ut & nuperrime in summo quodam „viro (prætereo jam alios) saluberrimum ex„pertus est . . . Componitur *ex gypsi pol„line cum butyro cancrino* subacto, quo ca„lefacto, tumentes ani venæ leniter foven„tur, dolore sic confestim cessante.“ Usus est hoc ipso remedio PAULLINI (*a*) etiam æger non sine optato successu. Analogum hisce est, quod narrat I. H. VELSCHIUS (*b*): „hæ„morrhoidum dolor cum tumore, fluxuque „sanguinis, interdum & cum prolapsu ani, „perquam molestus a nobis in pluribus tam „viris quam feminis (maxime a partu) facili „hoc remedio curatus est, quod arcani loco „habebatur:“

℞. Cretæ nigræ Coloniensis
Lap. thermar. Grumbacens. āā ʒij.
Tutiæ ppt. ℥j. In pollin. redacta cum
Oleo periclymeni M.

γ. *Unguentum de loto*, de quo I. G. BREBISIUS (*c*): „Consul . . . hæmorrhoidi„bus

(*a*) Vide seq. c) γ.

(*b*) Obs. phys. med. hecatost. 2. Obs. 41.

(*c*) Act. nat. cur. Vol. 1. Obs. 153. p. 326.

„bus cœcis laborabat; chirurgus ejus furen-
„tem dolorem non poterat ſedare: hinc juſſi
„lotum cum butyro frixare, poſtmodum ex-
„primere, cum vitello ovorum miscere, &
„exceptum linteo carpto dolenti loco appli-
„care, quo modo dolor ſubito fuit ab-
„latus."

δ. *Unguentum de nummularia.* Hujus remedii virtutem anonymus quidam apud L. RIVERIUM (a) ſequenti commendat hiſtoria: „quidam inſulanus . . . vehementi hæmo-
„rrhoidum dolore torquebatur, qui nullis ano-
„dynis præſcribi ſolitis cedebat, nimirum fo-
„tibus ex malva, herba hæmorrhoidali, flori-
„bus tapſi barbati, chamomæli, neque un-
„guentis ex butyro, adipe recentis anſeris,
„gallinæ, oleo de ſemine lini, atque hujusce
„farinæ aliis ſexcentis: quapropter dejecta
„appetentia, vigiliæ, vires proſtratæ ſubſe-
„cutæ fuerant. Sed neque mucro fiſtulæ, per
„quam clyſteres injiciuntur, in anum intro-
„mitti poterat, adeo venæ illæ hæmorrhoida-
„les propingua loca tumefecerant! Quæ cauſa
„fuit, cur alvus nullas feces ſpatio 8 dierum
„excreverit, quamvis caſſiam recentem æger
„bis devoraſſet. Tandem vero a quodam
„docto Germano . . . monitus, multis fo-
„tibus remollientibus repetitis, unguentum
„de

(a) Obſerv. Collectarum. Nro. 27.

„de ſucco nummulariæ cum butyro recenti „non rancido parari juſſi, quo turunda illita, „& ſenſim intromiſſa dolorem compeſcui: „unde ſomnus optatus ſenſim ſurrepſit, ap-„petentia revocata fuit. Eidem ægro paulo „poſt inteſtinum rectum prociduum fuit, quod „hoc remedio curatum nunquam poſtea foras „exiit:

℞. Olei maſtich. q. ſ. in eo bulliant
Scarabæi N° viij.

„Deinde oleo ungatur inteſtinum ſupra aſperſo „♁e putaminum ovorum, ex quibus pulli „fuere excluſi. Idem Germanus mihi aſſere-„bat ſuccum blattariæ itidem mire dolores „omnes hæmorrhoidum mitigare.“

c) *Olea* denique preſſa blanda nunquam pura, ſed ſemper aliarum rerum virtute imbuta adhibentur, atque ut plurimum tonica reſolventia, vel diſcutientia iis incorporantur. Præprimis autem commendatur hic oleum.

α. Ovorum. „Ego, inquit FORESTUS „(*a*), . . . in hæmorrhoidibus, in quibus „fere cruciat dolor, commode ſæpe oleo „ovorum ſolo uſus ſum; aliquando vitellum „ovi

(*a*) L. c. Obſ. 5.

„ovi commode cum rosaceo aut violaceo oleo „subegi, atque iis tantum utebar. Ubi au- „tem insignis adesset ardor, albumen ovi „quandoque apte commiscui, modo etiam „micam panis albissimi ex supra dictis oleis „subactam emplastri modo cum maxima utili- „tate apposui, etiam subinde sedem inungen- „do oleo violaceo, mucilagine seminis psyl- „lii, pauca portione ceræ adiecta."

β. *Scarabæorum*, vel hisce oleo inco- ctis vel cinere illorum cum oleo remixto. „Adscribam, inquit R. SOLENANDER (*a*), „medicamenta duo, oleum, & unguentum, „quibus ego usus sum antehac & utor felici- „ter . . . Conficitur oleum ex bruchis ster- „corariis autumno hoc modo, quod oleum „scarabæorum . . . voco:

℞. Olei lini ℔j.
Bruchos stercorar. vivos bene pastos.
Nro. 56.

„Eos ordine comprimo, conteroque inter „duos politos lapides, atque contritos in- „iectosque in oleum coquo lento igne in „vase terreo tecto ad 3tæ partis olei aut me- „dietatis consumtionem: inde colatum oleum „asservo, in eoque tutiæ opt. lævigatæ aut „pom-

(*a*) Sect. 4. Consil, 20.

„pompholigos aliquid diſſolvo, quo inungo „hæmorrhoides, ſi in conſpectum veniunt; „ſin intus in ano latent; jubeo guttatim per „anſerinam pennam inſtillari; dolores ſedat, „& hæmorrhoides mirum in modum perſanat.“ G. FALLOPIUS (*a*) perinde magni hoc oleum fecit ſcribens: ſcarabæi, „qui in ſtercore bo„vino in viis nascuntur, vera medicina ſunt „hæmorrhoidum dolentium, hos incoque in „quocunque oleo, & optime, donec ex toto „fere urantur, & deinde hoc oleo inunge.“ Et I. AGRICOLA (*b*) „ad dolores (inquit) & „fiſſuras hæmorrhoidum nil melius eſt; quam „ſi ſcarabæi in oleo lini coquantur, donec in „oleum reſolvantur, & ſtatim dolor ceſſat.“ Idem etiam facit cinis ſcarabæorum oleo admiſtus. Apud C. T. BIERLINGIUM (*c*) „mer„cator . . . accepto . . . ☿e purgante in„conſuetum dolorem in inteſtino recto, & „quaſi intolerabilem ex hæmorrhoidibus cœ„cis per 3 ſeptimanas perſenſit, qui ipſum „valde excruciavit; licet varia aſſumſerit re„media, non omiſſis etiam opiatis, & topi„cis tam interne, quam externe, nullum ta„men exinde percepit levamen, donec oleum, „& cineres ſcarabæorum adhibebantur, quæ „ſtatim

(*a*) De tumoribus. p. n. Cap. 40.
(*b*) Chirurg. parv. Tr. 2. p. m. 599.
(*c*) Adverſar. curios. Cent. I. Obſ. 21. ſchol. p. 49.

„ſtatim dolorem ſedabant. Hujus medica„menti virtutes inſignes in hoc affectu multo„ties expertus ſum.“

γ. *Millepedum.* Duorum illorum remediorum a SOLENANDRO commendatorum (*a*) alterum (poſt oleum ſcarabæorum) eſt unguentum hunc in modum conficiendum: „℞. Olei „violar. ℥ij, aſellorum in ſubterraneis & hu„midis locis degentium ℥j. (ſi mediocres ſunt „100 aſelli ut plurimum ℥j pendent); iſtos „tuſos indo oleo atque in vaſe terreo levi„ter coquo; tum addo ceræ albæ rec. ℥ß, „deinde colo, & exprimo in aquam frigidam, „atque ſubactum bene, refrigeratumque re„condo in uſus. Si latent (varices) linamen„tum in formam glandis involutum iſto obli„tum ſuppono; atque ſplenium eodem indu„ctum ſuperaddo; ſi exterius prominent, un„guentum in ſplenio ſuperdare ſatis eſt De„ſiccat hoc idem, diſcutitque magis, ſi una „aut altera radix ſerpentariæ, vel ari decor„ticati, & tuſi oleo ſimul incoquatur. His „ego magno ægrorum commodo uti ſoleo.“ „Commendat idem P. BORELLUS (*b*) „ad hæ„morrhoides (inquiens) dolentes, & tumen„tes, tam internas, quam externas expertus „ſum ſæpius ſequens Oleum, frigide admo„tum

---

(*a*) L. c. in præced. β.

(*b*) Hiſt. & obſ. med. phyſ. Cent. 1. Obſ. 63.

„tum ſæpe in die, valde contuliſſe: accipe „inſecta, quæ in locis humidis, & cellis vinariis ſub lignis, & lapidibus reperiuntur, „(Gallice cloportes dicta), leucophœa, convexæ figuræ, multa collige, utpote ad ℥iv, „ut & radices porri, ſeu barbam ad ℨjß, olei „olivarum ℨvj. Minutim incidantur inſecta, & „radices, & cum oleo per horam bulliant, „cola, & utere. Si autem ſint internæ, intus infundatur oleum.“ Perinde C. F. PAULLINI (*a*) „referente non nemo exquiſitiſſimos cœcarum hæmorrhoidum dolores demulcebat ſecreto QUERCETANI, quod erant „millepedes in oleo nucum expreſſo in alembicum poſiti, factaque legitima digeſtione „oleum elicitur. Si ſpes eum fefelliſſet, ad „manum erat ευποςιον NEBELIANUM (*b*) ex „polline gypſi, cum butyro cocto cancrino.“

δ. *Cineratum* ſeu oleum cineribus remixtum, namque referente P. FORESTO (*c*) „matrona . . . prolifica . . . in puerperio doloribus hæmorrhoidum fere ſemper valde affici ſolebat, quæ cum multis fruſtra remediis „tentatis a dolore minime liberari poſſet, tandem conſultum fuit, ut ſuberem lignum . . . „com-

---

(*a*) De ther. coel. l. c. §. 7. p. 238.

(*b*) Vide præced. b) β.

(*c*) L. c. Obſ. 5.

„combureret, & cinerem ejusdem cum vitello „ovi, & oleo rosaceo linimenti instar simul „commisceret: quo remedio ... dolores hæ-„morrhoidum miraculo quodam semper seda-„bat."

ε. *Ferratum.* A. HAEN (*a*) ipse hæmorrhoidarius „juvenis olim (ait) ex his do-„loribus sæpe incepi animo linqui, fuit enim „mihi malum frequentissimum. Sebum can-„delarum fusum, & intrusum ano, sebum idem „parvo siphone injectum . . . ex optimis re-„mediis sunt; semper levamen inde habui... „sed quo infinitis in mea praxi profui, est „oleum chalibeatum opificum, qui chalibeis „instrumentis conficiundis victum quæritant. „Habent hi, annosi dum sunt, idem oleum, „quod ante 20. 30. 40. annos habuere, cui „de tempore in tempus aliquid novi olei ad-„dunt. In hoc millies exstinctum ferrum aut „chalybs est, & dat remedium incomparabile „ad hæmorrhoides cœcas dolentes, & tumi-„das percurandas." Memini HAENIUM, nobis dicere, dolorem ab hoc oleo ferrato velut ab incantamento desiisse. Videtur desumta res ab N. CHESNEAU (*b*) pharmacopæi cujusdam remedium familiare describente: ℞. Li-

(*a*) Prælect. cit. T. 5. ad §. 1236. p. 373. sq.
(*b*) Obs. med. append. in alphabeto remedior. p. m. 542.

Liquoris nigri defluentis ex brachiis æris campani muro affixis q. s. ducatur in mortario plumbeo longo tempore; statim dolorem sedat. His vero non male quandoque substitui potest miscela ex *axungia cum colcothari*; nam teste I. AGRICOLA (*a*) terra ♁li dulcis „addita unguentis intolerabilem hæmorrhoidum dolorem certo experimento tollit.

§. CXXVII.

B. *Anodyna* paregorica, narcotica; quæ plerumque cum emollientibus juncta adhibentur ad cruciatus promtius leniendos. Usitatissima hic sunt

1. *Opium.* (*b*).

2. *Hyosciamus*, cujus folia cataplasmatibus emollientibus vulgo adduntur, qualia commendat G. E. HAMBERGERUS (*c*) ex speciebus emollientibus, croco, & foliis hyosciami, cum lacte parata.

3. *Bel-*

(*a*) L. c. p. m. 520.

(*b*) Hujus usui, deinceps forsan adscribendo, vacuam paginam reliquit defunctus Auctor, in volumine manu propria scripto: neque quid hac super re notatum dare voluerit, inter alias Viri cl. chartas invenio.

(*c*) Diss. cit. §. 54.

3. *Belladonnæ* baccæ in oleo olivarum infuſæ, quo oleo adhibito C. OFFREDUS (*a*) refert puellos 3 & 4. annorum ex hæmorrhoidibus graviter laborantes, quorum ſeniori cum ſummo dolore ſpecie fungi exſtabant, a dolore fuiſſe liberatos.

4. *Solanum* nigrum. I. BINNINGERI (*b*) „matrona quædam annorum aliquot ſupra 60, „hæmorrhoidibus cœcis tumidis, & valde do„lorificis laborans aliquot præſcripta remedia „obſervaverat, ſed ſucceſſu levi: tandem ſo„lanum officinarum recens, & contuſum ubi „admoviſſet, ſtatim ſubſederunt ſublato do„lore."

5. *Momordica.* „Probata hic & momor„dica, inquit M. ETTMÜLLERUS (*c*), cujus „fructus, ſive poma ſpinoſa, & rubicunda in „oleo communi vel lini, vel (quod melius „eſt) in oleo amygdalarum dulcium infuſa „dant nobile oleum, in ſpecie ad hæmorrhoi„des cœcas optimum. In muliere quadam, „quæ ex menſibus imminutis dolore hæmo„rrhoidum afficiebatur, feliciter hujus tentavi ex-

(*a*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 9. Obſ. 178.

(*b*) Obſ. & cur. med. Cent. 4. Obſ. 58.

(*c*) Prax. ſpecial. L. 1. S. 9. C. 3. art. 4. Opp. T. 2. P. 1. p. 149.

„experimentum.“ Haud fecius M. I. WITICHIUS (*a*) teftatur, fe vidiffe dolores hæmorrhoidum ab hoc oleo cito fublatos.

6. *Scrophularia.* Hujus jam alibi (*b*) mentio facta, & deinceps etiam in formulis paffim occurret.

7. *Linaria* denique, planta omnium hic celebratiffima quondam, hodie non perinde. Arcanam eam fibi fua ætate habuit I. WOLFIUS amicus G. HORSTII (c), donec promiffo quotannis bove faginato illam Haffiæ Principi non modo oftendit, fed ejus etiam ab efula difcrimen hocce docuit verficulo:

Efula lactescit; fine lacte linaria crescit.
Unguentum de linaria dictum ita conficitur:

℞. Herb. linariæ cum florib. M. j ij cum
Axung. fuill. q. f. contufos coque in linimentum, expreffo, & parumper refrigerato adde
Vitellum ovi. M.

Quod ope lanæ vel bombacis loco dolenti admotum dolores ad miraculum fopit. At W.

(*a*) Confil. med. 79. p. 634.
(*b*) Vide §. 81.
(*c*) Obf. med. P. I. L. 4. Obf. 42.

W. HÖFERUS (*a*) „mallem ego (ait), conficeretur e floribus tantum; sic magis esset anodynum: hoc ego hæmorrhoidibus dolentibus in momento quasi medebar . . . Comitis . . . cum præ dolore & tumore earum „vix stare, nedum incedere vel sedere posset, „præter plures alios." Et N. CHESNEAU (*b*) „quidam (inquit) medicus Massiliensis fratrem „conjugis curans ab hæmorrhoidibus, non „inveniens anodynum, audita vi prædicti „unguenti in doloribus hæmorrhoidum demulcendis, rogavit unum ex consanguineis, „ut tantillum a me peteret; cujus applicatione maxime levatus est, sicut & omnes, „qui in posterum usi sunt. Hoc unguentum „semper apud me servatur sine vitello ovi, „de quo recenti ex ovo extracto tantum impono applicationis tempore, quantum unguenti quantitas requiret. Nunquam rerum „usu simile inveni anodynum in externarum „hæmorrhoidum dolore sedando; licet variis „usus fuerim, quæ habentur descripta." Et vero in se ipso efficaciam illius V. RIEDLINUS (*c*) expertus est, & B. VERZASCHA (*d*) mercatori 40 annorum acerbissimum hæmorrhoi-

(*a*) Hercul. med. L. 3. C. 5. p. m. 195.

(*b*) Obs. med. L. 3. C. 12. Obs. 2. p. m. 346.

(*c*) Obs. med. Cent. 1. Obs. 61.

(*d*) Obs. med. 31.

rrhoidum dolorem passo, cum post brachii phlebotomiam, emulsumque datum, frustra litum quemdam anodynum applicuisset, unguento tandem linariæ omnem dolorem miraculi instar abegerat. Sæpius illud etiam J. STORCH (*a*) optato cum effectu adhibuit. Mirum proinde, cur G. E. STAHLIUS (*b*) hoc remedium elevet dicens: „nonnulli medici „commendant præsertim unguentum de lina„ria, ac linariam ipsam ut præstans remedium; „at mehercle neutrum voto satisfacit, nisi „forte in hæmorrhoidibus jam ulcerosis vel „ulcerationi proximis." In eandem fere sententiam loquitur discipulus ejus M. ALBERTI (*c*): „unguentum de linaria, quod vulgo ad „cœcas hæmorrhoides commendatur, non „ita facile adhiberi debet, quia affectum fa„cilius exacerbat: potest vero hoc unguentum „temperari cum oleo lilior. albor., & ovorum, „atque cum tantillo camphoræ combinari, & mo„derate ad affecta loca adhiberi. Ceterum hoc „unguentum de linaria paulo majorem & secu„riorem utilitatem exhibet, quando hæmorrhoi„des cœcæ in ulcerosum statum degenerare vi„dentur, aut jam actu humorem & ichorem pro„fundere inchoant, ubi cum tantillo olei „ovorum, & camphoræ remixtum efficacius „abstergit. Interea experientia attenta & pru„dens

(*a*) Quinquepart. pract. T. I. p. 200. 254.

(*b*) Colleg. casual. magn. Casu. 16. p. 195.

(*c*) Diss. de hæmorrhoidib. cœcis §. 26.

„dens testabitur, quod indiscretus linariæ usus „haud miracula talia exhibeat, quo HARTMAN-„NUS (*a*) HOEFER (*b*) HORSTIUS (*c*) SACHSIUS „(*d*) provocant.“ Verum quousque pro linariæ efficacia numerosi successus loquentur, contra quos STAHLIANI nil nisi verba attulerint, linariæ tamdiu laus perstabit.

§. CXXVIII.

C. *Discutientia* porro ad tumentes tantum, vel etiam simul dolentes hæmorrhoides iisdem cum cautelis & iisdem sub indicationibus adhibentur, prout illa in alio quovis tumorum genere usurpantur, idque forma vaporis, fumi, fotus, litus, cerati, &c. Vulgo sacculi discutientibus plantis repleti ano admoventur, vel sicci, vel ex incoctione in cataplasmatis formam redacti, quales commendat HAMBERGERUS (*e*) „ex floribus cha-„momillæ, herb. scordii. absinthii, & cam-„phor. præpar. Cum vero multi siccum calo-„rem propter dolorum exacerbationem per-„ferre nequeant, melius est cataplasmata . . . „admovere.“ Ex amplissima vero discutientium prosapia ceteris palmam, pro varietate adjunctorum præripiunt.

1. *Ca-*

(*a*) Prax. chymiat. p. m. 203.
(*b*) L. c.
(*c*) L. c.
(*d*) Gammatolog.
(*e*) Diss. cit. §. cit.

1. *Calor ſiccus* I. P. LOTICHII (*a*) „ju„venis . . . narrabat . . . potiſſimum leva„men ſibi fuiſſe, ſicubi fumum vel calorem e „prunis candentibus illa parte, qua alvum „exonerare ſolemus, excepiſſet" in hæmorrhoidum cruciatibus vix ferendis. Multum etiam Servita RHODII (*b*) a lamina candente cominus varicibus admota opis tulit, quo artificio etiam HIPPOCRATEM uſum dicetur (*c*).

2. *Fumi* medicati, præſertim viroſi, vel aromatici, ac vel maxime

a) *Terebinthinæ*, quo fumo prolapſum ani ſub dejectione contingentem, doloresque augentem in ſe ipſo M. GERBEZIUS (*d*) minuebat. Neque dubium eſt, id ipſum a maſtiche, myrrha, &c. obtineri poſſe; ſed mirabile eſt, quod narrat I. D. MAIOR (*e*), theologum quemdam hæmorrhoidum fluxui a levi zelo, vini hauſtulo, voce, vel motu corporis concitatiore reverti ſolito obnoxium huncce ſolo myrrhæ naribus perceptæ odore cohibuiſſe.

b) *Un-*

(*a*) L. c. (vide §. 124).
(*b*) Vide §. 137. Nro. 1.
(*c*) Ibidem.
(*d*) L. c. (vide §. 84. c)
(*e*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. Obſ. 216.

b) *Ungulæ equinæ*, quo proquæstorem a nimio hæmorrhoidum fluxu ad omnia rebelli, ubi ex consilio rustici ano admissus est, fuisse liberatum I. L. HANNEMANNUS (*a*) perhibet.

c) *Uteri raiæ* piscis. „Ab aliquot an„nis, ait M. ALBERTI (*b*), inter Belgas innotuit „concrementum illud tunicaceum, quod de „pisce raja provenit, & a quibusdam pro „utero hujus piscis habetur (licet N. STENO „(*c*) huic sententiæ repugnet); quamquam hic „piscis jam ARISTOTELI, ALDROVANDO, „RONDELETIO, GESNERO, & JONSTONIO „cognitus fuerit, cujus concrementi usum con„tra dolentes, furentes & cœcas hæmorrhoides „cum multo fructu & levamine experti fue„rant, ut propterea ab illis temporibus tan„quam specificum contra hæmorrhoides cœ„cas externe adhibendum laudatum prostet... „Applicatur vero tale concrementum in forma „suffumigii, ita ut vapor dolentibus parti„bus admittatur, sed requirit etiam hoc spe„cificum dexterum artificem, si enim non mox „in initiis adhibetur, tunc magis nocet; quam „prodest; siquidem effectus illius reprimens „deinde

(*a*) Misc. nat. cur. dec. 2. ann. 5. Obs. 130.

(*b*) Diss. cit. §. 25.

(*c*) Epist. ad PISON. de anatome Rajæ.

„deinde ſtaſim ſanguinis magis obfirmat, & „affectum intractabiliorem reddit: cujusmodi „exempla (Auctori) conſtant de infelici, & „ſerius ſuſcepta applicatione murium horum „marinorum.“ Primus hujus remedii laudes peculiari ſcripto edidit C. M. SPENERUS (*a*). Semel periculum ejus fecit Neoſolii C. O. MOLLERUS (*b*): „hocce autumno (refert ille) „occaſionem nactus ſum non ita dudum ab- „hinc innoteſcens concrementum marinum, „quod mures marinos vocant, in doloribus „hæmorrhoidum cœcarum experiundi, dum „in viro 40 annis majori, temperamenti phle- „gmatico - ſanguinei, vehementer iisdem la- „borante, hos mures marinos, ſub forma „ſuffumigii adhiberi ſivi cum notabili effectu „discuſſorio, & mitigatorio.“ STAHLIUS (*c*) quoque curioſitate ductus aliquoties vim hujus remedii tentavit, optato ſæpius, at non ſemper, cum ſucceſſu; nec ocyus etiam profuit. In ipſis etiam ulceroſis hæmorrhoidibus efficax inde levamen obſervavit.

d)

(*a*) Epiſt. ad M. B. VALENTIN. de novo hæmorrhoid. cœcar. remedio. murib. ſe. marinis, &c. 4to Amſtelod. 1700.

(*b*) Annal. Vratisl. Tent. 6. A. 1718. Novembr. d. 4. art. 5. §. 3. p. 1871.

(*c*) L. c.

d) *Testæ testudinis.* „Ad hæmorrhoidas „testudinis testa suffita bene facit“ inquit GALENUS, aut quisquis ille auctor sit libelli de medicamentis facile parabilibus (*a*).

3. *Aceti vapor*, in quo igniti silices exstincti sunt, in duris hæmorrhoidibus emolliendis RIVERII (*b*) monacho est adhibitus.

4. *Vinum.* „Nullum forte euporistum „præstantius excogitari potest vino tepido, „quo crebro foveri debet pars affecta“ teste I. LIEUTAUD (*c*).

5. 🜍 quoque egregiam hic opem præstat, non in cœcis modo; sed immodice etiam fluentibus isque vel simplex, vel aliis junctus.

a) *Rectificatus* simplex calide ano admotus immodicum hæmorrhoidum fluxum cohibet. G. HARRIS (*d*) meminit viduæ gracilis, ac biliosæ, cui, postquam noctu repente intra paucas horas plus quam 4 ℔ sanguinis per hæmorrhoides amisisset, prostratis viribus sacro viatico munitæ, tanquam ocyus moriturae,

(*a*) L. 3. Nro 153.
(*b*) Vide histor. 4.
(*c*) L. c. p. 393.
(*d*) De morbis aliquot graviorib. Obs. 10.

turæ, panni calido 🜈 rectificato imbuti alius ex alio ad anum applicati hæmorrhagiam ſine ullo alio remedio compescuerunt. Præfert autem 🜈 calidum frigido, quod vapor ejus ano reſorptus internam quoque hæmorrhagiam cohibere queat.

b) *Ficus in* 🜈 maceratæ eoque deſuper accenſo poſt deflagrationem applicatæ. Refert v. RIEDLINUS (*a*) tenerrimam feminam, craſſiori quandoque diætæ indulgentem, & ab aliquot annis hæmorrhoidum fluxui ſine moleſtia obnoxiam, acuto tandem dolore mariſcarum fuiſſe prehenſam, quem nec varia interna, nec vicina ſcarificatio, nec hirudines, nec mucilagines, aliaque euporiſta per bimeſtre lenire poterant, donec ægra ipſa HOHBERGII georgica legens in remedium incidiſſet, ſcilicet 6 ficus per medium ſectas, in 🜈 injectas, hocque deſuper accenſo, & combuſto calidas adhuc loco affecto applicuit, eo cum ſucceſſu, ut dolor omnis brevi conquieverit.

c) *Album græcum cum* 🜈 *Rhenano* in linimentum redactum; I. STORCHII euporiſton, crebra ejus experientia probatum. Feminæ (*b*) tuberculis hæmorrhoidalibus diu jam

---

(*a*) Lin. med. ann. 1. Decembr. 28. p. 459. ſqq.

(*b*) Obſ. clin. ann. 1. Maji d. 4. Nro. 13. p. 128.

afflictæ linimento hocce appoſito illa feliciter diſcuſſit. Perinde (*a*) melancholicus 40 annorum tuberculum hæmorrhoidale cum intolerabili dolore nactus poſt incaſſum adhibitum unguentum de linaria eodem hoc euporiſto levabatur. Eundem res etiam ſucceſſum habuit, in alio viro malum idem paſſo (*b*) tum gravida (*c*), biniſque puerperis (*d*). Commendat etiam P. G. WERLHOF (*e*) hoc ipſum euporiſton; quippe quod experientiæ reſpondeat; quidquid ſtercorum oſores contra dixerint.

6. *Saliva* quoque tuberculis hæmorrhoidum illita illa G. W. WEDELII (*f*) experimento curat: „novimus (ait ille) extuberantium hæmorrhoidum tubercula ſalivæ jejuni ægri ipſius inunctione fuiſſe coercita (*g*).

7. ⊡a *humana*. „Pictor, ait I. LAZONUS (*h*) „A. 1685, ſe frequenter laboraſſe hæ-

(*a*) Ibid. Decembr. d. 4. Nro. 5. p. 281.

(*b*) Ibid. Julii d. 4. Nro. 2. p. 171.

(*c*) Von Krankh. der Weiber. 3. Band. Caſ. 16. p. 133.

(*d*) Ibid. 5. Band. Caſu 83. p. 357. ſqq.

(*e*) L. c. p. m. 132.

(*f*) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 1. Obſ. 11.

(*g*) Ibid. dec. 2. ann. 6. Obſ. 21[illegible].

(*h*) Animadv. med. 90. opp. T. 3. p. 570.

„hæmorrhoidum dolore mihi narravit, pro-
„cidebant enim ipſæ ex ano, & inflammaban-
„tur, ipſumque ſemper uſum fuiſſe magno
„cum levamine & juvamento [·]a propria ad
„partem affectam apposita; quod ipſum olim
„docuit . . . Capucinus."

8. *Pomi pulpa, ſuccus.* I. H. LANGE (*a*) in dolentiſſimis hæmorrhoidibus cœcis commendat „pulmentum ex malis acidulis, & vino rubro „(vulgo Pontack) coctum, quod „ope lintei repetitis vicibus ano impoſitum „citum præſtat levamen." Videtur hoc remedium deſumtum eſſe ex N. CHESNEAU (*b*), qui refert Episcopum atroci hæmorrhoidum dolore vexatum, non invento anodyno tandem a chirurgo ſequenti pomata (quam 10 aureis nummis compenſavit) egregie fuiſſe levatum:

℞. Butyri rec. in vino albo cocti
Sebi ex ſemi candela āā
Pomi raſi No j. coqu. omnia in
▽æ roſar. q. ſ. & F. pomata. Coletur & exprimatur.

9. *Chelidonium minus* de quo ſuperius jam actum eſt (*c*).

10.

(*a*) Miſcellæ veritates, de rebus medicis. p. 7.
(*b*) L. c. L. 3. C. 11. Obſ. 3. p. m. 346.
(*c*) Vide §. 86.

10. *Cœpa* ſub cineribus aſſa. „Externe „discuſſionem adjuvat, inquiunt Vratislavienſes „(*a*), ac dolores ſopit cataplasma ex cœpis „ſub cineribus aſſatis ac oleo ovorum re- „centi.“ Et vero M. GERBEZ (*b*), dum viro „hæmorrhoidum fluxui obnoxio venæ hæmo- „rrhoidales cum intolerabili dolore intumue- „rant, ſuaſerat, ut cœpam conſciſſam cum „mica panis albi decoquerent ei miniſtrantes, „adjicerent ad finem aliquid croci; & vitellum „unius ovi, atque omnia invicem in cata- „plasma conquaſſarent, partique affectæ lino „carpto exceptum calide admoverent, fota „prius utcunque diu parte affecta, lacte herb. „malv., alth., melil., linar., fl. Verbasc., „ſem. lini, pſyllii & althææ per decoctionem „alterato. Et convaluit intra biduum, fru- „ſtra antea diverſis ſibi a chirurgo ſuaſis tra- „ctatus.“

11. *Olea* varia, ac præprimis

a) *Muſtelæ fluviatilis* DÜRRNIO apud S. BLANCARDUM (*c*) æger quidam retulit, ſe internas hæmorrhoides, quas ſæpe patiebatur, non aliter compeſcere potuiſſe, quam inſtil-

lato

(*a*) Hiſtor. morbor. Vratisl. l. c.

(*b*) Chronol. med. pract. ann. 1. §. 85. p. 77. ſq.

(*c*) Collectan. med. phyſ. Cent. 4. Obſ. 78.

lato in inteſtinum rectum oleo ex hepate muſtelæ fluv. obtento.

b) *Jupineri* G. G. LEIBNIZ (a) „dolores „. . . in ano ab hæmorrhoidibus . . . ſo„pire licebit (ait) oleo juniperi per retortam „igne aperto lege artis propulſo ɷu prius „per infundibulum ſeparato. Si hæmorrhoi„des ſint externæ, oleo eodem pennæ ope „tangantur ſingulis 4 horis, ſi internæ ſint, „madefiant eodem, cujus quantum 4am par„tem cochlearis impleat, adinſtar enematis „injici ſatis erit: ita intra bihorium ceſſabit „dolor, & hæmorrhoides flaccescent, ut alio „remedio non ſit opus. Hoc remedium com„municavit D. GATELIER inſignis artiſta, quo „COLBERTUS ob peritiam utebatur." Sed A. F. LOEFFLERI (a) ægris non ferendum cauſavit cruciatum.

c) *Buxi* ope linteoli tepide admotum, de quo R. FONSECA (*b*): „oleum buxi . . . ſicuti „dentium dolores quosvis ad miraculum us„que ſedat, ita & reliquos dolores, & præ„ſertim hunc hæmorrhoidalem ſedare ſolet, „ſi

(*a*) Relat. de novo antidyſenterico Americano in Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 3. app. Nro 1. p. 19.

(*a*) Beyträge zur Wundarzn. 1. B. p. 380.

(*b*) Conſult. med. T. 1. Conſ. 27. p. m. 184.

„si illius gtt. j. supra hæmorrhoides apponatur, cum stilo gossypio involuto; item si „cum oleo seminum lini misceatur, ut ad ℥ß „prædicti olei ℈j olei buxini misceatur.“

d) *Aurantiorum.* AMATUS (*a*) „qui ab „hæmorrhoidum dolore (inquit) graviter cruciabatur, post multa, & varia a medicis „tentata præsidia hoc remedio a nobis præsentato usus fuit, & brevi ab illo infestissimo dolore liber evasit. . . ℞. ☉ pomum, „& id cultro excava, in quo oleum rosaceum, „& pseudonardi, lavendulæ dictæ semina infunde, & ad cineres calidos admove, & „calidum applica, & sæpe innova; est enim „mirum.“ Huc etiam referri debet.

e) *Balsamus ♀ terebinthinatus.* R. FONSECA (*b*) „unum tamen (ait) præ ceteris „tanquam secretum propono, & experientia „comprobatum, quod appellant chymici balsamum ♀, in quo pessulæ intingantur, & „applicentur tepide loco affecto. Fit autem „balsamus ♀ ex floribus illius cum terebinthinæ ♎u . . . Quodsi . . . balsamum ♀ „non reperiatur, misceantur flores ♀ cum „terebinthina multoties in ▽a rosacea lota, „& loco balsami ♀ imponatur.“ M. RULANDUS

(*a*) L. c. Cent. 3. curat. 6.

(*b*) L. c.

DUS (*a*) Jesuitam refert atroci hæmorrhoidum dolore cruciatum, qui post varia alia incassum tentata illitis sæpe, maxime post excretionem, tuberculis calide statim a dolore convaluit. „Nam valet (ait) hoc balsamum „certo in hoc vitio, nec unquam fallit, ut „experimenta innumera edocebunt." Meminit (*b*) & pistoris ad 50 annos nati cœcis hæmorrhoidibus vehementer dolentibus, & ani prolapsu divexati, cui in 8 dies m. & v. insessum imperavit ex ☉ crudi ℥vj. in aqua pluvia chalibeata decoctis, ac 3to quovis die innovandum ἐγμάτισμα; ante insessum digito anum reponebat, & post balneum hæmorrhoides balsamo ♀ inungebat. Sic intra 8 dies pulso dolore, & ano haud amplius elapso, convaluit. Haud secius P. GRÜLINGIUS (*c*) Pastori cuidam sæpius per annum, præsertim circa autumnum dolores hæmorrhoidum cœcarum pati solito actutum abegit illito calide iis hoc ipso balsamo, eodemque litu pharmacopœum quemdam ab acerbo id genus dolore e vestigio liberavit. Hujus quoque loci est.

Ver-

(*a*) Curat. empyr. Cent. 1. cur. 87.

(*b*) Ibidem cur. 86.

(*c*) Observ. & cur. med. Cent. 6. Obs. 26. Cent. 7. Obs. 28.

Vernix pictorum, remedium notante MAYERNIO apud I. ALLEN (*a*) ſingulare in curandis hæmorrhoidibus tam cœcis; quam apertis. Quodſi in apertis cuti nimis tenaciter adhæſerit, oleum roſarum addendum eſt. Hujus uſu ſanatus fertur a muliere CAROLUS V. cum nulla ope curari poſſet. Paratur autem Vernix ex olei lini ℥xij, terebinth. venet. ℥jv, ſandarac. puriſſ. ſive gummi juniperi ʒiij. Liquantur lento igne, &c.

12. *Mercurialia* etiam (præſertim cum acidis mineralibus parata) hic ſæpe admodum ſunt proficua. Sane R. D. FALCK (*b*) inter topica ad cœcas hæmorrhoides inflatas diſcutiendas, doloresque ſopiendos nullum efficacius expertus eſt ſuo unguento mercuriali, quo non modo tumor minuebatur, ſed etiam dolor fere in momento profligabatur; & cujus continuato uſu in compluribus hæmorrhoides cœcæ annoſæ prorſus evanuere. Paratur:

℞.

(*a*) Synops. univerſ. med. pract. C. 12. part. 1267.

(*b*) Von dem Queckſilber u. deſſen Kräften bey verſchiedenen Krankheiten. 3te. Abtheil. p. 124. ſqq.

℞. Rasur. ſtanni opt.
☿ii vivi āā ʒij. F. amalgama, adde
☿ ⏛ rubr. ſubtil. pulveris. ʒij.
Pomat. roſar. ℥j.
○ ſtill. menthæ piperit. gtt. xx. M.
& illitum linteo carpto tumori applica.

13. *Saturnina* denique, quod leniter adſtringendo inflammationem discutiant, doloremque leniant, hic ſummi ſunt uſus, ut eſt extractum ♄ni, acetum lithargyrii, aqua vegeto-mineralis, unguentum nutritum, emplaſtrum diapompholygos, &c. Sic „vir „ſexagenarius melancholico, & atrabiliario „temperamento præditus, dolore hæmorrhoi-„dum moleſto conflictabatur cum tumore, & „inflammatione partis, qui multis remediis „non ceſſaret. L. RIVERIUS (*a*) præſcripſit „fotum ex aqua roſarum, in cujus ℥vj ⊖ „♄ni ℥j diſſolvebatur, qui fotus pluries in „die iterabatur; poſtmodum vero cataplasma „admotum eſt, ex cœpa alba ſub cineribus „cocta, & cum butyro ſubacta partibus æqua-„libus. Intra biduum inflammatio ſedata eſt, „& tumor magna ex parte reſolutus.“ GOU-„LARD (*b*) in hæmorrhoidibus externis juxta ac

(*a*) Obſ. med. Cent. 4. Obſ. 58.

(*b*) Traité ſur les Effets des Preparations de Plomb. Chap. 10. p. 229.

ac internis duo plumbata remedia utilissime adhibuit, nimirum lavamentum ex aqua vegeto-minerali, ac dein suum ceratum Saturninum. In externis, ubi præmissum enema fuerit egestum, imperat sæpius per diem tuberculorum lotionem aqua vegeto-minerali, ac dein cerati sui applicationem, dicitque sibi hanc methodum usque adeo feliciter cessisse, ut si omnes casus prosperos colligeret, necessum foret, longissimam eorum contexere seriem. Auspicato etiam plumbata L. HEISTERUS (*a*) sæpius adhibuit, præsertim in Ecclesiaste, Magnate, ac milite.

§. CXXIX.

D. *Styptica* in immodico fluxu cohibendo, dum aut vasa stringendo crispandove, aut sanguinem circa vasis cum fundentis hiatum in grumum, thrombumque cogendo ulteriorem illius effluxum sistunt. Cujusmodi sunt.

1. *Calor* siccus intensior ignis vivi propius vasa admoti, quippe qui vasa crispet, sanguinemque cogat. Huc proinde etiam calidissimi fumi pertinent, ut in fumo ex ungula equi superius (*b*) vidimus.

2. *Plan-*

(*a*) Vide §. 84. b) & §. 49. Nro. 3.

(*b*) Vide §. præced. Nro 2. b)

2, *Plantæ* variæ valida vi adſtringente præditæ, vino rubro vel aqua ferrata, vel aceto decoctæ, & forma fotus, ſacculi, turundæ, inſeſſus, &c. adhibitæ. Ita curatio „comperta mihi ipſi, inquit M. RULANDUS „(*a*) cum ſæpenumero per multos dies imo „etiam menſes gravi hæmorrhoidum venarum „fluore opprimor, adeo ut vires vacuatio- „nis hujus copia dejiciat, & pro ſanguine „nigro, ac craſſo ruber jam fluat. Siſto autem „hunc fluxum adaptando crebro alternos „ſacculos calidos ex rubro panno, & contu- „ſis glandibus, vel quercinis foliis in forti „aceto multum decoctis factos, quibus ocyus „fluor conſiſtit." Sæpius etiam hoc ipſo remedio P. GRÜLINGIUS eodem cum ſucceſſu utebatur. Sic (*b*) „polyographus . . . afficiebatur ſingulis annis quater vel pluries „hæmorrhoidibus prætermodum fluentibus, „quem curavi (inquit) ſacculo pleno glandibus, „& foliis quercuum cocto in forti aceto, & „impoſito ano: quo remedio ſiſto . . . om- „nes hæmorrhoides præter modum fluentes" FROMMANNUS (*c*) autem civem quemdam eo fluxu correptum feliciter reſtituit ſequenti remedio:

℞.

(*a*) L. c. Cent. 1. curat. 7.

(*b*) Obſ. &. curat. med. Cent. 7. Obſ. 27.

(*c*) L. c. P. 2. Probl. 16. Nro. 3. p. 305.

℞. Rad. tormentill.
— bistortæ āā ℥ij.
Folior. quercus
— millefol.
— plantag. āā M. j. Coqu. in
▽a chalibeata &
Vini austeri æqualib. partib.

„Hoc decocto spongia imbuatur, & frigide „vel tepide applicetur." Utilis quoque hic est herba dicta *centinodia* seu *polygonum mas*, de qua L. DURETUS (*a*) „memini (ait) „me medicinam fecisse monacho cuidam, qui „factus fuerat ὑποχλωρὸς ex profusione sangui-„nis, unde fere in hydropem inciderat; „erant illi (hæmorrhoides) inaspectabiles. „Jussi, insideret in pulvinar ex centinodia, quæ „mirifice valet, ex præscripto HIPPOCRATIS „dedi vinum subausterum: quievit profluvium, „& sanatus est."

3. *Colcothar* ⊖*li*, quod MORGAGNIUS (*b*) in profluvio hæmorrhoidali ut admodum efficax proponit, namque „ubi . . . hoc nimis urget, VALSALVA . . . tria præ ceteris „laudabat, a quibus videlicet acciderat, ut „mirabiles effectus videret: primum theriaca recen-

(*a*) In HOLLER. de morb, intern. schol. ad C. 55. p. m. 581.

(*b*) L. c. Nro. 12.

„recenti pondere 6 circiter drachmarum, ad-
„mistis 4 aut 6 etiam in magno fluxu opii
„granis, regionem umbilicalem linire; alte-
„rum ⊖lum in ♀em redactum, quod chy-
„mici appellant colcothar, parti, unde san-
„guis profluit, adhibere, tertium curare, ut
„æger imum intestinum extrorsum premat, si
„forte (ut nonnunquam accidit) apertum va-
„sis sanguiferi foramen in conspectum veniat:
„tunc autem ⊖li frustulum (sicut hæmatitem
„pictores solent) in extrema quapiam fistula
„aptatum ei foramini tantisper apprimere,
„dum crustam inducat. Hoc autem, quo pro-
„ponebat ordine, aliud post aliud adhiberi
„volebat, ubi nimirum priora non respondis-
„sent." Verum etiam sine infricta theriaca colcothar. J. HEÜRNIO (*a*) suffecerat: „cui-
„dam (narrat iste) mediæ ætatis nimia præ-
„cipitatione fundebantur hæmorrhoides. Cum
„medici, & chymici cuncta tentassent, nec
„suffecissent, jussi, ut una intacta reliquæ
„tangerentur colcothare (ita appellant crassa-
„mentum illud a ⊖li olei destillatione re-
„lictum) illico constitit. Vivit". In idem fere cadit

4. *Atramentum*. Quidam „Vir ... post
„applicationem hirudinum eum fluxum san-
„guinis patiebatur, qui nullis remediis cede-
„bat,

(*a*) In HIPPOCR. Sect. 6. aph. 12.

„bat, & jam virium ſuccedebat exſolutio. „Cum D. PUERARIUS (*a*) rogatus . . . pilos „leporis conciſos plurimo atramento imbutos „applicari, & intrudi juſſit, quo remedio ſta„tim ſuppreſſa fuit illa ſanguinis profuſio.“

5. 🜄 *rectificatus* calide admotus ut ſuperius (*b*) vidimus; quod & vaſa criſpando & ſanguinem in exitu ſuo cogendo fluxum ulteriorem compeſcat.

§. CXXX.

E. *Reſerantia* in fluxu indicato, ſed difficulter ſuccedente, ſeu ob craſſitiem tunicarum in vaſis reſerandis, ſeu ob niſum ſanguinis in hæc vaſa inſufficientem. Quæ tunicas vaſorum extenuant, hæc alibi (*c*) jam ſunt memorata; quæ autem niſum ſanguinis in hæc vaſa adaugent, ſunt ut plurimum acriora, cathartica præſertim remedia, ani vaſis admota, cujusmodi ſunt.

1. *Colocynthidis pulpa*, quæ ſi I. HOLLERIO (*d*) teſte „convenienti oleo im„mer-

(*a*) In T. BURNETI theſ. medic. pract. T. 2. L. 8, S. 5, ſubſect. 7. p. m. 45.

(*b*) Vide §. 128. Nro. 5.

(*c*) Vide §. 123. ſqq.

(*d*) L. c. C. 55. p. m. 570.

„mergitur, ano alligatur, 5 horarum ſpatio „aperit."

2. *Cyclaminis ſuccus*, qui GALENO (*a*) perhibente „hæmorrhoides reſerat, violenter„que ad ſeceſſum provocat in crocyde ſine „floccis appoſitus."

3. *Cœpæ* quoque ad proritandum hæmorrhoidum fluxum faciunt GALENO (*b*) teſte: „cœpa . . . hæmorrhoides (ait ille) „aperit tum appoſita, tum aceto inuncta." STOCKERUS (*c*) commendat ſequens cataplasma:

℞. Allii ſpicas No jv.
Cœpas No ij. Incorporentur cum
Farina lupinorum &
Aceto fortiſſimo pauco. F. catapl.

Ponatur ſuper hæmorrhoides, ſtatim aperiuntur.

4. *Bilis taurina*, qua occluſas aperiri hæmorrhoides GALENUS (*d*) notat, quod eo etiam certius obtinetur ab illa cum prius dictis

---

(*a*) De ſimpl. medicam. facult. Lib. 7.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Prax. med. Cap. 70.
(*d*) L. c. Lib. 10.

ctis applicata. Sic „GALENO, inquit R. SOLENANDER (*a*), cœpa cum aceto apposita; mihi vero cœpa cum aliquo felle illita hæmorrhoides aperit. Colocynthiden, & aloen cum „felle vel succo cœpæ idem facere certum est."

§. CXXXI.

F. *Composita* denique ex hactenus enumeratis, insuperque aliis simplicibus medicamentis dicenda supersunt, quibus diversi Auctores maxima encomia tribuerunt: hos inter est

I. N. BLEGNYI (*b*) linimentum:

℞. Olei ovorum ℥j.
— lateritii
Balsam ♁is āā ℥ß. M.

Profuit in sequenti gravissimo casu: vidua post diuturnas ob elatum virum lacrimas corripitur acerrimo hæmorrhoidum dolore, nullis remediis leniendo, crescente potius inflammatione ac tumore ad pugni usque molem. Applicato autem, nescio quo, empyrico remedio, & dolor enormiter, & tumor ½ sui major increvit cum tanto simul inflam-

(*a*) L. c. p. 379.
(*b*) Zod. med. Gall. ann. I. Febr. Obs. 5. p. 47.

flammationis augmento, ut intra noctem gangræna denarii ſpatium occuparit. Cumque vulgaria remedia hic partim non ſatis efficacia, partim etiam nociva futura providerentur, tentavit Auctor modo deſcriptum linimentum eo cum ſucceſſu, ut inflammatio eadem adhuc die pene evanuerit, ſubſederitque tumor, & gangrænæ progreſſus ſubſtiterit, atque intra paucos dies remittente morbi atrocia, ſpatioque hebdomadæ mortuo a vivo ſecedente, ægra non multo poſt convaluerit.

2. *Idem* (*a*) deſcribit Cataplasma ad cœcas hæmorrhoides mirandi effectus:

℞. Amyli ℥ß. Coqu. ad conſiſt. glutinis in
▽æ roſar ℥vj, tum adde
Ceruſſæ ℥j.
Croci ʒß.
Alb. ovor. rec. No. iij. M. F. Cataplasma.
poſt tres horas renovandum.

3. Idem (*b*) Unguentum mirabile vocat:

℞. Olei roſacei omphacini ℥iij
Aceti ſtillat. ℥ij cum ſoluta

⊖

(*a*) Ibid. Mart. Obſ. 10. p. 68.

(*b*) Ibid. ann. 2. Julii Obſ. 11. p. 151.

⊖ ♄ni ℥j. ſubactis in formam nutriti
adde
☿ii præcip. rubr. ſubtil. triti ʒjß. M.

4. CHABERTI (*a*) vir ab hæmorrhoidum externarum pugnum magnarum atrocibus doloribus altero die levabatur admotis bis quotidie decocti chamom. ac meliloti in ▽æ ♃ ℔ij, in queis ſoluti erant ☿ii ſubl. corros. ℈ij, & applicatione lintei carpti eodem liquore imbuti. Altero autem biduo plane ſublatæ ſunt ſequenti remedio ad prioris normam adhibito:

℞. ▽æ ♃ ℔ij, ſolve
☿ii ſubl. corroſ. ℈ij, adde
▽S. ℥jv. M.

5. M. ETTMULLERI (*b*) „femina ardorem, „& dolorem inſignem patiebatur hæmorrhoi„dum cœcarum, & cum recuſaſſet hirudinum „applicationem

℞. Mucilag. ſem. cyd. cum
Sperm. ran. extract. ℥j.
▽S camphor. ʒij.
Sacch. ♄ni ʒj. M.

„Quo

(*a*) Obſervations de chirurg. prat. Obſ. 28. p. 72.
(*b*) Obſ. med. 263. opp. T. 2. P. 2. p.

„Quo linteum probe illitum, & humectatum „applicetur crebrius . . . Alia femina patiebatur dolorem, & tumorem hæmorrhoidum „cœcarum etiam extra partum, nec poterat „ferre pinguia & unctuosa, quæ exasperabant „malum:

℞. Lap. calamin. ℈j.
Cerussæ ʒj.
🜄 camphor. ʒjß.
🜄a plantag. ℥j. M.

„Diluantur pro libitu cum spermate ranarum „veteri per se asservato, & applicetur linteis „multiplicatis. Egregie profuit.“

6. Idem (*a*) sequentia commendat:

℞. Balsam ♀ impr. c. oleo hyper. parati ʒjß.
Olei momord. ʒj.
— sem. pap. expr. ʒß.
Sacchar. ♄ni ℈j.
Camphoræ gr. vij. M. F. linim.

„Camphoram (ait) non immerito addo, nam „mirabile est remedium ad hæmorrhoides do„lentes, si ejus ʒß ad ʒj. subigatur in 🜄æ „malvæ vel rosar. ʒj, & ita applicetur cum „linteis ad dolentes, & ardentes hæmorrhoi„des, v. g.

℞.

(*a*) Prax. special. l. c. p. 151.

℞. ▽æ fl. verbasc. vel. fœnic. ℥jß.
Camph. oleo amygd. solutæ ʒj. M. & cum

„linteis duplicatis applicetur rimæ ani.“

7. L. HEISTERI (*a*) vir plethoricus 40 annorum, hæmorrhoidibus cœcis obnoxius, cum aliquando triduum affligeretur obortis 5 tuberculis amplitudine thaleri serum olidum subcruentum exsudantibus, cum atroci dolore ardente, & vix incessum, sessionem, decubitumve concedente, ac vigiliis, Auctor imperata diæta tenui antiphlogistica præscripsit:

℞. Lap. 69 citrat
♀ri ⊕lati āā ʒiij.
Cinnab. nativ.
⊕. puri āā ʒj. M.

S. m. v., & meridie ℈ij ex ▽æ primulæ veris; externe autem litum sequentem:

℞. Olei amygd. dulc. ℥jß
Camph. gr. vj.
Sach. ♄ni gr. iij. M.

Teratur probe in mortario plumbeo, & varices sæpius illinantur, foveanturque cataplasmate tepido crebro ex sequentibus:

℞.

(*a*) Medic. chirurg. Wahrnehm. 1. B. No. 208.

℞. Herb. althææ Mij.
— malvæ
— hyosc.
Flor. Verbasci
— melilot.
— ſamb. āā. M. j. conciſ. coqu. in

Hydrogala ex æquis ▽æ, & lactis partibus. Ab his æger brevi convaluit, & ſecta dein ter, quaterve quotannis vena, ſub permoderato vini (cujus appetens erat) uſu ſenſim a morbo plane immunis evaſit. Simili quoque medendi ratione curavit (*a*) mulierem 28 annorum ab tuberculo hæmorrhoidali juglandem magno, quod poſt ultimum puerperium obortum vehementes ſæpe dolores, & ardorem cauſabat; ſecta enim in pede vena datus ℥ temperans, & externe litus ſuperior cum ſacculis ex fl. verbasci, linar., & chamom. in lacte coctis imperatus malum ſuſtulit. Analogum caſum jam alibi (*b*) quoque ex illo dedimus.

8. F. HOFFMANNUS (*c*) pro hæmorrhoidibus cœcis conſultus „ego ſaltem (ait) in „tali caſu egregiæ virtutis tam purificantis „atque conſolidantis; quam etiam dolores „ſopientis deprehendi ſequens unguentum:

℞.

(*a*) Ibidem Nro. 268.
(*b*) Vide §. 84. c)
(*c*) Conſ., & reſp. med Cent. 2. Caſu 24. Conſ. Med. rat. ſyſt. T. 4. P. 2. S. 2. C. 5. curat. §. 9.

℞. Olei ex vitellis ovi recentib. ℥j.
— hyosciami ʒij.
Flor. ♤ ℈ii.
Extr. croci ℈j.
Camph. gr. vj. M. D.

9. I. LANZONUS (*a*) „hæmorrhoidalem „fluxum, atque dolorem in muliere quadam „quadragenaria fugavit hujus unguenti appli- „catione :

℞. Ungu. de linaria ℥j.
Adipis ranar. ℥ß.
Olei ovor. ℈jv.
— citri ʒj. M.

„Intingatur linteolum, & apponatur calidum „loco dolenti."

10. Idem (*b*) unguentum meum (ait), „quo feliciter ufus fum in praxi facienda, „fequens erit:

℞. Cœpæ fub cineribus coctæ ℥ij.
Ungu. populeonis ℥j.
Olei lini ℥ß.
Vitellor. ovorum ʒij.
⊖ ♄ni ♁fati ʒj.

Extr.

(*a*) Citrolog P. 2. C. 3. Opp. T. 1. p. 339.
(*b*) Confult. med. 99. Opp. T. 2. p. 208.

Extr. opii ʒß.
Adipis ranar. ʒiij. M. F. linimen.

„S. a. & bene misceatur in mortario plum-„beo." Et (*a*) „faber lignarius . . . anno-„rum 49 molesto hæmorrhoidum dolore af-„fectus . . . brevi 2 dierum spatio sanatus „est sola applicatione mei unguenti de cœpa."

11. Idem (*b*) „religiosum novit, qui bal-„samo ♀ris in hoc affectu utitur; feminam, „quæ oleo ovorum; puellum, qui adipem ra-„narum; & piscatorem, qui cœpam sub ci-„neribus coctam adhibent. Judæum quem-„dam vidit, qui a longo tempore ab eo ve-„xatus post varia præsidia tandem sequenti „unguento sanatus est:

℞. Unguenti rosat. malvin ℥j.
☿rii crudi ʒij.
🜍 vivi ʒj.
Croci orient. gr. v. M. in mortario plumb. s. a."

12. F. LOSSIUS (*c*) curandam habuit mulierem ætate florente, perquam obesam, gravissimis cœcarum hæmorrhoidum doloribus ob-

---

(*a*) Consult. med. 174. p. 352. sq.
(*b*) Misc. nat. cur. Cent. 5. Obs. 42.
(*c*) Obs. med. L. 3. Obs. 28.

obnoxiam, totas noctes insomnes causantibus, quæ post multa incassum tentata demum instar miraculi a dolore liberata est fotu thapsi barbati, & scrophulariæ in lacte coctorum, ac litu frequenti

℞. Carnis bubulæ macræ ad prunas in
Olla ustæ, ut ℥sari possit, ʒij.
Vitell. ovi. No. j.
Unqu. de Linar. ℥jß.
— — althæa ℥ß.
Olei amygd. dulc. q. s. M. F. linim. gossipii ope admovendum. Idem etiam in aliis ex voto cessit.

13. M. G. PURMANNUS (a) ad hæmorrhoides dolentes isthoc usus est linimento:

℞. Ungu. de lithargyrio cum
Olei amygd. dulc. facti ʒiijß.
Tutiæ ppt. ℥ß.
℥ herb. filicis seu linar. ʒiij. M. F. linimentum ope linteoli vel gossipii applicandum. Ubi unctuosa noles, pro unguento lithargyrii sume mucilaginem cydoniorum.

14. H. REUNERI (b) „homini maximo „dolore hæmorrhoidum laboranti optime con„tulit hoc linimentum

℞.

(a) Chirurg. curios. P. 2. C. 20. p. 473.
(b) Obs. med. 89.

℞. Pulpæ pomi ſub cinerib. cocti ℥j.
Pingued. gallin. ℥ß.
Ungu. popul. ℥ß.
Croci ʒß.
Vitell. ovi. j. F. linimentum.

„A. GASSERUS feliciter utebatur pulpa pomi „cocti cum ſaccharo penidio."

15. P. SORBAITII (*a*) cataplasma

℞. Porrorum cum toto M. jv.
Micæ panis ℔ß. Coqu. in
Lacte caprillo ad putrilag. contundendo in mortario, addo ſub finem
Croci Auſtriaci ʒß. v. q. ſ. ad intenſam flavedinem. M. F. Cataplasma, quod miraculi inſtar, uti ſæpiſſime probavimus, dolores omnes tollit.

16. TILLINGIUS (*b*) literato cuipiam ſæviſſimos hæmorrhoidum dolores linimento hocce protinus ſubmovit:

℞. Empl diach. ſimpl. oleo chamom. molliti
Ungu. populeonis āā ℥ß.
Olei amygd. dulc.
— lilior. albor.

Olei

(*a*) Medic. pract. Tr. 1. C. 68. p. 421.
(*b*) Lib. de laudano opiato. p. 472.

Olei lumbricor.
— verbasci āā ℥j.
Lapid. prunellæ ʒß.
Laudani opiati gr. viij. M. F. linimen.

17. G. H. VELSCH (*a*) „rariſſimus (ait) „affectus eſt fluxus hæmorrhoidum non ſanguineus; ſed ichorodes, & quaſi ſuppuratus: bis omnino hunc obſervavimus, ſemel „quidem in viro religioſo, qui ſponte ruptis haud parvam copiam purulentiæ excreverat; linimento ex ♃e lap. Grumbacenſis, „tutiæ pptæ, boli Armen. cum ung. de „minio, & de ceruſſa curatus eſt.“

18. *Vratislavienſes* (b) „in doloribus „atrocibus mitigandis ſpem (ajunt) noſtram „non fefellit linimentum ex mucilagine ſem. „pſyllii, ac cydon. cum ▽a Verbasci extracta, „oleo hyosciami, & vitello ovi . . . Interdum ſumus etiam uſi ſequenti Unguento:

℞. Unqu. ad hæmorrhoides.
— roſati āā ℥iij.
— albi camphor. ℥ij.
Sacch. ♄ni in oleo lil. alb. ſolut. ℈ß.
Olei hyosciami ℥ß.
— verbasci
— momordicæ. āā ℈ij. M. D.

19.

(*a*) Obſ. med. Hecatoſte 2. Obſ. 98.
(*b*) Hiſtor. morbor. Vratisl. A. 1702. p. m. 376.

19. C. L. WALTHERUS (a) multum fidebat miscelæ ex balsamo ♁ terebinthinato cum balsamo ♄ni camphorato. Nobilis vir equitationi, saltui, pugilatui deditus, & obstructioni alvi obnoxius, ex nimiis nixibus in hæmorrhoides cœcas incidit, quas pro ani prolapsu habens frustra repositionem tentavit, imo multa pressione durities accessit, ac tumor tria in tubercula divisus est. Accitus Auctor applicuit sæpe calida linteola oleo de 7. florib. MYNSICHTI imbuta, simulque vaporem ex herbis emollientibus vino incoctis; alvum enemate reseravit: interne salem volat. oleos. præbuit, & alvum apertam servavit catharticis pilulis, & quietem imperavit. Mollito his tumore miscelam balsamorum dictorum ad finem usque adhibuit. His intra 3 hebdomades plane convaluit. Atque hac methodo cœcas hæmorrhoides cito, auspicatoque semper ab se fuisse percuratas ait.

20. *Unquentum album camphoratum* in leniendis hæmorrhoidum cœcarum doloribus, ac tuberculis discutiendis I. STORCH (b) sæpenumero efficacissimum est expertus.

21.

(a) Thesaur. Observ. medico-chirurg. Obs. 43. p. 139. sqq.

(b) Prax. casual. med. T. 1. A. 1731. Novembr. d. 4. p. 291. von Krankh. der Weiber 2. B. Cas. 37. p. 176. Cas. 116. p. 431. idem 3. B. Cas. 7. p. 85.

21. *Unguentum de nicotiana* (*a*), quo SEBIZIUS teste C. ROESLERO (*b*), Præfectum quemdam fluxu diuturno, nullatenusque compescendo vexatum curavit, ut non amplius redierit; sed sequente 4na, & scorbuto confectus æger interiit. Plura huc facientia apud Veteres quoque videri possunt (*c*).

§. CXXXII.

G. *Vulneraria* demum in suppuratis, ulcerosisque factis hæmorrhoidibus locum habent; sed quoniam hæc ad generalem abscessuum, & fistulæ ani doctrinam pertinent, non est hic visum prolixius de iis agere, ne libelli moles in immensum excrescat. Meretur hic legi methodus M. ALBERTI (*d*), tum balsamus mundificans PURMANNI (*e*); nec prætereundum, quod O. BORICHIUS ad T. BAR-

(*a*) TRILLER. disp. pharm. univ. T. 2. p. 826.

(*b*) Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. Obs. 331. p. 543.

(*c*) Vid. GALEN. de compos. pharm. secund. loc. L. 9. C. 7. de compos. medic. per genera L. 7. C. 2. 13. 14. de dynamidiis, & libr. secretor.

(*d*) Diss. de hæmorrhoid. cæcis. §. 26. p. 46. sq.

(*e*) L. c. p. 477.

BARTHOLINUM (*a*) præscripsit: „in desperata (inquit ille) hæmorrhoidum exulceratione nihil „præsentius auro fulminante (postquam „cum floribus 🜍 iterum, iterumque exarsit „prius), si cum oleo amygdalarum dulcium „illinatur."

CAPUT IV.

BALNEA, INSESSUS, LOTIONES.

§. CXXXIII.

IV. Balinea vel totius corporis vel dimidii umbilicotenus (quæ *semicupia* dicimus), vel natium ac femorum (quæ *insessus* audiunt), vel artuum quoque solorum, eaque calida alias, alias frigida, in hæmorrhoidalibus variis malis, non raro summi sunt usus, & quidem

a) *Calida* ad præsentem morbum profligandum, nimirum tensionem, doloremque varicum imminuendum, tubercula mollia, atque sanguinem in iis spissescentem diluendum, ac spasmos sopiendos, imo ipsum quoque

(*a*) Epist. med. Cent. 4. Epist. 92. Nro 15. p. 523.

que fluxum vel suppressum revocandum, imminentemve facilitandum, immodicum refrœnandum, quantum valeant, numerosis edocemur casibus. ZACUTUS (*a*) pro sedando hæmorrhoidum dolore præsidium nullum (ait) semicupio facto ex lacte „tepido præstantius „est, in quo si æger per horam aut ½ horam se„deat; extempore sanus evadet. Utere lacte „vaccino, ovino, equino; quod si ℔ olei „papaveris & ½ violacei in balneum projicias, „excellentius præsidium administrabis." Sed sufficit etiam solum decoctum emolliens; imo ipsa aqua pura tepida. Luculentum hanc in rem casum narrat V. RIEDLINUS (*b*): mulieri perobesæ, 30 annis majori, solennibus obesitatis incommodis afflictatæ, ab ultimo ante septennium fere fœtus mortui partu hæmorrhoides aliquoties intumuerant cum dolore, & citra ullum fluxum, malumque semper sine ullis remediis sponte iterum, brevique desiit; donec aliquando morbus accidisset cum acerbior, tum diuturnior. Accitus Auctor præbuit laudatissima quæque interna; ipsumque opium; sine ullo levamine; externa topica nulla ferebat mulier, nam ab unguentis malum exasperabatur, & ab aliis dolor crescens clamores exprimebat. Ingravescente

(*a*) Prax. histor. L. II. C. 2. Nro. 3. Obs. 1. p. m. 90.

(*b*) Lin. med. ann. 4. Aug. 5. p. 640.

cente morbo urinæ quoque retentio oborta novos causabat dolores. Donec in balneum, cujus usum hactenus pervicax detrectaverat, ingressæ dolores, quamdiu in illo morabatur, conticescere cœperunt. Ex balneo egressæ dolor quidem recruduit, at mitior nec nisi brevis, quo abeunte rediit somnus, & post hunc, dolore non amplius reverso, præsertim ad iteratum balnei usum pristina sanitas. POMMEI (*a*) quoque mulier quadragenaria, a pubertate cum spasmis hystericis hæreditate acceptis conflictata sævissimos hæmorrhoidum cœcarum dolores, qui ultimis puerperii diebus convulsiones causarunt, patiebatur ad omnia anodyna externa contumaces, nec hirudinibus etiam vel hilum imminutos. Lochia procedebant: quam ob rem forsan balnei tepidi usus diu renuebatur; donec ultima demum necessitas illius adhibitionem extorsit. Et en! primo mox balneo dolores egregie leniti, atque a 5to prorsus conquieverunt. Multum perinde calidis insessibus emollientibus tribuit, effecitque DE LA MOTTE. Meminit primum (*b*) feminæ, quæ primis tribus gestationibus ischuriam sæpius patiebatur a vehementibus hæmorrhoidum doloribus cum insigni om-

(*a*) Abhandl. von den hyster. u. hypochondr. Nervenkrankh. p. 404. sq.

(*b*) Traité compl. des Accouchem. L. I. C. 22. Obs. 424. p. 114.

omnium vicinarum partium inflammatione, ut nec alvum insuper sine maximo labore egerere posset: quapropter urina sæpissime cathetere fuit educenda; id quod majorem; quam hæmorrhoides, causabat dolorem. Injecta complura enemata mollia; bis ex brachio sanguis, ad bina semper consueta vascula, detractus. Porro insessus quotidie m. & v. per horam in decoctum emolliens ex herbis malvæ, bismalvæ, verbasci, violariæ, chamomillæ, duabus lactis pintis remixtum ita imperati, ut natibus tantum fere umbilicotenus mergeretur; a cujus bidui, vel tridui usu convaluit quidem, sed eadem gestatione bis terve adhuc passa est recidivam, at iisdem insessibus denuo semper profligatam, ita ut proxima abhinc gestatione nihil horum pertulerit. Alteri (*a*) puerperæ in 10 dies a partu optime habenti repente dein numerosæ, grandesque hæmorrhoidales varices omnem ani ambitum occuparunt cum tantis cruciatibus, ut diu noctuque quiete caruerit. Cum vero morbus ab alvo, quam inde a partu nunquam adhuc reddidit; nec ei enema sæpius tentatum injici a custode ob hæmorrhoidum tumorem posset, obstructa ortum haberet, Auctor enema primum injecit, e decocto verbasci, malvæ, flor. chamom., sem. lini, & furfur, cum melle communi ac mercuriali; quo reddito in-

(*a*) Ibidem L. 5. C. 12. Obs. 424, p. 313.

insessus paulo ante descriptos imperavit, queis ter iteratis ægra convaluit. Quantum vero hi insessus ad revocandum etiam fluxum suppressum valeant, M. SCHURIGII (a) observatio documento est: „viro juveni 30 aliquot annorum, „satis robusto, summe tamen hypochondriaco, per longum temporis spatium menstruatim fluxerant hæmorrhoides, & quidem „satis largiter. Harum ille pertæsus suasu „chirurgi cujusdam adstringentibus ab illo or„dinatis utitur: quo facto talis hæmorrhoi„dum fluxus ex voto quidem cessat, subse„quente tamen post aliquot menses menstrua „& quidem largissima narium hæmorrhagia, „quam ipse pariter ob supervenientem debi„litatem ægre ferens per interna, & externa „refrigerantia & styptica, & id genus alia, „sanguinis e naribus effluxum ejusdem chirurgi „cura impedire tentat, eoque successu, ut „cruor . . . nunc per penem, & quidem ite„rum singulis mensibus; cum urina, ad quam „crebrius mittendam stimulabatur, egredere„tur: unde æger hypochondriace anxius „meum consilium efflagitabat. Quare . . . „suasor ipsi eram, ut circa instantis orgasmi „menstrui tempus, quod ex lassitudine totius „corporis & aliis symptomatibus præscire, „atque prædicere poterat, per lenes frictio„nes, circa spinam dorsi a parte superiori „ver-

(a) Parthenol. S. 2. C. 4. §. 5. p. 224.

„versus inferiorem, præsertim circa os sacrum, „partesque vicinas, item per fomentatio- „nes, & insessus sanguini exitum quærenti „viam panderet. Quod . . . ita successit, „ut absque medicamentis, quæ jam abhorre- „bat, & absque Væ Se, quam in talo suade- „bam, ipse vero absque animi deliquio ferre „non poterat, hæmorrhoides iterum appare- „rent, quas ad hunc usque diem ultra 20 ali- „quot annos optima cum sanitate menstrua- „tim experitur.“ Ad immodicum denique hæmorrhoidum fluxum cohibendum „brachio- „rum in liquorem aquoso-vinosum tepidum „immissio apprime ex usu est“ F. HOFFMANNO (*a*) teste; nec abs re, quandoquidem in hæmoptoë simplex hoc præsidium sæpe ad miraculum prodest.

b) *Frigida* vero pene majoris sunt utilitatis; siquidem non modo præsenti malo sæpe medeantur, sed etiam reversionem illius arceant. Enimvero ubi nimia vasorum sedalium laxitas vel varicibus dolorificis, vel profluvio immodico, vel ani quoque prolapsui ansam præbet, aquæ frigidæ lotiones vel insessus nativum reparando tonum & præsentia hæc mala tollunt, & ulteriori usu reditum eorum præpediunt. Hinc G. E. HAMBERGERUS

(*a*) Med. rat. syst. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. curat. §. 1.

RUS (*a*) „ad præcavendas (ait) . . . cœcas „hæmorrhoides nihil præstantius est quotidiana „lotione ani cum aqua frigida" POMME (*b*) meminit civis 36 annorum, atrabiliarii, qui a longo tempore nimium hæmorrhoidum fluxum variis oppugnabat remediis. Suspicio erat, malum esse syphiliticæ originis; instituta ergo provide anticeltica curatione fluxus remisit. Aliquando autem ira vehementi percito rediit idem tantopere, ut per integrum mensem quotidie fere ℔. j. sanguinis effluxerit. Fluxum hunc excepit inflatio faciei, ac pedum cum colicis. Nulla adstringentia data, sed plastica (ob sanguinem a ☿o attenuatum) sub diæta analeptica humectante, externe vero crebra enemata refrigerantia, & balnea frigida imperata hæmorrhagiam compescuere; inflatio autem equitatione demum plane disparuit, ægerque omnino convaluit. DÜREN apud S. BLANCARDUM (*c*) refert virum quemdam a nimio hæmorrhoidum profluvio nullis cedente remediis medici tandem stratagemate fuisse vindicatum. Duorum subornatorum famulorum uno herum irritante alter a tergo nihil opinantis corpus urceo aquæ frigidæ repente perfudit: unde territo hero & vasis aquæ frigore contractis hæmorrhagia substitit.

(*a*) Diss. cit. §. 52. ad calcem.

(*b*) L. c. p. 219.

(*c*) L. c. Obs. 79.

tit. 8. WHYTT (a) in fluxu nimio balneum aquæ marinæ commendat, quo una ægrarum illius, nondum quinquagenaria tanto hæmorrhoidum profluvio obnoxia, ut raro alvum egesserit, quin multum simul sanguinis amiserit, plus quam alia quavis re profecit; namque inde non fluxus tantum imminutus est, sed appetentia quoque emendabatur, & ægra vires colligens vividiorem etiam colorem est adepta.

CAPUT V.

CUCURBITAE SICCAE.

§. CXXXIV.

V. CUCURBITAE *siccæ* quemadmodum in alia quavis hæmorrhagia vel nimia compescenda vel suppressa cum læsione functionum revocanda magnæ sæpe sunt utilitatis, dum nisum contrarium nisui morboso sanguinis inducunt; sicque illum a læsa parte aliorsum alliciunt; ita etiam in hæmorrhoidum fluxu vel

(a) Beobacht. über die Natur, Ursachen, und Heil. der Nerven. Hypochondr. u. hyst. Zufalle. 7. Cap. p. m. 528.

vel nimio cohibendo vel ſuppreſſo verſus anum derivando non contemnendam ſæpe operam præſtant. Dum fluxus hic ſuppreſſus caput, pectus, abdomenve laceſſit, cucurbitarum ſiccarum applicationem ad femora conſulit. M. ALBERTI (*a*); in immodico autem hæmorrhoidum profluvio vel hæmaturia hæmorrhoidali non ſine ſucceſſu ad mammas affiguntur. Quemadmodum cucurbitæ ſiccæ, inquit. I. JEITTELES (*b*) „ad mammas „muliebres applicatæ ad hæmorrhagias uteri „ſiſtendas, vel ſaltem moderandas potentiſ„ſimæ admodum deprehenſæ ſunt; ita non „raro eas ad eadem loca in viris appoſitas in „ſiſtendo vel ſaltem moderando fluxu hæmo„rrhoidali, cruentoque mictu ab hæmorrhoi„dibus ita dictis veſicæ originem trahente „proficuas apprime deprehendi.“

CAPUT

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidum conſen. cum capite, & pectore §. 25. Tract. cit. P. 2 p. 109.

(*b*) Obſervata quædam med. §. 17. p. 15. ſq.

CAPUT VI.

REPOSITIO ANI PROCIDUI.

§. CXXXV.

VI. Repositio *ani prolapsi* cum varicibus ſub nixibus vel alvinis, vel quibusvis aliis evenientis, ut alibi (*a*) vidimus, ſæpe tam eſt neceſſaria, ut hac neglecta nec dolor nec fluxus, adhibitis quibuscunque aliis præſidiis conquiescant: unde L. DURETUS (*b*) „ſæpe „multos animadverti (ait), qui ab hæmo-„hoidibus immiſericorditer cruciabantur; qui „nec fotu, nullo tapſo, nullo cataplasmate, nul-„lo denique anodinorum mitescebat dolor, „priusquam pars reſtitueretur ſuo loco, & ut ac-„cidit in prolapſu ani, nam vel ſuspenſio ipſa „facit dolorem . . . Sed inter omnia primum „ſtudeamus; ut partem ſuo priſtino loco re-„ſtituamus; nam hæc partis reſtitutio dolorem „ſedat, ut in M. HOSPITALIO Galliæ cancel-„lario hæmorrhoidibus diuturnis vexato ſæpe „experti ſumus." (*c*) Aliquando etiam acci-„dit,

(*a*) Vide §. 53. II. Nro. 6.

(*b*) L. c. p. m. 577.

(*c*) Ibidem p. m. 581.

„dit, ut proſtantibus tuberculis internis ob‑
oriatur fluxus hepatico ſimilis, qui nullis cedit remediis, ſola vero repoſitione deſinit, cujus rei exemplum R. F. OVELCÜN (*a*) ſuppeditat de ſene 62 annum agente, melancholico-ſanguineo, qui poſt cœcas hæmorrhoides topicis retropulſas varia illarum molimina graviſſima 11 annis perpeſſus, ubi ab idoneis remediis denuo hæmorrhoides primum cœcæ, dein fluentes etiam veniſſent, multis deinceps annis commodius habuit. Verum ante ultimum ſexennium obortus alvi fluxus loturæ carnium jam aquoſiori, jam plus cruentæ ſimilis, induſium, braccasque fœdans, ad remedia increscens potius, ex intermittente jam fere continuus factus vires ſenſim peſſumdabat, quem ani tuberculis hæmorrhoidalibus carnem crudam referentibus obſiti accidens aliquando, nec repoſitus, prolapſus cauſavit: donec demum facta ab ipſo ægro repoſitio linteo molli fluxum illico compescuit; qui vero toties iterum revertebatur, quoties æger prolapſum ſub alvi egeſtione rectum obliviſcebatur reponere; facta autem repoſitione rurſus deſinebat. Hoc ipſo etiam fluxu ex eadem cauſa frater illius laborans eadem perinde arte ab eodem liberabatur. Sopito hoc fluxu vires ambo ammiſſas, ſub diæta bona recuperarunt. Subinde tamen repoſitionem vel

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 7. Obſ. 29.

vel ſiccitas elapſi ani, vel varicum moles moratur: idcirco primo in caſu pars elapſa humectanda, ut MORGAGNII (*a*) femina factitabat, in altero autem varices prius vacuandæ, vel discutientibus vel hirudinibus vel ſcarificatione (*b*).

CAPUT VII.

L I G A T U R A.

§. CXXXVI.

VII. LIGATURA etiam olim ad cœcas hæmorrhoides fuit commendata. HIPPOCRATES eo quidem libro, quem de hæmorrhoidibus (*c*) inſcripſit, nullam illius injecit mentionem; at de ratione victus in morbis acutis (*d*) agens diſertis eam verbis conſulit: hunc CELSUS (*e*) exſcripſit; iſtos alii, quos inter R. FONSECA (*f*) „curantur autem (inquit) hæmorrhoides uſti-

(*a*) Vide §. 126. a) α.

(*b*) YOUNG l. c.

(*c*) FOESII opp. T. I. p. 891. ſqq.

(*d*) Ibidem p. 406.

(*e*) L. 7. C. 30. Nro 3.

(*f*) L. c. T. I. Conſ. 27. p. m. 181. ſq.

„ustione, sectione aut ligatura, ut docet „HIPPOCRATES, sed 4to acutorum probat li-„gaturam, quam etiam FALLOPIUS approbat „magis, quam cetera.“ Verum enimvero cum in spuriis hæmorrhoidibus, sive alius indolis excrescentiis ani locum illæ ligaturæ aliquando habere possint, in veris profecto tuberculis hæmorrhoidalibus sunt periculosæ. Ligatura enim teste I. L. SCHMUCKERO (*a*) tunc „non modo vehementissimos dolores, „coarctationes intestini recti, inflammationes, „ac spasmos letales causaret, verum etiam, „cum vinculum quotidie magis contrahi de-„beret, æger ex his supervenientibus malis „prius certe periret (præsertim si ligatura plu-„ribus in tuberculis simul ac semel instituere-„tur) quam ista delabi quirent.“ Vera hæc esse jam olim L. DURETUS (*b*) expertus est. „Memini (refert ille) vidisse me abhinc 16 „annis in Episcopo, qui mariscam habebat, „quæ colore & consistentia cutim naturaliter „constitutam referebat. Quidam peritissimi „Chirurgi suaserunt, ut constringeretur accu-„rate, ut excideret; negabam esse faciendum „. . . ac dicebam multas calamitates posse „accidere. Lino constricta est; ut morere-„tur; & excideret. Ecce doloris nata est „acerbitas, ac in convulsionem incidit. Illud est

(*a*) L. c. p. 110. sq.

(*b*) L. c. p. m. 577. sq.

„est manu chirurgica curare, sed non sanare.“ Haud secius M. PURMANNUS (*a*) narrat pectinum confectori coecas hæmorrhoides a chirurgo arcte filo fuisse ligatas, ut exciderent; verum infandos inde dolores & convulsiones accidisse. Auctor accersitus plurimum habuit laboris in servando demtis vinculis homine. Ex his itaque abunde liquet, quantopere hic ligaturæ sint vitandæ. Hinc dum S. BLANCARDUS (*b*) „verbi divini pastorem, qui diu „erat hæmorrhoidibus vexatus, sola ligatura „curavit, & postea ab hoc malo liberatus „aliquot annos sanus vixit“ non tam veras illas opinor fuisse varices hæmorrhoidales; quam carnosas potius quasdam circa anum excrescentias, quæ spuriæ hæmorrhoides vocari solent.

CAPUT VIII.

U S T I O.

§. CXXXVII.

VIII. USTIO hæmorrhoidum immodice fluentium, si hæ nulla alia arte sisti possint, velut extremum fluxus compescendi auxilium ten-

(*a*) L. c. p. 473.
(*b*) Instit. chirurg. P. 3. C. 20. Opp. T. 2. P. m. 462.

tentata est, nec pœnitendo eventu. Duplici autem methodo administratur, nempe:

1. *Corrugans*, dum ignitum ferrum vasis hæmorrhoidalibus patulis cominus quidem at citra contactum admovetur, ut illa æstu ignis corrugentur tantum, & varices, earumque hiatus aboleantur, sicque sanguinis ex iis cursus consistat. Atque hæc tantum methodus familiaris fuit HIPPOCRATI (*a*) scribenti: „ferrament. 7. 8ve parari jubeo, quæ „magnitudine palmum, & crassum specillum „crassitudine æquent, extrema parte recurva, „& in summo ad oboli parvi formam lata. „Post exhibitum pridie medicamentum pur„gans eodem, quo ad ustionem aggredieris, „die homo supinus reclinatur, pulvinoque „lumbis supposito sedes digitis quam maxime „foras educitur, tum candentibus admotis „ferramentis uruntur, quoad resiccentur, ita „ut ne *contingas* . . . Inter urendum autem „a quibusdam caput & manus detineantur, „ne moveatur, sed clamet, qui inuritur; „hoc enim pacto anus magis prominet" &c. Ac paulo post (*b*) „ustio (ait) adhibenda ea „cautione, ut ne ferro attingatur, sed prope „admotis ferramentis exsiccetur." Haud sum quidem nescius, variare hac in descriptione vete-

(*a*) Libr. de hæmorrhoidib. p. m. 891.

(*b*) Ibidem p. m. 893.

veteres codices Græcos quoad non nullas voculas, ut ex A. FOESIO (*a*) colligere eſt, ad quas etiam FROMMANNUS (*b*) aliique adhæſere; ſed ſi omnem contextum, ipſamque adnexam ulteriorem in COO curationem attente expendas, intelliges, ferro tactum partis vetari. Confirmat id ipſum & alia ejus urendarum hæmorrhoidum, quæ paulo altius intra inteſtinum rectum delitescunt, deſcripta methodus (*c*), ad quam exſequendam „cauterium (inquit) parare oportet, in modum „parvæ arundinis vallatoriæ (phragmiten vo„cant), & in ipſum ferramentum probe con„gruens accomodare; deinde immiſſa in ſedem „fiſtula candens ferramentum in eam demit„tere, crebroque eximere, quo magis calo„rem toleret, neque ulcus ex calore contra„hat, & venulæ exſiccatæ conſanescant.“ Methodus tamen utraque hodie exolevit, tum ob ignaviam ac mollitiem ægrorum hodierni ævi; tum ob medendi methodum hodie efficaciorem, per mitiora, ut raro AESCULAPIUS nunc VULCANI ope indigeat. Interea tamen I. R. FORTI (*d*) hoc remedii genere ſe in plurimis ægris feliciſſimo cum ſucceſſu uſum fuiſſe

(*a*) Ibid. p. m. 892.

(*b*) L. c. P. 2. Probl. 9. p. 252. ſq.

(*c*) L. c. p. m. 894.

(*d*) Conſ. & reſp. med. Cent. 2. Obſ. 99.

fuisse refert; neque forte efficacius, celeriusque præsidium reperitur ad reponendum ani prolapsum, ubi multæ, & grandiores varices hæmorrhoidales ejus reductionem remorantur: enimvero „lamina candente mox admota co-„minus hæmorrhoides contrahuntur, inquit „I. RHODIUS (*a*), ac veluti corrugantur, quæ „in suum reposita locum, ne denuo procidant, „annulo ferreo dextre cohibentur, quem sum-„mi ingenii viro PAULO (SARPI) servitæ vene-„to plures magno commodo acceptum refe-„runt. Annulum vero aluta utrinque conti-„net, quæ perinæum, & clunes versus fa-„sciis 4 ejus capitibus adsutis lineo cingulo „innexis firmatur." Atque hæc de prima hæmorrhoides adurendi methodo, cujus ferramenta ab HIPPOCRATE adhibita in iconibus videre est, apud I. SCULTETUM novissime ab I. C. SPROEGELIO editum (*b*). Altera

b) *Escharotica* est, dum candente ferro tactæ hæmorrhoides ita aduruntur, ut crustam in superficie nanciscantur. Hac usum unquam fuisse COUM non constat; ab aliis tamen adhibitam fuisse satis constat, de qua L. HEISTERUS (*c*) „antiquiores quidem nonnulli medici

(*a*) Obs. med. Cent. 2. Obs. 94.

(*b*) Armam. chirurg. (8. Amstel. 1741) Tab. 18. & 44.

(*c*) Instit. Chirurg. P. 2. S. 5. C. 166. §. 2. p. 1048.

„dici (inquit), ubi medicamenta adſtringen-
„tia parum proficiebant, quæ mox, licet male,
„adhibebant, ferro candente admoto vena-
„rum ora ſanguinem fundentia graviter aduſ-
„ſerunt . . . . Recentiores autem vel ipſa ex-
„perientia magiſtra didicerunt„ veterem hanc
„curandi rationem . . . quæ igne inſtituitur,
„non nimis tantum crudelem eſſe; ſed &
„plerumque prorſus perniciosſam.“ Interea
tamen, ſi vetuſtate incraſſatæ ſint varices,
vivo eas igne tangi, & magna pro parte ab-
ſumi nil vetat, imo ſæpe neceſſum eſt; cum
alioquin ſeſe nullatenus jam contrahere que-
ant. „Dantur quippe caſus, inquit A. HAEN
„(*a*), ubi hæmorrhoides copioſæ tument circa
„anum, tumentque enormiter, ac ſpongioſæ
„factæ, & veluti carnoſæ ultra in anum re-
„duci nequeunt: hinc dolores ad alvum into-
„lerabiles; alvus vix ultra movenda, proflu-
„vium ſanguinis perpetuum, ut hydrops in-
„de nascatur, aut continuæ fere oriantur de-
„bilitates ac ſyncopes. Talem caſum vidi in
„virgine quadam; inito conſilio, & eradi-
„catione concluſa vidi dexterrimum vetera-
„num chirurgum DRINGBERG cauterio actu-
„ali magnitudinem auferentem plus quam pomi
„aurantiorum, & parvum relinquentem tuber-
„culum, quod bene ſanguinem fundebat: hinc
„ſemper ea via aperta ſervabatur.“ Neque
ſimi-

(*a*) Prælect. cit. T. 5. ad §. 1235. p. 372.

ſimilis uſtio infeliciter cecidit I. SCULTETO (*a*) „in nobili veneto ex CONTARENORUM ſtirpe „nato, juvene 26 annorum, temperamenti „ſanguinei, tempore veris laborante primum „(antehac enim nunquam) hæmorrhoidibus „externis nimium fluentibus; ad quem voca-„tus venam brachii dextri internam incidi, „dorſoque cucurbitulas ſine ſcarificatione ſic-„cas applicari juſſi, conſervam roſarum anti-„quam cum croco ♂ (non neglectis ligaturis „partium ſuperiorum) per os ut ſumeret, ex-„hibui, & medicamenta valida adſtringendi „facultate prædita, ovique albumine ſubacta „& goſſipio uſto excepta parti affectæ appo-„ſui: nihilominus tamen fluxus ſemper ve-„hemens duravit, ægerque rubicundus alias „in colorem pallidiſſimum fuit mutatus, ita „ut de vita ſua periclitaretur . . . Unde do-„mum feſtinans neceſſariis me inſtruxi inſtru-„mentis, punctalibus nimirum (*b*), quæ re-„trocedens famulo . . . ut ea ignita redde-„ret, tradidi, quibus optime ignitis omnium „venarum hæmorrhoidalium, quæ fluxerunt, „oſtiola ſingillatim tetigi, cruſtamque induxi, „a ſuperioribus incipiendo, ne ſanguis ex „intactis defluens ferramenta ignita exſtin-„gueret . . . ſanguine chirurgia ſuppreſſo, „& optima victus inſtaurantis regula obſer-

vata

(*a*) L. c. Tab. 44. p. 136. ſq.

(*b*) Ibidem Tab. 22. fig. 5. 6.

„vata nobilis ille priſtinæ ſanitati reſtitutus „fuit; cui conſului, ut ſingulo trimeſtri cucur„bitulas 4 ſcapulis, & dorſo affixas, & ſcari„ficatas adhiberet, ne natura in futurum ſan„guinis abundantiam per venas ani expellere „aſſuesceret. His rite obſervatis ab hæmo„rrhoidum fluxu liber per decennium integer„rima ſanitate vixit. Quodſi natura prædicti „nobilis hæmorrhoides antehac ſæpius ape„ruiſſet, & quaſi aſſueta ad hanc ſolam par„tem ſuperflua transmittere ſolita fuiſſet, „unicam hæmorrhoidum ferro intactam reli„quiſſem." &c. Alium uſtionis ejusdem caſum I. B. LAMZWEERDE (*a*) ſuppeditat: „ru„ſticus . . . annorum 70 poſt intolerabiles hæ„morrhoidum dolores, & quævis fruſtra ten„tata remedia perſuaſione magiſtri mei opera„tionem chirurgicam admittit, quæ . . . feli„citer per ſcalpra obtuſa, & ignita ſerratim „perficitur, appoſito vulneri actuali cauterio, „ne nimia hæmorrhagia ſubſequeretur; quod „ulcus aliorum inſtar brevi curabatur." Huc & S. BLANCARDI (*b*) caſus pertinet, nobilem Polonum 48 annorum, ſanguineo cholericum & gravi arthritide ſæpius obnoxium, circa Novembrem A. 1689 tenesmus invaſit, in dies ingravescens, ut demum omni momento ad

(*a*) Ibid. append. I. Obſ. 94. p. m. 651.

(*b*) Inſtit. chirurg. P. 3. C. 20. Opp. T. 2. p. 462. ſqq.

ad desidendum coegerit, licet vel nihil, vel pauxillum muci egereretur. Frustra plurimis enematibus injectis Aprili 1690 alios consuluit æger. Indito in anum digito altius latentia tubercula hæmorrhoidalia detecta sunt. Idcirco bis quotidie injectis enematibus, admotisque ano cataplasmatis malum foras attrahentibus id effectum, ut multi nodi duri ex uno latere circum anum enascerentur, atque ita fex egerenda, insignes intra, extraque anum causaret dolores. Horum nodorum aliqui exulcerati multum puris præbuere, ceteris nil mutatis. Post plurima rursus, diuque adhibita nec quidquam remedia æger aliquando multum sanguinis coacti egessit, & abhinc ingens humorum acrium vis ano involuntarie exire cœpit, ut nycthemeri spatio 8 vel 10 mantilibus opus fuerit, alvo nihilominus segni, difficilique manente, ut syrupo cathartico fuerit promovenda. Tandem nodi anum obsidentes duri in unum majorem, ac duriorem confluentes totum pene anum obduxere. Nec cerata, & cataplasmata numerosa, nec longus decocti e radice chinæ, & salsæparillæ potus vel hilum profuit. Arthritis vero, ex quo morbus præsens occepit, parum vexavit. Aeger cetera sanus, & mediocriter appetens cum A. 1691. commendatum ptyalismum reformidaret, Auctorem consuluit. Suasit hic, ut sub usu internorum alvum semper liberam præstantium bis quotidie sumeret ☿em ex æthiope min. & Lap. 69:

ex-

externe consuluit nodorum hæmorrhoidalium cauterio absumtionem, ut ad internos facilior evadat accessus. Ablata crusta, & sanata plaga, ut indatur balanus e melle, & ⊕lo alb. Sic æger ante 3um mensem convaluit. Memoria etiam dignum est ustionis exemplum ab A. MASSARIA (*a*) literis proditum. A. 1569. F. C. V. dolore primum, dein immoderato correptus est hæmorrhoidum fluxu omnia eludente remedia, ita ut demum Patavini medici ustionem solam superesse judicarint: Accitus ergo Neapoli FABRICIUS chirurgus hujus operationis gnarus ægrum primum vinciri jussit, ne ullo sese modo movere, sicque operationem interturbare posset: deinde singula hæmorrhoidum capita ab intestino leviter excoriavit separavitque; tum apta ad id acu forti obducto filo fere ad extremum tota perforavit, & stricte obvinxit, consuitque. Demum forfice venarum particulam abstulit, residuamque ex sutura partem ignito ferro combussit. Ab hac ligatura sectione, & ustione dolor, ac febris emicuit; sed idoneis adhibitis remediis, æger a febre, dolore ac hæmorrhoidum fluxu intra paucos dies liberatus est, pristinæque redditus sanitati. Sed nimis sibi fidens cum Væ Sem, cathartica, probamque diætam neglexisset, e pestilenti febre proximo anno interiit. „Quæ cum fuerit

(*a*) Pract. meth. L. 3.

„fuerit felix Neapolitani Chirurgi curatio, „non minus ea felix fuit nostra, inquit M. A. „SEVERINUS (*a*), quam in R. P. BENIGNO „. . . peregimus, cui cœnobitæ . . . vari„cula perdolens, ac sane gravis cum nullis „unquam aut internis, aut externis accommo„datissimis præsidiis levata fuisset, igne per me „. . . adhibito subinde discussa est semel, „vivitque jam homo integer ab illo, qui per„petuo sub mortis sinu vivere videbatur." Atque ex his liquet, haud ita sæpe esse perniciosam hanc ustionem, atque L. HEISTERO visa est. Vivi autem ignis in locum caustica quoque remedia interdum Veteres adhibuerunt, ut ex CELSO (*b*) intelligere est scribente: „si ista (styptica) parum juvant, „solent imposita medicamenta adurentia ea „capitula absumere. . . Adustis capitulis fit „cicatrix, quæ sanguinem fundi prohibet."

§. CXXXVIII.

Cautela tamen in hæmorrhoidum ustione alterutra tenenda est, ut vel unum capitulum hæmorrhoidale, si plura urenda sint, intactum relinquatur, vel si unicum est, illud non funditus; sed ad minimam usque sui molem igne

---

(*a*) L. c. Pyrotechn. L. 2. P. I. C. 97. p. m. 265.

(*b*) L. 6. C. 18. Nro. 9.

igne reducatur, ut aliqua nempe via ſanguini deinceps egreſſuro relinquatur; ne alioquin omni intercepto ſimul ac ſemel exitu ille aliorſum regurgitans alios excitet morbos (*a*); vel, ut omnibus capitulis venarum igne exuſtis fluxus hæmorrhoidalis impoſterum arte ſuppleatur. Multa nihilominus hac de re inter medicos exſtitit controverſia, cui HIPPOCRATES occaſionem videtur præbuiſſe; nam cum alias (*b*) dicat: „urere vero illa oportet, „ut earum venarum, quæ ſanguinem fundunt, „nulla inuſta relinquatur, ſed omnes aduran- „tur.“ Alibi (*c*) nihilo ſecius „diuturnum „ſanguinis profluvium per ora venarum (in- „quit), quæ in ano ſunt, (hæmorrhoidas di- „cunt), curanti niſi una ſervetur, periculum „eſt, ne aqua inter cutem, aut tabes ſucce- „dat.“ Quæ poſterior ſententia eo etiam verior, & COO dignior viſa eſt; quo magis experientiæ reſpondet (*d*), quam prior. Utraque tamen ſuos nacta eſt patronos, ita ut, qui priorem etiam tuentur, toti ſint in poſteriore varie interpretanda, & quidem

1) AB

(*a*) Vide §. 55.

(*b*) De hæmorrhoid. p. m. 891.

(*c*) Sect. 6. aphor. 12.

(*d*) Vide §. 55.

1) AETIUS (*a*) contendit HIPPOCRATEM ſcripſiſſe „hæmorrhoidas ſananti inveteratas „*ſi non adſervetur*, periculum eſt hydropem, „aut tabem ſuccedere, non enim velut qui-„dam opinantur, dixit, *ſi non una fuerit ſer-„vata* hæmorrhois ad ſanguinis excretionem; „ſed dixit; ſi non adſervetur; hoc eſt, ſi „non convenienti diæta utatur. Quod autem „ſic velit HIPPOCRATES, ipſa aphoriſmi di-„ſtinctio oſtendit; ait enim hic vir: hæmo-„rrhoidas inveteratas ſananti; eſt autem ſa-„natio perfecta liberatio, & legitima curatio. „Quare juxta HIPPOCRATEM non oportet ali-„quam hæmorrhoidem relinquere, ſed omnes „exſcindere, & poſt perfectam ipſarum cura-„tionem per convenientem . . . diætam ad „naturalem ſtatum corpus curatum reducere, „incidereque cubiti venam tempore opportu-„no, quo videlicet coacervatus in corpore „ſanguis evacuetur.“ Hæc ille. Verum ab om-nibus rejecta eſt COI hæc interpretatio, quippe quæ contra fidem omnium codicum M. SS ſit, ut recte obſervat E. FERDINAN-DI (*a*): quandoquidem in ſingulis vocula *μία una* reperitur.

2. Alii vero plerique volunt COI apho-riſmum ad habituales tantum hæmorrhoides, quas

---

(*a*) Serm. 14. C. 5.

(*b*) Hiſtor. med. 16. p. 42.

quas ipſe per *diuturnum* . . . *profluvium* intellexerit, pertinere, non item ad recentes. Sic homini SCULTETI (*a*) morbum recentem paſſo ad unam omnes aduſtæ fuere cum euphoria, & ſanitatis conſtantia; virgini contra HAENII (*b*) unicum tantum tuber habenti vetuſtum uſtio eatenus ſolummodo eſt adhibita, quæ tuberculo plurimum imminuto, non prorſus exſtirpato fluxum moderaretur, non ex integro cohiberet. Imo VALLESIUS (*c*) etiam habitualem fluxum cenſet uſtione poſſe in totum ſupprimi; at non ſine prudenti, ac provida methodo, nempe „(inquit ille) impoſſibile non eſſe, ut multi „putant, ex HIPPOCRATIS opinione fieri, „ut ex multis hæmorrhoidibus, illisque in„veteratis homo ſanus integre aliquando „evadat; non enim præcipit HIPPOCRATES „illam unam, quæ ſervatur, perpetuo ſer„vare; ſed hic quoque (ut in aliis omnibus) „ſenſim conſuetudinem permutare. Quoni„am igitur ex multo tempore conſueta erat „illa vacuatio, ſupprimendæ ſunt (his quo„que præmiſſa totius corporis cura) una ſer„vata, continendusque deinde homo in bono „victu, ut intemperies corrigatur. Quod „cum

(*a*) Vide §. præced.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Controvers. L. 8. C. 6.

„cum factum fuerit, licebit etiam reliquam „obſtruere, eritque ultima hæc curatio ſa„natio unius hæmorrhoidis, ut HIPPOCRA„TIS ſententiæ nihil ſit adverſum, & homo „integræ ſanitati reſtituatur.“ Verum conſilium hoc theoriam magis; quam praxim ſapere videtur; periculoſæ plenum opus aleæ! Correcta enim intemperie fluxus hæmorrhoidalis ſponte ceſſat; ſin minus, illa non videtur ſatis correcta: quorſum autem tunc hæmorrhoidis ſuperſtitis curatio ſit evaſura, nemo divinabit.

3. Alii denique nihil intereſſe exiſtimant, habitualis, an recens ſit immoderatus ille fluxus, ac tuto ſemper omnia venarum capita aduri poſſe cenſent; modo aboliti ita fluxus in locum vicariæ inſtituantur ſanguinis miſſiones, & recta vivendi ratione accumulatio ſanguinis in vaſis præcaveatur. CELSUS (*a*) his præluxiſſe videtur ſcribens: „quoties is (flu„xus) ſuppreſſus eſt, ne quid periculi afferat, „multa exercitatione dirigenda materia eſt, „prætereaque & viris, & feminis; quibus „menſtrua non proveniunt, interdum ex „brachio ſanguis mittendus eſt.“ Ad hæc ipſa verba videtur etiam GALENUS (*b*) reſpexiſſe, dum COUM interpretatur dicentem, ex intempeſtiva fluxus hæmorrhoidalis percura-

(*a*) L. 6. C. 18. Nro. 9.

(*b*) In HIPP. epidem. 6. comment. 3. tex. 28.

curatione in varios graves delabi morbos (*a*); namque intempestive seu „importune „eorum mariscis medentur (inquit), qui ne„que venam per circuitus scindunt, neque „alvum ducentibus utuntur, neque per ex„ercitationes evacuant, neque unam ex iis „saltem relinquunt, sed omnes una tollunt." Quasi diceret, alterutrum in mariscarum sublatione esse faciendum, nimirum aut unam esse intactam relinquendam, pro moderato fluxu retinendo, aut certe sublatum penitus nulla marisca relicta fluxum esse periodicis sanguinis missionibus, & catharsibus, corporisque exercitio compensandum. Unde etiam I. HOLLERIUS (*b*) „ubi (inquit) hæc reme„dia adhibita fuerint, & per intervalla; „nulla (hæmorrhois intacta) relinquenda vi„detur, præsertim cum ea purgatio non sit „naturalis, & optima victus ratione decli„nari queat. In recentibus quoque metu „gravioris mali una servari potest. Multis „percurantur, sed experientia docet, nisi „purgentur, & sanguis detrahatur, ne„scio qua melancholia & obscœnis somniis „vexari. An autem una relinquenda sit, „quæ statis periodis effluat; an obligandus „æger phlebotomiæ per intervalla, & medi„camentis, id fere arbitrio ægri relinquen„dum; nisi quis a plebothomia, purgatione, „exer-

(*a*) Vide §. 55.

(*b*) L. c. in scholio p. m. 574.

„exercitiis deterius habeat, aut hæc leniter „ferens gravius ferat hæmorrhoidem. Re„linquere autem unam apud HIPPOCRATEM „nihil aliud eſt; quam non ſecare, non ure„re, non conſuere, ſiccare, putrefacere: „nam liber eſt de hæmorrhoidibus, ubi o„mnes urit, ſecat, curat, conſuit, putrefacit, „ſiccat. Quod igitur AETIUS nullam ſervan„dam ſcripſit, PAULUS contra non ſolum in „diuturnis; ſed ubi ſtillicidii modo effluit „ſanguis, ceteris occluſis unam relinquen„dam præcipit. Servari duobus modis inter„pretari poteris, vel neglecta artificioſa cu„ratione, vel adhibita; ſi negligatur, una „ſervanda eſt; ſi adhibeatur, nulla.“ Ingenioſa hæc ſane ſunt, ſed antequam his fidem adhibeam, unum id rogatos velim, qui, ſeu una hæmorrhoïs intacta ſinatur pro ulteriori fluxu, ſeu omnibus occluſis iſte vacuationibus arte inſtitutis compenſetur, perinde habent, num ita vacuationum arte faciendarum tempora dimetiri norint, ut ubi primum ſanguinis copia abundarit, eas inſtituendas eſſe intelligant, & inactutum inſtituere ſemper poſſint? Verum nemo id, opinor, dabit: nam nec tempora hujus accumulationis humorum ex æquo ſemper ſibi conſtant, cum hæc a variis, iisque vagis plerumque cauſis pendeat, ut id variis temporibus accidens fluxus docet; nec ſemper vacuare, dum oporteret, ſeu ob dignoſin ſæpe prætervifam, ſeu ob ægri adjuncta id morantia eſt integrum. Quod ſi

vero

vero hæc ita ſint, ego utique haud exiſtimo perinde eſſe, ſeu una hæmorrhois pro fluxu relicta fuerit, ſeu occluſis omnibus ille deinceps vacuationibus arte factis ſuppleatur; cum enim priori in caſu nihil periculi ſit a fluxu ſuperſtite pertimescendum; in poſteriore mehercle res non ab omni diſcrimine abeſt: nam ſi multo ante accumuletur in corpore humor, quam ſolenne vacuationis tempus advenerit; per occluſas ani venas exitum haud nactus aliorſum regurgitabit, celeriusque noxam inferre poteſt, quam ſuccurri queat; præſertim cum non ſemper manifeſta adſint accumulati humoris indicia, & ſi quae forte etiam adfuerint, ſæpe omnibus aliis cauſis, quam illi, attribui ſoleant. Suadet quidem HOLLERIUS, ut ad ſequelas attendatur, nimirum utra ex re æger deterius ſe habeat, ex relictane hæmorrhoide, vel vacuationibus vicariis? ſi enim iſtas gravius ferat (i. e. ſi hæ minus levent, quam hæmorrhois), hæmorrhoidum fluxum præfert, & contra. Sed ſi ex occluſis omnibus ani venis inſtitutis licet vacuationibus vicariis: aliquanto poſt ingruat letalis apoplexia, quid HOLLERII conſilium a juvantibus, nocentibusque petitum eſt profuturum?

4. A. MASSARIAS (*a*) denique plus ſibi hic omnibus aliis videre viſus eſt, dum con-

(*a*) L. c.

contendit HIPPOCRATIS aphorismum unam hæmorrhoidem apertam ſervari jubentem ad fluxum tantum ſanguinis nigri, ſpiſſique, i. e. melancholici ſeu atrabiliarii, non item rutili, purique, pertinere; cum enim ab iſto in corpore retento (niſi ſola copia peccet, quæ tamen arte minui, ac demi poteſt) nihil mali oriri poſſit, ab ſolo atrabiliario ſanguine retento vel hepar obſtrui, hydropemque inde nasci, vel pulmones infarciri, hincque hæmoptoen, & ex iſto tabem conſequi poſſe. Hinc „interpretes (inquit ille) „multum laborant, ut ſententiam HIPPOCRATIS, & GALENI adverſus AETIUM tue„antur, ſed forte nemo hactenus ſatis eorum „mentem intellexit, & explicavit: namque „omnes generaliter, nullaque adhibita di„ſtinctione ajunt, fluentibus hæmorrhoidi„bus unam perpetuo eſſe relinquendam; „quod cenſco a doctrina HIPPOCRATIS & „GALENI, adde & ab omni ratione eſſe ali„enum. Etenim . . . niſi hæmorrhoides „melancholicum perfundant, ſed probum, „jam nullam præceptum HIPPOCRATIS ha„bet locum, neque oportet unam hæmo„rrhoidem apertam relinquere“ &c. Nihilo tamen minus diſtinctio haec ſanguinis atrabiliarii a puro in praeſenti controverſia Profeſſoris magis ingenium; quam Practici experientiam veritatemque redolet; nam uſus rerum docuit occluſis penitus haemorrhoidibus, cujus cujus indolis fuerit ſanguis abhinc retentus, peſſimos quosque morbos fuiſſe

con-

consecutos: ut proinde ab experientia certum, assertumque maneat, sententiam COI de una haemorrhoide aperta sinenda ad habitualem fluxum cujuslibet indolis pertinere.

CAPUT IX.

APERTURA SUPPURATARUM VARICUM.

§. CXXXIX.

IX. APERTURA *suppuratorum* haemorrhoidalium tuberculorum opus esse matura, ni sponte abscessus, matureque rumpatur, non est, cur multis notissima in re moneam. Monendos id tamen tirones F. HOFFMANNUS (*a*) voluit; ne videlicet pus intus diutius relictum ulcera sinuosa, fistulosaque (hic praesertim ob telam cellulosam pinguem uberrimam rectum intestinum undique ambientem facile nascentia) generentur, quod inprimis de internis haemorrhoidibus suppuratis valet. Namque „facilis curatio est, inquit

(*a*) Ad P. POTERII Obs. med. Cent. 2. Cap. 64. nota (1).

„quit LUDWIG (*a*), ſi abſceſſus in ani mar-
„gine ſurgit; difficilior, ſi profundius ad in-
„teſtinum rectum formatur. Quemadmo-
„dum enim in his locis disquiſitio, & appli-
„catio auxilii minus recte ſuccedit; ſic etiam
„inciſio, & puris evacuatio aegrius efficitur.
„His ſaepe in locis abſceſſus nondum matu-
„rus aperiendus eſt, cum non ſolum dolor
„urgeat; ſed diutius latens pus acre, & ro-
„dens fiat, & ulceribus generandis occaſio-
„nem praebeat. Facile enim ob contextum
„celluloſum tenacem & quaſi calloſum in his
„partibus haerentem abſceſſus in ulcera mu-
„tantur, ſaepius impura & calloſa; quae,
„niſi ſingulari chirurgi cura et apta corre-
„ctione humorum auxilium feratur; tardius
„juſto denſa cicatrice clauduntur, atque haec
„ſi nimiis digeſtivis emolliatur, laxa fit, ſe-
„pticis vero irritata rigida & nimis calloſa.“
Monente porro M. ALBERTI (*b*) „etiam cau-
„tela adhibenda erit, ne inciſio, ſi qua ne-
„ceſſaria erit, quando abſceſſus non ſponte
„rumpitur, vel nimis profunda, vel nimis
„ſuperficialis exiſtat; quin convenit apertu-
„ram ſufficientem inducere.“ Ulterior au-
tem ratio medendi e communi abſceſſuum
doctrina petenda eſt.

CAPUT

(*a*) L. c. p. 404. ſq.

(*b*) Diſſ. de hæmorrhoid. cœcis §. 26.

CAPUT X.

ULCERA ARTE FACTA.

§. CXL.

X. ULCERA *arte facta* ad recidivas præcavendas interdum multum possunt, alias vero mitiores illas reddunt, si ex toto illæ averti sese haud sinunt. Usitatissimi hanc in rem sunt pedum fonticuli. G. H. VELSCHII. (*a*) mulier perquam procera, multis partubus editis, & deficientibus per ætatem catameniis ab anno 50 deinceps crebros experiebatur hemorrhoidum dolores, eosque ut plurimum tam acutos, ut opio opus habuerit, nempe:

℞. Conf. flor. pap. rhæad. ʒj.
Philon. MES. ʒß.
Laud. opiati gr. iij.
Sach. q. s. F. boli. iij.

Linimentum hoc ei familiare fuit:

℞. Ceruss. Ven. ℥ß.
Ol. rosac.
Pingued. caninæ āā ℥ß.
— cati silv. ʒij.
Camphoræ ʒß. M.

Sed

(*a*) Obs. med. hecatost. 2. Obs. 80.

Sed malo ſæpius per annum reverſo & graviora minante poſt crurum ad malleolos ſcarificationem fonticuli in tibia excitati, qui materiam plerumque magis cruentam; quam ichoroden ſuppeditabant. Rariores hinc jam hæmorrhoides factæ, nunquam tamen ex toto emansere, donec cum iis anus facta anno ætatis 69°. obiit. Felicius etiam ZACUTO (*a*) res cecidit; æger quidam ex importuno haemorrhoidum cœcarum, tumentiumque dolore debilis, decolor, & emaciatus, cum a fomentis, lavacris, anodynis, & admotis hirudinibus non niſi ad tempus relevatus, ab internis quoque remediis haud in melius proficeret, morbusque identidem reverteretur, tandem excitatus in crure fonticulus effecit, ne porro rediret dolor. In doloribus autem, quos molimina hæmorrhoidalia in ſpina dorſi, coxis, aliisve in partibus creant, ſopiendis quandoque ſola veſicantia ſuris admota officium praeſtant. J. STORCHII (*b*) Cholericus 48 annorum ex reſtitantibus in longius tempus haemorrhoidibus incidit in ſæviſſimos dorsi, & utriusque coxæ dolores, quos ♎u formicarum geminavit; uſu autem ℥is polychreſti Auctoris, & admoto uni ſuræ veſicante dolor paulo poſt abiit, licet hæmorrhoi-

---

(*a*) Prax. med. admir. L. 2. Obſ. 73. p. 246.

(*b*) Obſ. clin. ann. 4. Jul. d. 4. §. 3. No. 8. b) p. 380.

morrhoides non continuo reverterint. Neque inutile fuit hoc remedium ſequenti in caſu (*a*): vir ſanguineo phlegmaticus 48 annorum ante biennium hæmorrhoides primum nactus Martio prehenditur repente vehementi ſpinæ dorsi dolore, ac tenesmo. Datæ ♁ polychr. auctoris ʒij. pro ſenis doſibus, & ob æquinoctium appetens imperata in pede Væ. So, qua neglecta cum exigua morbi fieret emendatio, alvusque eſſet obſtructa, dabatur M. P. BECCHER. & purg. āā ℈j, ut S. quovis vespere gr. X, monito ſimul ægro, ut Væ So, non differatur. Hæc vero in brachio, non in talo facta, & ob dolores injectum enema, ex decocto avenæ decort. cum butyro. Ab iſto cum nulla egereretur alvus, doloresque increscerent, injectum enema e ſero lactis cum ⊖e, imperatumque dextram ad ſuram veſicans, ac datum interne:

℞. ♃æ, ♀ri ʒß.
Eſſent. croci ʒj. M.
S. mane & a meridie gtt. 30 Porro

℞. ♀ri ⊕lati TACHEN.
♁ magnes. alb. āā ℈j. M.

Divid. in doſes ij. ſumat j. poſt pilularum doſim veſperi. Neglecto licet veſicante dolores poſt

(*a*) Ibid. ann. 5. Mart. d. 4. p. 87.

post alvum ab enemate facti mitiores. Urgebatur ergo vesicantis admotio, & remediorum continuatio. Ab his multum remisere dolores, nec nisi ex intervallis dorsum impetiere; ad litum vero ex olei scorp. & flor. 7. MYNSICHTI āā ℥iij. æger intra biduum prorsus convaluit.

CAPUT XI.

AMULETA, TRANSPLANTATIONES.

§. CLXI.

XI. AMULETA denique, ac *Transplantationes* memorandæ supersunt, queis mortales a foeditate, molestiis, cruciatibus, periculisque haemorrhoidalis morbi vindicare sese studuerunt. Nihil utique ab his, ubi palmaria solidorum, fluidorumque vitia hunc morbum fovent, prudenter sperari posse in confesso est; ubi vero solæ systematis nervosi turbæ hæmorrhoidale malum producunt, ibi interdum hæ vel amuletorum effluviis ægro corpori applicatis, vel excitatis occasione transplantationis dictæ animi motibus (puta Gaudio, spe, hilaritate, tranquillitate), mutatoque sic systematis nervosi statu in alium, componi, cumque iis circulationis æquabilitas restitui, atque sic hæmorrhoidalis status aboleri potest.

§.

§. CXLII.

Amuleta celebriora ſunt.

(a) *Chelidonium minus*, quod interno, externoque uſu quam ſit efficax, alibi (*a*) jam vidimus: verum amuleti loco apud ſe geſtatum ut nullius unquam ab ſe viſae virtutis STAHLIUS (*b*) rejicit.

b) *Cyclaminis radix* nigra a viris, alba a feminis e collo inter ſcapulas pendula abigere hæmorrhoides pro certo affirmatur. Duos ipſe caſus narrando accepi, quos inter comitem novi, qui a fluxus nimii reverſionibus hoc uno remedio immunem ſeſe reddere potuit.

c) *Hellebori nigri e foliis cingulum* ad immodicum hæmorrhoidum fluxum ſiſtendum a pluribus commendatur, de quo J. HARTMANNUS (*c*) „a proprietate quadam „(inquit) valet cingulum ex foliis hellebori „nigri conquaſſatis recentibus nudo corpori „circumdatum . . . . Folia parumper con„quaſſantur ſcilicet ut tantum fibræ duriuscu„læ

(*a*) Vide §. 86. 128. No. 9.

(*b*) Colleg. caſual. magn. Caſu. 16. p. 195.

(*c*) Pract. chymiatr. p. m. 50

„læ emolliantur, poſtea ad fasciam filo cum „acu aſſuuntur in longum, ut fiat quaſi cin„gulum. Hoc feliciter uſus ſum". Nimio in fluxu cohibendo. F. PLATERUS. (*a*) folia ſiccata renovari ſemper jubet: „quod reme„dii genus feliciter expertam fuiſſe mihi, „inquit J. LANZONUS (*b*), faſſa eſt honeſta „quædam matrona Ferrarienſis".

d) *Polygonum* ſeu centinodium ſub alis geſtatum. G. W. WEDELIUS (*c*) meminit mulieris 64 annorum, colore faciei ad viridem inclinante (hæmorrhoidariis proprio), cui hæmorrhoides & quamdiu menſtrua habuit, & etiam ubi hæc per ætatem dudum jam defiere, fluebant cum dorſi, lævique hypochondrii dolore. Sanguis ut plurimum erat ater, ac ſaepe cum ſaltu velut e ſiphunculo erumpebat immodicus non ſine virium jacturа, quem immoderatum fluxum, cum antea quibusvis aliis remediis non facile cedere fuiſſet ſolitus, tandem ſolo polygono ſub axillis poſito ſiſtere conſuevit.

e) *Scrophulariæ radix* ſuper nudo corpore geſtata idem poſſe perhibetur; ſed „in

---

(*a*) Prax. T. 3. p. 646.

(*b*) Conſult. med. 97. Opp. T. 2. p. 204.

(*c*) Miſc. nat. cur. dec. 1. ann. 3. Obſ. 22.

„in ſcrophularia . . . efficiaciam hanc depre-
„hendere minime potuit D. HELWIGH (*a*),
„cum ante aliquot annos Epiſcopus War-
„mienſis in Pruſſia ab ea in dolore maximo
„ſibi opem polliceretur". Contra ea J. LANZONUS (*b*) „radicem ſcrophulariæ pro amu-
„leto appoſitam dorſo non ſemel juviſſe ob-
„ſervavit."

f) *Telephii* (quod aliis *craſſula*, vel *fabaria* audit) radix, aut folia e collo inter ſcapulas pendula fluxum & dolores abigere dicuntur. Verum STAHLIUS (*c*) „vidit radi-
„ces fabariæ, & ſcrophulariæ, qua integras
„qua contuſas, coctas & aſſas appendi, &
„applicari, nullo prorſus effectu, ægris do-
„lorem nihilominus perferentibus". Sit ita; alii contrarium teſtantur. Præcipuus telephii encomiaſtes eſt G. W. WEDELIUS (*d*): „hoc
„amuletum (ait ille) firmo ſtat talo, & ſine
„ulla ſuperſtitione, temporisque, vel loci
„obſervatione medicum juxta, ægrumque ex-
„hilarat. Quoties a partu difficili mariscæ in-
„felices vexant, & torquent puerperas?
„Quam urgent ſæpe dolore etiam fluentes
hæ-

(*a*) Hiſtor. morbor. Vratisl. l. c. p. m. 173.

(*b*) l. c. Conſult. 99. 208.

(*c*) l. c.

(*d*) Miſc. nat. cur. dec. I. ann. 2. Obſ. 195.

„hæmorrhoides? Quot dantur hypochondria-
„ci, quibus eo derivatur mali ſentina? o-
„mnes in hoc inveniunt auxilium. Linariæ pin-
„guedine non raro exaſperati dolores (neque
„enim pinguia ſemper patiuntur tubercula
„hæc); crocus metallorum, magiſt. ♄ni,
„♂ diaph. album Græcum, cum aliis remix-
„ta pigre ſe ut plurimum gerunt: ſoli tot
„ſeculis ignorato huic amuleto manum dat
„moleſtiſſimum malum, neque enim ullus
„Auctor vel gry quidem de illo meminit.
„Et ne lectorem curioſo hoc medicamento
„excludam diutius, fabariam, ſeu telephium
„illud eſſe publice jam propono. Sin obſer-
„vationes deſiderentur, ut fides fiat laudibus,
„ex plurimis hæc ſunt loco pignoris. Sereniſſi-
„ma perſona, matronæ plurimæ illud ex-
„pertæ, poſt exantlatum partum novos do-
„lores ab his tuberculis paſſæ. Vir prima-
„rius cum hypochondriacis plurimis con-
„flictaretur ſymptomatibus, fluentibus hæmo-
„rrhoidibus tubercula experiebatur ſumme
„dolorifica, reliquis omnibus, ipſaque lina-
„ria incaſſum tentata, unica nocte ab appenſo
„amuleto nil de illis ſenſit reliquum. Vir
„Reverendus iisdem divexatus ad ſtuporem
„levamen percepit. Taceo plures, qui ſe-
„dere nequiverunt, nec ſtare, fruſtra mace-
„rati a variis unguentis, linimentis & aliis
„externis. Appenditur vero radix telephii
„recens (vel aliquot ſaltem nodi, prout no-
„di ipſi plures vel pauciores in ano protube-
„rant) cum filo in dorſo inter ſcapulas. Si-
mul

„mul cum marceſcente radice tabeſcit & eva-
„neſcit omne tuberculum". Id ipſum etiam M. ETTMÜLLERUS, (a) „probavit aliquando in „ſtudioſo hæmorrhoidibus cœcis admodum „afflicto, qui hoc uſus amuleto egregie con„valuit". J. C. GOERTZ (b) refert Comitem de METTERNICH Regis Boruſſiae legatum, dum pro gravi morbo concilium peteret, in exactiſſima data anamneſi inter cetera etiam hæcce inſeruiſſe verba: „multis abhinc an„nis cœcas haemorrhoides ſum expertus; „at quae appenſa collo per ſpinam dorſi faba„ria ſemper iterum evanuerunt". Idem in ſe quoque experimentum cœpit M. GERBEZ (c); verum cum interna ſimul efficaciſſima uſurparit, ambiguum eſt, fabariæ, an ceteris ſucceſſus inde bonus ſit tribuendus. Tandem T. BARTOLINUS (d) dum amuletum hoc „in criſtis tentare voluit: non ſucceſſit".

g) *Gemmæ* quoque hic pertentatae ſunt; inprimis vero *ſmaragdus* umbilico admotus nimio in fluxu laudatur; ſed „fluxum haemo„rrhoi-

(a) l. c. p. 151.

(b) Annal. Vratiſl. Tent. 14. A. 1720. Novemb. d. 4. art. 13. p. 562. & Act. nat. cur. Vol. 2. Obſ. 195. No. 18.

(c) Vide §. 84. c.)

(d) Act. Hafn. Vol. 1. Obſ. 51.

„rrhoidum non compescere smaragdum um-
„bilico impositum quater in variis deprehen-
„dit" I. LANZONUS (*a*). Eadem forte sors est *lapidum hieracitis*, & *Indici* a queis hunc fluxum sisti scripsit GALENUS (*b*); siquidem vix memoria illorum hic supersit. Huc adde annulum e lapide sanguineo novae Hispaniae a N. Monarde descriptum.

§. CXLIII.

2. *Transplantatio* autem quemadmodum amuletis multo est vanior; ita etiam rarius legitur commendata, nec nisi duas novi plantas, quarum ope medendi haec methodus pertentata est, quarum una

a) *Chondrilla* est, de qua PANAROLUS (*c*) „magister meus (inquit) P. CASTELLUS
„ajebat se expertum fuisse, hæmorrhoides, si
„tangantur tuberosa radice chondrillæ, sicca-
„ri, si chondrilla siccetur; corrumpi vero,
„si corrumpatur; quapropter sub camino
„exsiccanda ponitur post hujusmodi tactum
„chon-

(*a*) Misc. nat. cur. dec. 3. ann. 1. Obs. 26.

(*b*) De simpl. medic. facult. L. 9.

(*c*) Arcanor. Fascic. I. in opusc. ad calcem medicinal. observ. p. m. 415.

„chondrilla tuberoſa.“ Quod ipſum etiam ſe ex eodem magiſtro coram audiviſſe teſtatur T. BARTHOLINUS (*a*). Altera harum plantarum eſt.

b) *Hæmorrhoidalis* herba Italis non ignota. „Ea tactæ hæmorrhoides dolentes „melius habent, inquit ROLFINCK (*b*), ſi per „diem circa femur geſtetur, & mox in fu„mante camino ſuſpendatur; ut herba; ita & „hæmorrhoides corrugantur, omniſque eva„neſcit dolor.“

SECTIO

(*a*) In epiſt. præmiſſa ad H. GRUEB analyſ. nov. de tranſplant. morb. p. 17.

(*b*) Epit. L. 3. C. 21.

SECTIO III.

DIAETA.

CAPUT I.

ALIMENTA.

§. CXLIV.

I. ALIMENTA *medicamentosa* (id eſt: medicamentorum, quæ in dato quovis hujus morbi caſu ex indicationibus præbenda ſunt, indoli quam maxime affinia) eſſe oportet: idcirco talibus nutriendi ſunt ægri, quæ varia morbi cauſa, variusque cum morbi tum alvi ſtatus exposcit. Atque hæc generalis eſt regula, ad quosvis morbi hæmorrhoidalis differentes, ac ſæpe ſibi e diametro oppoſitos caſus facile aptanda. Sic, ubi cœcarum hæmorrhoidum comes fuerit inflammatio, victu opus erit antiphlogiſtico; ſin absque inflammatione tumuerint, utendum eſt diluentibus, ſol-

ſolventibus, humectantibus, ubi immodicus illarum acciderit fluxus, ad hujus cauſam (quæ varia prorſus eſſe poteſt) minuendam, auferendamque victus idoneus eſt imperandus, ita ut ſi nimia eum ſolidorum laxitas fovet; tonicis ſtypticisque cibis, ac præſertim potibus opus ſit, ſin tenuitas acris humorum in cauſa ſit, plaſtica edulia, ac potulenta tunc multum proſunt, atque huc forte referendus eſt oſtreorum proficuus eſus (*a*) ſequenti in caſu obſervatus: „mulier ſanguineo-atrabili„oſa 40 annorum, calculo veſicæ diu afflicta, „incidit in nimium hæmorrhoidum, & men„ſtruorum fluxum; his acceſſit icterus, habi„tus cachecticus, tumor pedum œdematoſus. „Quæcunque adhibebantur temperatiſſima, po„tenter hæmorrhagiam moverunt: unde de„liquia, icterus, & tumor augebantur, nec „quidem ex vegetabili temperatiſſimas herbas, „aut earum infuſa aut juscula, quin nec pau„cas impune vel ſimpliciſſimi ⌒us ⌽. dulcis „guttas ſumſit, quo non ægrius valuiſſet. In „ſtatu hoc ancipiti oſtreas crudas bis de die „No. 5 recentes comederet, ordinavi, & in„tra 15 dies icterus, tumorque disceſſit, hæ„morrhagiæ temperatæ proceſſerunt, & con„valuit, vitamque jam 10 annis incolumem ducit,

---

(*a*) Des Magens Vertheidigung der edlen Auſtern (8vo Prag. 1731. von I. I. M M. P. P. Cap. 3. p. 62.

„ducit, excepto calculo veſicæ, quem qui„dem adhuc; ſed tamen commode fert, quot„annis congruo tempore oſtreorum reaſſu„mens curam.“ Univerſim autem alvinæ excretionis in omni hoc morbo præcipua eſt ratio habenda, ut illa ſit ſemper libera facilisque, ac mollis, præſertim ubi inſignis inteſtinorum ſiccitas eam raram, duram difficilemque reddit, quam eccoproticis enematibusque ad officium, reduci debere ſuperius (*a*) dictum eſt. „Ne vero crebrioribus cly„ſmatibus, inquit LUDWIG (*b*), & purganti„bus opus ſit, ea diætæ ratio ineunda eſt, „quæ præter blandam nutritionem etiam li„beriores alvi excretiones efficiat, & juvet.“ Quænam autem illa ſint alimenta, quorum ope id obtineri poſſit, non judicavi ſingillatim eſſe recenſenda, ne promtuarium alimentare condere cogar. Porro autem „illud re„gimen circa alvinam depoſitionem tenendum „eſt, inquit M. ALBERTI (*c*), ne hæmorrhoi„darii ob negligentiam, aut ſocordiam aut „impatientiam eandem diutius retineant; ſed „ſedulo & ſine longa mora naturæ ductum, „& ſtimulum ſequantur, & provide attendant,

(*a*) Vide §. 61. 8119. No. 1. 3.

(*b*) L. c. p. 396.

(*c*) Diſſ. de hæmorrhoidariorum regimine & diæta §. 15. Tract. de hæmorrhoid. P. 2. p. 149.

„dant, ne contra consuetudinem alvum reprimant; & retineant: alias eadem successive „perturbatur, exsiccatur, indurescit, segnis „redditur, quin denique actu adstringitur.“ Sicque, quod probo victu lucraturus erat æger, negligentiæ suæ culpa reddit irritum. In omni autem hæmorrhoidali ægritudine vitare in cibis, potuque oportet cruda, sicca, dyspepta, flatulenta, acria, & idiosyncrasiæ adversa, tum sanguinem rarefacientia, ejusque motum placidum perturbantia, vel alvum acriter, multumve cientia, & ante omnia ingluviem, præsertim debilibus, ac plethoricis (his ob increscentem inde sanguinis copiam; illis ob indigestiones, flatus, colicas, &c. inde provenientes) nocivam. Plura huc facientia prolixiori doctrina data videre licet apud ALBERTIUM (*a*), FROMMANNUM (*b*), aliosque.

CAPUT II.

A E R.

§. CXLV.

II. AER. Hæmorrhoidariis utilissimus est blande calidus, quippe qui & solida sua in nativa

(*a*) Ibidem §. 14. 21. sqq. p. 148. 155. sqq.
(*b*) L. c. P. 2. Probl. 23. p. 349. Probl. 43. p. 455.

nativa flexilitate, & fluida in ſua æquabili fluxilitate, a quibus circulationis libertas, & æquabilitas, necnon omnes cum ſecretiones; tum excretiones pendent, conſervet. Obeſt vero & nimis calidus ob rarefactionem ſanguinis, quæ facile nimium hæmorrhoidum fluxum inducit, vel motus hæmorrhoidales efficit anomalos; & nimis frigidus, maxime artubus inferioribus imminente aut præſente fluxu admiſſus, ut qui vaſa contrahendo, humoresque cogendo ſalubrem fluxum prohibere imminentem; præſentemque ſupprimere ſoleat. Præprimis autem ſolicite vitandæ ſunt ſubitæ, & inſignes caloris, frigorisque alternæ viciſſitudines æquabilem humorum motum, & ſecretionum, excretionumque negotium perturbantes (*a*). Ex his jam intelligitur, cur certo quodam ſub cœlo plures; quam alibi hæmorrhoidarios reperire ſit, & cur ſoli mutatio hæmorrhoidalem quoque ſtatum interdum, ut ſuperius (*b*) dictum eſt, mutare ſoleat. Intelligitur porro, amictu hæmorrhoidariis eo eſſe opus, qui calorem blandum, & æquabilem corporis foveat: hinc veſtes hyemales mature ſub hyemem induendæ ſeroque ſub æſtatem deponendæ, ſimulque „maxime neceſſe eſt, inquit ALBERTI

(*a*) ALBERTI. l. c. §. 5. ſqq. p. 137. ſq.

(*b*) Vide §. 30.

BERTI (*a*); quo hæmorrhoidarii „inprimis pe-
„des, & femora, ſive inferiores partes bene
„obtegant, in conſtanti mediocri calore con-
„ſervent, & a ſenſibili tanto magis frequenti
„refrigerio arceant; etenim analogum exem-
„plum occurrit in feminis menſtruis fluxibus
„ſubjectis, quæ eo citius menſibus nunc flu-
„entibus, non minus vero etiam extra men-
„ſium fluxum, turbas, incommoda, & impe-
„dimenta circa menſium negotium patiuntur,
„quando incurioſius & negligentius pedes te-
„gunt, ſed uſitatius, & ſæpius inferiora loca
„refrigerant."

CAPUT III.

MOTUS. QUIES.

§. CXLVI.

III. MOTUS *corporis* moderatus quam ſalubris ſit, ac neceſſarius omni homini ſano, multisque etiam valetudinariis, ex ejus effectibus, & noxis otioſæ vitæ ſatis eſt colligere: motu circulus humorum viget, viget appetentia, digeſtio, & alvina egeſtio; otio longo languet circulatio, appetentia, digeſtioque; flatu-

(*a*) L. c. §. 5. p. 138.

flatulentiæ nascuntur, & alvus otiosis plerumque sicca, dura, segnis redditur, nec nisi operosioribus nixibus egerenda, quæ omnia quantum hic obsint, in causarum doctrina (*a*) data vidimus. Hinc muscularis motus iis vel maxime est necessarius, qui hæmorrhoides ex otio, vitaque sedentaria vel contraxere, vel suppressere diu ante fluere solitas, quo fine homines ex otio hæmorrhoidarios factos LUDWIG (*b*) nullatenus esse curabiles censet; nam „nisi . . . post aliquot ab una, „& altera Væ Sne acquisitum levamen vitæ „ratio ita mutetur, ut a sedentaria in exer„citatam transeat, continuatæ sanguinis mis„siones magis noxiæ quam utiles sunt; cum „ad tenuitatem sanguinis, & reliquorum hu„morum ducant, ex quibus idonea nutritio, „& vera confirmatio virium effici nequit." Magnopere quoque iis motu corporis opus est, qui ab hæmorrhoidum fluxu seu sponte seu arte liberati in posterum ab eodem immunes esse volunt, ut sic per motum etiam corporis aliqua humorum pars dissipetur, ac plethoræ hæmorrhoidas resuscitaturæ genesis præpediatur. Unde CELSUS (*c*) post omnes ad unam exustas hæmorrhoides haud aliter sanitati

---

(*a*) Vide §. 21. 23. b)

(*b*) L. c. p. 418.

(*c*) Vide §. 138. Nro. 3.

nitati profpectum iri arbitratur; quam ftatis vacuationibus arte inftitutis, multaque fimul corporis exercitatione.

§. CXLVII.

IV. QUIES porro quemadmodum exercitiis interpolanda eft ad vires reficiendas; ita in longum otium non eft proferenda; nifi eam diuturnus hæmorrhoidum fluxus immodicus, ad quemlibet motum corporis revertens neceffariam effe præmonftret, quo in cafu monente F. HOFFMANNO (*a*) vel maxime „diffuadendæ . . . venationes, omnes im„penfiores corporis commotiones, per equi„tationem maxime & vecturam, in locis præ„fertim lapidofis & inæqualibus, & placidum „potius motus genus fupernam magis quam „inferiorem corporis regionem afficiens fub „cœlo amœno fereno concedendum."

CAPUT

(*a*) Med. rat. fyft. T. 4. P. 2. S. 1. C. 4. cautel. §. 8.

CAPUT IV.

PATHEMATA ANIMI.

§. CXLVIII.

V. PATHEMATA *animi* in nulla non hæmorrhoidali affectione prudenter ſunt gubernanda, ita ut nihil animo ſedato, ac tranquillo ſit ſalubrius, ſub quo placida circulatio viget, omnesque ſecretiones & excretiones rite peraguntur; nihil vero ira, ac terrore, mœſtitiaque diuturna deterius, a queis hæmorrhoidalis ſtatus induci, fluxus moderatus in immodicum abire, vel ſupprimi, &c. ſolet. Inſtante vero aut procedente fluxu hi affectus præprimis obeſſe conſuevere. Unde monente STAHLIO (*a*) „ab ira cavere ſibi debent, „quotquot his paſſionibus obnoxii ſunt; alias „non modo gravius; ſed et frequentius, & „in dies pertinacius decubituri, ut fere ſem-„per fit, quo magis affectus tales, a fortiore „motus impetu; quam materiæ quantitate, „& proportione ſuſcitantur.“ Notatu hicce dignum præbet exemplum I. C. STUNZERI (*b*) vir cui ſtatis temporibus hæmorrhoides tu-

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoid. internarum motu Cap. 6. p. 28.

(*b*) L. c. p. 75.

tumescebant. Hic dum aliquando tempore intumescentiæ vehementi exarſit ira; tumor evanuit, ac periculoſa ſucceſſit hæmoptoe. Contra ea F. HOFFMANNI (*a*) virgini ira nimium concitavit hæmorrhoidum fluxum. Erat illa 19 annorum, Væ Snem nunquam paſſa; ſed præter nimia ſubinde catamenia hæmorrhoidalem quoque fluxum per aliquot dies, at ſine dolore ac moleſtia, experiebatur. At cum graviter excanduiſſet ingentem puri, ac ſinceri ſanguinis vim alvo reddidit cum ſumma virium jactura. Subſiſtente deinceps, imo frigido a potu penitus cohibita, ac reſtitante hac hæmorrhagia enormes obortæ præcordiorum anxietates, & conſtrictiones, quaſi cor ipſum convelleretur, cum extremorum frigore, rubore faciei, venarum in capite inflatione, arteriarumque validis, ac citatis pulſibus cum quadam duritie. Verum ab exhibito ☿e ex ♂io diaph., lapid. 69., cinnabari & nitro, cum infuſo ſummitat. millefolii, atque MRa ſimplici cum croco melius habuit.

HISTO-

(*a*) L. c. Obſ. 3.

HISTORIA I.

I. L. DIETRICHS (a)

Sistens singularem casum hæmorrhoidum cœcarum in cristas degenerantium dolorificas, ab CL. WEISIO curatarum.

Ecclesiastes 54 annorum, phlegmatico-sanguineus, sanis natus parentibus, junior quotannis fere 5 vel 6 modicas hæmorrhagias narium expertus, illibata fruebatur sanitate; donec ætatis 24. anno a fatigiis ecclesiasticis nactus est hæmorrhoidum fluxum, modicum primum ac sine ulla molestia; procedente vero ætate fluxus crevit & copia, & frequentia: demum paulatim se junxere symptomata molesta illum præcedentia & comitantia, nempe lumbago, & puncturæ intestini recti. Anno ætatis 30 obortæ hæmorrhoides cœcæ cum tenesmo, ut fere quotidie & vix non sub quavis

(a) Diss. de hæmorrhoidib. cristatis. 4to Altorf. 1764. p. 6. sqq.

quavis alvi egestione aliquid vel sanguinis vel seri effluxerit, dolore sæpe anum per 8 minuta abhinc obtinente. Anno ætatis 40. appetente cœpit ideo Væ Snem admittere, ac primo quidem triennio quotannis semel, dein bis, idque e brachio dextro, abhinc vero bis quotannis e pede lævo; at exiguo levamine, morbo in vicennium tam acriter vexante, ut ultimo anno ob dolores nec stare diu, nec ambulare, nec sedere, imo nec quiete jacere licuerit; qui sub alvi egestione erant acutissimi. Namque ex tumentibus, prominulisque ani rugis multæ enatæ sunt plicæ gallinarum cristis inframaxillaribus similes, aliæ molles, ac velut ex inflammatione rubræ; aliæ tenues, subduræ, subpallidæ, infra arcuatæ, quædam pollicem longæ, basi ejusdem longitudinis adnatæ, radiatim sitæ, ultra 12, non instar varicum turgidæ, ac lividæ, sed e teneris vasculis rubris & serosis contextæ, glabraque tectæ cuticula, at sine rhagadibus. Ad harum cruciatus post alvum egestam leniendos calidus lectus fuit petendus, ubi lintea calida serum acre succedens absorbentia cum aliquo levamine admovebat. Cristas has nec parcus hæmorrhoidum fluxus sponte interdum obortus, nec hirudines admotæ minuerunt. Somnus inquietus lassavit corpus, cetera æger bene habebat, appetitui tamen indulgere non ausus ob metum dolorificæ alvi. Varia tentata sine ullo successu, imo dum 6. hebdomades decocta, ☿lia, & cathartica usurpasset, a queis bis terve quotidie

tidie dejiciebat; seri copiosi, & acris profluxu anus offensus magis intumuit cum tenesmo acerbiori & urente facto: unde alvus aut plane intercepta, aut summe dolorifica facta. Tot ergo remediorum juxta ac dolorum pertæsus æger WEISII opem demum implorat, qui paucis plurimum præstitit. Interne præbuit infusum:

℞. Rad. sarsaparill.
— scorzon.
— gramin. āā ℥ß.
— caryophillat.
— liquirit āā ʒij.
— scrophulariæ ʒj.
Herb. hepat. nob.
— cherefol.
— matrisylv. āā M. j.
— heder. terr.
— scolopendr.
— cochlear. āā M. ß.
Fl. papav. rh.
— rosar. āā. p. j.
Rasur. lign. sassaf.
Siliqu. dulc. āā ℥ß.
Sem. fœnic. ʒß. M.

F. spec. pro infuso. m. & v. sorbendo. Porro

℞. ♀ri solub.
♀ri ⊕lati
⊕ ♂ati āā ʒß.
Lap. 69 pp.

Spec.

Spec. diamarg. fr. āā ℈ij.
Magn. alb.
♁. diaph. āā ℈j.
Ol. lign. ſaſſafr. gtt. jv. M.

S. a meridie & ſub noctem ad ij. cuſp. cultri ex aqua. Tandem mane additum elix. viscer. amar. temperat. cum $\frac{1}{4}$ elix. antiſcorbut. mixtum ad gtt. 40 cum ▽a ſumendum. Externe cum ani dolor, & ſtrictura enema vetarent, primum ſacculi emollientes ex rad. alth., fabariæ, herb. malv., verbaſci, heder. terr., fl. ſamb., papav. rh., & ① tab. in lacte cocti & expreſſi per unum diem ano tepide admoti; dein ſuffecti reſolventes, ac tonici, nempe

℞. Rad. ſcrophular.
— chelidon. min.
— aſphodeli.
— cynogloſſ.
— allii
— ari āā ʒij.
Herb. vinc. pervinc.
— ſcrophular.
— mercurial.
— cochlear.
— agrimon.
— vincetox. āā M. ß.
Flor. ſpicæ nard.
— verbaſci.
— calend. āā. p. j.
⊖ammon. ʒj.
Camphor. gr. ij. M.

F.

F. inde 3. sacculi, quorum unus in ▽a simplici, alter in vino, tertius in ▽a ☨ distinctis horis leviter coctus, & expressus, tepide calens cristis imponatur. Hæc topica tenesmum, doloresque minuendo, aliquoties recenter parata, & interdiu applicata effecerunt, ut cristæ pendulæ plurimæ, inprimis rubræ ac molles, corrugatæ, subsidentesque evanuerint, duræ autem, & subcallosæ indolentes, minoresque evaserint, sicque intra 14 dies tenesmo, ac dolore sublato alvus facile processerit. Inde per 3 annos æger, illibatam nactus sanitatem, ad omnes corporis motus evasit idoneus. In prohylaxim tamen quotannis circa æquinoctia phlebotomiam instituit, cathartica lenia sumsit, & diætam tenuit convenientem.

HISTORIA II.

F. HOFFMANNI. (a)

Suppeditans exemplum podagræ hæmorrhoidalis, cum fluxu alternantis, & curatæ.

Vir 33 annorum, sanguineus, spongiosus, vino, venerique deditus olim narium hæmorrha-

(a) Consult. & resp. med. Cent. 2. & 3. Cas. 169.

rrhagiis obnoxius, & ante 10 annos hæmoptoen passus, abhinc quotannis semel, bisve Væ Snem instituit, donec hac vacuatione neglecta in podagram incidisset. Juniori in aetate clyma scorbuti ferax incolens scabiem contraxit scorbuticam ad varia remedia, ipsumque ☿ii in ernum,&externum usum contumacem: donec nescio quo electuario sumto vesperi sudor primo, dein a ½ nocte alvus mota, scabiem non multo post sustulit. Paulo autem post gonagra venit, cui abeunti successit haemoptoe, siccam post relinquens tussim, humanae dein axungiae usu sopitam. Verum circiter 4 ante annos post magna fatigia acuti circa genua dolores oborti, tactu acerbissimi redditi, & lapsis inde 4 septimanis, post iram vera ingruit podagra totius pedis cum dextri genu contractura. Abhinc decoctum e lignis, radicibusque resolventibus biboenti redibant quidem insultus ex intervallis, at dolor nonnisi genu, malleo um, ac pollicem pedis torsit. Ante 3 annos per biennium acidulas Egranas bibit cum euphoria, & ab his interdum fluxit haemorrhois cum insigni podagrae levamine, qui fluxus utut parcior, ubi nuper in trimestre absuisset; podagra reversa gravior, utrumque pedem ac genua afflixit, & reverso fluxu iterum conquievit. Hinc ab eo tempore podagra correptus pilulas IMMANUELIS Noimbergenses sumere suevit, ut fluxum haemorrhoidis procuret, quo apparente podagra protinus abibat. Novissimo tempore fluxus singulis

14 diebus redibat ſine ulla moleſtia, praecedentibus plerumque torminibus, ac faciei inflatione; hoc autem ceſſante continuo praecordiorum anxietas, & flatulentia inceſſit: alvus plerumque libera, ſi adſtringebatur, malum exaſperabat. Ex quo podagra occepit, neglectae V. S. revocabantur, quas largius factas fere ſemper haemorrhoidum fluxus excipiebat. Inſultus podagrici verni graviores erant autumnalibus: iſti carebant aeſtu p. n., in illis vero ſummus aderat ardor cum intercurrente rigore, ac ſequente ſudore; noviſſimeque cum cutis in pedibus, manibusque ſeceſſione, ac nodis digitorum ſolvebantur. Aeger tabeſcebat ſub anorexia, ſomnisque turbulentis, ac terroris plenis. Conſultus id temporis Auctor cum videret a plethora vel haemorrhagias vel infarctus accidiſſe, tum a vino, venere, ptyalismo, iraque inſignem in ſyſtemate nervoſo conſcitam debilitatem cum proclivitate ad ſpasmos, unde ſtomachi imbecillitas, & digeſtionis laeſio conſecuta, ab chyli, & ſanguinis dyſcraſia & acrimonia dolorum cauſa: conſuluit circa ſingula aequinoctia phlebotomiam in pede ad ℥viij, ut inſufficiens fluxus arte compenſetur; vini, cereviſiaeque vetitae in locum commendavit decoctum

℞. Rad. ſcorzon.
— chinae āā ℥ß.
Cort. lign ſaſſafras
— cinnamom. āā ʒj. coq. in Vae Menſuris iij. per ½ h.

Sub

Sub epulis tamen concessus parcus usus vini Hungarici, vel Burgundiaci pro stomachi robore. Porro mane in lecto eum blando regimine suasit bibenda 6 vascula infusi ex herbae melissae, salviae, betonicae, veronicae, āā Mj & cort. citri recent. ℥iij. Brevi ante prandium elix: visceral. balsam. gtt 60. cum superiori decocto, ac vino imperatae, alternis autem vesperis ♃ sui bezoard. ℥j. Porro quavis hebdomade summendae erant pilulae balsam: Auctoris Nro. xvj ad alvum solvendam, & intestina roboranda, circa aequinoctia autem & periodos imminentis fluxus haemorrhoidalis dosis haec alternis diebus 5 vicibus imperabatur ad fluxum promovendum. Cibi parciores, maxime in cœna, concessi, & potius assi; quam elixi, vetitis nimis pinguibus, acidis, salitis, uti & nimio potu caffée, & nicotianae usu; graves animi motus vitandi erant, motus autem corporis creber, at moderatus suadebatur. Curatione hac in bimestre producta aeger prorsus convaluit.

HISTORIA III.

J. SIDREN. (a)

In qua gravissima molimina hæmorrhoidalia, ac prope exitialia superveniens fluxus sustulit.

Vir 31 annorum, cholericus, hypochondriaca matre natus, quamdiu in aromataria officina serviit, aëris licet injuriis obnoxius, semper tamen sanus vixit; ;at 22°. ætatis anno minus mobilem iniens vitam post 3 annos coepit colicam sæpius perpeti cum segni, & mucosa alvo. Id temporis molestus sæpe erat pressivus capitis dolor cum sensu ponderis in encephalo apoplexiæ metum incutiente. Idcirco 4°. quoque mense Væ So in pede facta, & eccoprotica usurpata, quorum sub usu regio infraorbitalis livida, totaque facies flava evasit, manifesto indicio male affecti hepatis. Vertente anno 1765, ætatis 30$^{mo.}$, prioribus symptomatis se junxit ventriculi imbecillitas, & ardor, annorexia, lassitudo, anxietas, & oppressio pectoris; accessit & febris m. & v. recursans, ac ne ℔i quidem corticis abigenda. Insequenti ergo æstate ▽va Pyr-

(a) Act. med. Svecor. T. I. p. 367.

Pyrmontana hausta quotidie multum purgabat cum levamine ; sed ineunte autumno omnia pristina mala rediere apparentibus simul cœcis hæmorrhoidibus, queis hirudines cum levamine admotæ, ac brevi post oborta diarrhœa mucosa cum dorsi dolore. At febris aliquamdiu sopita non multo post ad vesperam redibat : unde noctes insomnes & matutinus languor. Urina fuit lateritia ; sed absumta ℔ß. corticis per doses ʒß. aliquoties quotidie captas color quidem lotii emendatus, rariusque sedimentum apparuit ; febris tamen nil mutata Decembri 1766 accitus medicus reperit vesperi febricitantem cum voce debili, ac tremula. Vetat ulteriorem corticis usum : imperat idoneam diætam, & quotidianam vectionem trahis, & ad alvum tenendam liberam consulit rheum, m. & v. masticandum glutiendumque ; monet insuper, ne ante consuetum tempus lectum peteret. Ab his & somnus redire cœpit, & vespertina febris tam levis facta, ut illam æger extra lectum ferre posset ; cibos utut nondum appeteret, tamen non amplius aversabatur. Cum sic relevatus iter aliquot milliarium insciente medico ingressus esset ; ad locum destinatum vix appellens prima mox nocte per 6 horas horruit cum colica & anxietate ; calore tamen lecti, fotuum, enematum, potuumque malum remisit, ut post aliquo dies æger domum reverti posset. Reditus per altas nives causavit dorsi dolorem, ac tensionem in pectore, & faciei icterus jam vix conspicuus denuo profunde flavus evasit, sterco-

ra vero alba, ac mucosa. Datum igitur quovis mane saturatum decoctum taraxaci cum melle; per reliquum autem diei MRa cum extract. tarax., ⊖e medio, & syr. 5. rad. aperientium cochleatim. Alvo restitanti provisum elect. lenitiv. disp. Lond. cum cremore ♀ri, ac pauco rheo. Ab his icterus minuebatur, & urina plus lateritii sedimenti ponebat. Appetente plenilunio cum hæmorrhoidales motus non obscuri ingruerent, datæ pilulæ balsam. STAHLIANIS analogæ, quarum a tridui usu oborti dorsi & colici dolores ubi molli fotu ac MRa ex ▽a puleg., ol. amygd., liqu. anod. min. & syr. cich. cum rheo leniti sunt, cœpit æger ano sanguinem circiter ad ℥j egerere, sub qua excretione aliquot dies durante quotidie trahis vehebatur, lotiumque reddebat fuscum cum sedimento e fusco lateritio; cessante autem sanguinis excretione urina evasit citrina, & crassa. Finito hæmorrhoidum fluxu symptomata sensim omnia conquievere, & æger ad pristinam rediit sanitatem, usurpavit tamen multos adhuc in menses decoctum taraxaci: nihilo tamen secius hæmorrhoidum fluxus omni redit plenilunio; imo interdum etiam imminente subita cœli mutatione. Non comparente ad statum tempus interdum fluxu hirudines multum levaminis ferunt. Væ Ses denique vere & autumno celebratæ sunt utilissimæ ad leniendam cephalalgiam, ac tinnitum identidem ægrum infestantes.

HIST.

HISTORIA IV.

L. RIVERII (a).

Siſtens hæmorrhoides cœcas furentes ad remedia optima contumaces, demum tamen curatas.

Cœnobitæ acerbiſſime dolentes inſigni cum tumore inflammatorio hæmorrhoides adepto poſt enema injectum ſecatur vena brachii lævi, tumorique admotus anodynus fotus cum cataplasmate de mica panis; quod tamen ob exquiſitiſſimum loci dolorem non tulit. Poſtridie ſecta dextri brachii vena, dati julepi emollientes, & leviſſimi cathartici, ut alvus maneret liquida:

℞. Summit. malvæ
Fol. lactucæ.
— bugloſſ. āā M. j.
Paſſular. mundatar.
Liquirit. raſæ āā ℥ß.
Flor. bugloſſi
— borag.
— violar. āā p. j. Coq. in
🜄æ ſ. q. ad ℥viij. In colat. infunde
Caſſiæ

(a) Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 7.

Caſſiæ rec. extractæ ℥j. Colaturæ
clarificatæ adde
Syr. violar ℥j. S. bis de die.

Ano admotum ſequens unguentum:

℞. Olei. roſar. & viol. āā ℥j.
Ungu. popul. ℥ß. F. linim.

Tumori autem dolorifico perſtanti admotæ duæ hirudines, quæ ℥jv ſanguinis elicuere. Remiſit dein aliquatenus inflammatio. Deinceps ergo ſequens adhibitum ſuffumigium:

℞. Sempervivi majoris Mj.
Vini albi ℔ij. Bulliant.

Fumus hujus decocti per ſellam perforatam ano excipiatur, dein ſequens unguentum applicetur:

℞. Ungu. roſar. ℥j.
☿ii crudi ʒij. M. F. Ungu.

Sed nihil his profectum. Quare eorum in locum ſuffitus aceti, in quo ſilices igniti exſtinguebantur, adhibitus, & poſt hunc litus

℞. Ol. amygdal. amar. ℥ij.
Styracis liqu.
Bdellii āā ʒij. M. F. linim.

Ab

Ab his tumor, dolorque in dies multum imminuebatur, præſertim juncto his bidui potu decocti millefolii cum pauco vino. Ad laxandam autem alvum continuo adſtrictam ac vaſa infarcta deplenda datæ pilulæ:

℞. M. P. de bdellio ʒij.
Sennæ mundatæ
Rhei electi
Agaric. rec. trochiſcati āā ʒj.
Syr. roſ. ſolut. q. ſ. F. M. P.

S. quovis mane inde ʒj, donec tota maſſa fuerit abſumta. Atque his demum remediis convaluit.

HISTORIA V.

M. GERBEZII (a).

Narrantis, quæ remedia ipſe in ſuo plus quam vicennali morbo, nimio ſcilicet fluxu cum dolore, & ani prolapſu efficaciſſima ſit expertus (b).

Prænotatum ... velim, me hæmorrhoidum fluxui jam a plus quam 20 annis fuiſſe ſæpius per

(a) Miſc. nat. cur. Cent. 8. Obſ. 4.
(b) Confer. §. 84. c).

per annum obnoxium, & quidem primis aliquot annis absque notabili moleſtia; poſtea vero ſubinde cum aliquali intumescentia, & dolore, præſertim poſt violentiorem in itineribus motum, corporis incalescentiam, meracioris vini hauſtum, & caſu ſubinde intercurrentes bilioſas diarrhœas. Utcunque vero me ſive fluxus copia, ſive dolorum vehementia cruciarint; eis ſemper tempeſtivum, & opportunum remedium adinveniendi ſortem habui, excepta ſola elapſa æſtate, dum poſt triduanam ceraſorum eſu (uti reor) excitatam diarrhœam me tantus hæmorrhoidum cœcarum dolor inceſſerat, ut ei ſufferendo impar factus fuerim, dum tamen aliis vicibus, quoties in ſimilem diarrhoeam me incidere contingeret, eæ ſemper ſponte ſua aperiri, & fluere ſolitæ ſunt, dolore, ſi quis ſupervenerat, paulo poſt ſponte ſua, vel remediis conſopito. Hac vero vice quidquid adhibui, adhibui fruſtra; quin imo pinguia, & oleoſa quæcunque, inter quæ erat etiam famoſum illud unquentum de linaria, item quæcunque, actu calida, notavi mihi notabiliter dolorem exacerbaſſe, excepta ſola coepa aſſa, & ſacculis paregoricis ex herba, & floribus linariæ, verbaſci, & hyosciami cum farina ſem. lini foenugr., & pſyllii in lacte decoctis & tepide applicatis, quæ ſucceſſive tamen utcunque conducere videbantur. Purgare non auſus fueram; eo quod ad quaslibet vel ſolis clyſteribus emollientibus cum unquento clyſmati-

ſmatico, & populeo paratis promotas ſubinde ſedes dolores maxime exacerbari experirer. Hinc ad applicandas hæmorrhoidibus ſanguiſugas recurrendum eſſe rebar; tamquam ad remedium alias etiam, præſertim in ſuppreſſis hæmorrhoidibus, ſingulare. Etiamſi vero 4 earum externis nonnihil tumentibus venis fuiſſent applicitæ, duæ internis; tamen vix una ſanguinis uncia fuit prolicita (nescio quare), dum ex eis alias ſponte apertis ſubinde plures libræ effluere ſolebant. Hisce tamen rem eo redegeram, ut nonniſi ante, poſt, & ſub alvi exonerationibus ſolitos dolores perciperem. Hinc cogitandum mihi ſupererat, qualiternam quoque alvum mihi redderem indolentem? Cumque conjicerem ad id neceſſarium fore, ut foeces alvinæ redderentur molles, ſique ſponte non ſecederent, ſaltem alternis, vel ternis diebus eæ leni aliquo laxativo ſubducerentur; determinaveram prunis aliquid fol. ſennæ incoquere, & de eis una cum eorum jure, quoties neceſſe eſſe videretur, aliquot ſemper ante paſtum deglutire. Secundo quod præterea adverterem in excretionibus ſemper inteſtinum rectum mihi inſolentius protrudi ſolere, & inde dolores tanto magis exacerbari, ſolicitus eram, qualiter & his opportunum repagulum opponerem? Et fortunate mihi inciderat uſus terebinthinæ, cujus ſuffitus ano exceptus in tenebris & ani procidentiis ſolet eſſe proficuus, nec non ʒ oſtreorum calcinatorum, qui bombace exceptus, inque ani procidentiis applicitus ſolet eſſe pereffi-

cax.

cax. Quibus postquam aliquoties fuissem usus, deprehendi, quod revera & dejectiones inde redditæ fuerint molliores & liberiores, & protrusio ani minor, ac minus dolorifica. Quod tamen adhuc in externis hæmorrhoidibus superesset tumor quidam dolorificus, huic quoque remedium erat reperiendum, & occurrebat unquentum . . . camphoratum album . . . propterea illud in linteolo molli extensum, quoties sedere dabatur, & vesperi dum lectum ingrederer, aliquoties tumentibus & dolentibus venis sedalibus admoveram cum tanto effectu, ut intra paucos dies universus tumor, & dolor penitus evanuerit, adeo ut in tam acri tamque pertinaci hæmorrhoidalium venarum malo nulli ex usurpatis remedio tantam efficaciam adscribere valuerim; quam prunis laxativis, suffitui terebinthinæ ano excepto, ℥ri ostreorum calcinatorum cum gossipio excepto & admoto, & unguento illi, album camphoratum dicto, sed cum adjectione lithargyrii prius in aceto cocti præparato. Quamvis mihi paulo post sancte retulerit certus Presbyter, se a suis dolenter tumentibus hæmorrhoidibus sola cerussa alba pulv. in aceto per noctem macerata, & mane abjecto aceto cum s. q. olei oliv. in linimenti formam commista dicto modo aliquoties admota optatissime resanasse. Ne vero ex taliter semel suppressis, & forte a sexagenaria mea ætate nunquam amplius fluxuris hæmorrhoidibus mihi ea, quæ 6. aphor. 12 præ-

prædicit HIPP., obveniant, obviandum fore rebar fonticulo tibiæ pedis internæ inurendo, idonea diæta, & gestatione in dorso radicis telephii, & scrophulariæ . . . quin & in potu per modum theæ saltem vere & autumno, vel etiam sanguisugarum applicatione.

HISTORIA VI.

D. TURNERI (a).

In qua hæmorrhoidum cæcarum summe dolentium, quas gravissimus comitabatur tenesmus, curatio exhibetur.

Mulieri teneræ, imbecillæque compagis post difficile puerperium pro catameniis hæmorrhoides menstrue fluebant, quandoque intumescentes magno cum dolore. Ano hinc sensim laxiore facto enatæ sunt complures mariscæ sub quovis fluxu tumentes, alvumque difficilem reddentes. Factæ Væ Ses in brachio primum, dein talo; data emulsa, & complures boli ex cassia cum flore ♀; ani tumori admotum cataplasma anodynum, alia-que:

(a) Abhand. von den Krankh. der Haut, 2. Th. 7. Cap. p. 533. sqq.

que: verum tumor, dolorque assiduus potius crevere, & anus mucosa excernebat. Accitus tunc Auctor detexit multa insignia tubercula ex inflammatione tumida, multum saniosi, cruentique seri dimittentia; ob assiduum tenesmum ægræ desidenti anus semper evertebatur cum tanta doloris exacerbatione, ut illa plures in horas lamentaretur. Primum ergo sopiendi tenesmi causa præscripsit.

℞. Conser. FRACAST. s. m. ʒß.
Lact. 🜍 ℈j.
☿ rhei parum tosti ℈ß.
Extract. thebaic. gr. ß.
Syr. de mecon. q. s. F. bolus.
S. talem quotidie m. & v. superbibendo julepum:

℞. 🜄æ lact. alex.
— ceras. nigr. āā ℥iij.
— cinnamom. ten.
— pæon. c. āā ℥j.
Margar. ppt. ʒj.
Sacch. parum. M. F. julapium.
Si hæc non juvarent, sumenda erat MRa semper ad manus habenda:

℞. 🜄æ fl. paralys. ℥jß.
— pæon. C. ʒj.
Syr. de mecon. ʒvj. M.
Potui communi datum decoctum album, cujus in ℔ij soluta erat gummi Arab ℥j. Externe imperatum fomentum, & cataplasma:

℞.

℞. Fol. linariæ
— verbasc. āā M. j.
Fl. chamom.
— samb. āā M. ß.
— rof. rubr. p. j. Coq. in
Lact. vaccin. q. f. ad ℔ij. Coletur.

Pars media hujus cum farina fab. redigebatur in pultem pro cataplasmate, pars altera fotui asservata; utrumque adhibitum, nempe pannus laneus mollis (fronella dictus) decocto intinctus m. & v. admovebatur, quam calide ferri poterat, & quavis ½ hora renovabatur, ac dein calidum cataplasma appositum, admistis semper eidem balsamo 🜍 simpl. ʒij. cujus ab altera applicatione ægra mire levata est, tensio remisit, ac tumor subsedit eatenus, ut injectiones jam in anum fieri possent; quare ejusdem decocti aliquid injiciebatur cum tantillo ejusdem balsami, & uno vitello ovi, quod ægra quavis nocte retinuit. Ab his & anodyno interno evasit nox multo quam dudum ante quietior; namque ægra ob dolores toleratos, indeque natos sudores symptomaticos evaserat admodum debilis. Hæc in plures dies continuabantur, & fascia Tautaformi firmabantur, quoad imminuto humorum affluxu hæmorrhois magis adhuc subsedit; deinceps dictum decoctum parabatur cum 🜄a chalibeata, & vino rubro, adaucta insuper copia rosarum rubrarum pro restaurando sphincteris tono. Ubi ab his tenesmus desiit, omissa conserva FRA-

CAST.

CAST. cum rheo dabatur bis per diem lac 🜍 cum abſorbente aliquo, & emulſum ex amygd. dulc. & ſem. papav. alb. cum ▽a hordei paratum. In ſummis doloribus cum iſchuria fuiſſet enata, præſcribebatur

℞. ⊖ prunell.
Sacch. alb.
Lap. 69. āā gr. xv. M. F. ℥.

S. alternis horis ex cochl. j. ſequentis MRæ:

℞. ▽æ hordei ℔j.
Gumm. Arab. ʒvj. vel. ℥j.
Syr. dialth. ℥j. M. D.

Et ſuperbibat cochl. v. vj. ex eadem, quamdiu iſchuria duraverit; ſed his brevi ſublata fuit. Sublato demum morbo pro carnium reſumtione, & recidiva præcavenda commendavit Auctor ſequentis remedii, quod ipſe ſimilibus in caſibus vix non ſpecificum expertus eſt, uſum:

℞. Aethiop. min. ſ. i. ppt. ℈j.
Sacch. alb. cryſtall. ℈ſ. M. F. ℥.

S. quovis mane, & 5ta a meridie per integrum menſem in cochl. j. lactis aſinini, ſuperbibendo ejusdem ℔ß. Verum quamvis mulier inde vires, carnesque receperit, hæmorrhoidum tamen fluxus menſtruus ei manſit.

WENCESLAI TRNKA
DE KRZOWITZ
S. R. I. EQUITIS MEDIC. DOCT. IN REG. UNIVERS.
PESTIN. PRAX. MED. PROF. P. O.

HISTORIA HÆMORRHOIDUM


OMNIS ÆVI OBSERVATA
MEDICA CONTINENS.

VOLUMEN III.

OPERIS POSTHUMI
EDITIONEM PROCURAVIT
FRANCISCUS SCHRAUD
IN EADEM UNIVERS. INSTIT. MED. PROF. P. E.

VINDOBONÆ,
APUD CHRISTIAN. FRIDERIC. WAPPLER.
MDCCXCV.

HISTORIA HÆMORRHOIDUM ALBARUM.



PRÆFATIO.

Duobus historiæ rubrarum ani hæmorrhoidum voluminibus hucusque editis tertium addimus, albarum, & vesicæ hæmorrhoidum historiam complectens, in eo diversi a prima nostra destinatione, quod, quæ opuscula una cum ceteris quibusdam seorsim prioribus dare instituimus; ea nunc affinitate obiectorum inducti nectere istis maluimus, ut omnem de re hæmorrhoidali tractatum nostri auctoris uno opere comprehensum lectores haberent. Quominus tertius hic tomus vastitate priori-

bus

bus reſponderet partim minori obiectorum huc pertinentium ubertati adſcribendum eſt, partim vero, quod multa, quæ huc etiam pertinerent, prioribus tomis præcepta ſunt. Ab auctore certe noſtro utrumque opusculum usque ad preli labores conſummatum datum eſt, uti manuſcriptum docet: itaque non aut curandum mihi erat, ut ipſe manca ſupplerem, aut verendum, ne minus elaboratum opus offerrem lectoribus. Quorum ſi toto opere edito gratiam inivi, omnem me qualiscunque laboris fructum tuliſſe exiſtimabo.

Scribebam Peſtini Nonis
Auguſti MDCCXCV.

HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM VESICÆ.

PARS I.

1. Mu-

PARS II.

HISTO-

HISTORIA
HÆMORRHOIDUM
VESICÆ.

SERIES OPERIS

HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM ALBARUM

PARS I.

PARS II.

CA-

§. 15.

HISTO-



HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM ALBARUM.

PARS I. PATHOLOGICA.

CAPUT I. DEFINITIO.

§. I.

Haemorrhoides *albæ* ſunt muci, ſerive ex hæmorrhoidalibus vaſis egeſtio. Morbus hic nil niſi anomalia eſt hæmorrhoidum rubrarum; de qua tamen nil uſpiam apud Veteres exſtat, neque inde per 15 à CHRISTO nato ſecula quiſpiam ejus commeminit: primus (opinor) I. FERNELIUS (*a*) fuit, qui ſexto

(*a*) Pathol. L. 6. C. 10.

ſextò decimo ſeculo ad hanc hæmorrhoidalem vacuationem animum advertit, alioſque deinceps etiam, præprimis D. SENNERTUM, eo convertit. Verum, ut tunc tempora ferebant, medici non ultra phænomenon progreſſi neſcio quid rari in illo magis admirari maluere, quam ut ad legenda naturæ veſtigia adjicerent animum: quo factum, ut ad annum usque 1698, quo primum tempore G. E. STAHLII diſſertationes de hæmorrhoidibus edi cœptæ, genuina hujusce morbi cum pathologia, tum therapia fuerit ignorata. Tum vero STAHLIUS, indolem hæmorrhoidalis morbi diu ante ſcrutatus, albas quoque hæmorrhoides editis tum ſcriptis eo cum ſucceſſu illuſtravit, ut pauca poſtmodo adjicienda reſtarent, præprimis diſcipulo ejus M. ALBERTI manum ad ulterius hoc opus appellente.

CAPUT II.

GENERA.

§. II.

GENERA *hæmorrhoidum albarum* alia organum ipſum, in quo illæ ſedem nactæ ſunt, alia niſus varius humorum in vaſa hæmorrhoidalia ſuppeditant; idcirco

I. *Or-*

I. *Organo*, ut ſede ſpectato ſunt:

1. *Ani* hæmorrhoides albæ, quarum ſedes eſt in vaſis hæmorrhoidalibus inteſtini recti vel externis vel internis. De his præcipuus mihi ſermo erit. Sunt &

2. *Veſicæ* hæmorrhoides mucoſæ, de quibus ſeorſim (*a*) doctrina dabitur. Porro

3. *Uteri* quoque hæmorrhoides albas dari certa obſervatione conſtat, quæ leucorrhœa hæmorrhoidalis nuncupantur, curatioque hujusmodi leucorrhœæ hæmorrhoidibus propria eſt facienda. Meminit RAVLIN (*b*) hujus affectionis, & Auctor obſervationum clinicarum ad ductum medicationum in noſocomio Varſavienſi (*c*) meminit innuptæ feminæ in noſocomium illatæ cum leucorrhœa, & pertinacibus alvi obſtructionibus. Leucorrhœam non eſſe veneream examen docuit; ut ut materia profluens fuerit corroſiva. Imperatum enema ad reſerandam alvum ægra recuſabat, quod ſub alvi egeſtione atroces ſemper dolores perpeti cogeretur. Præmiſſis igitur

---

(*a*) Vide hiſtor. hæmorrh. Veſicæ §. 12. Nro. 1. b)

(*b*) Traité des Fleuts blanches T. 1. S. 2. Ch. 3. p. 119.

(*c*) Faſcic. 1. p. 39.

igitur emollientibus balneis juſſa eſt poſtea vapori aquæ fervidæ inſidere; ſed nullis inde varicibus hæmorrhoidum prolectis dolores potius inteſtini recti etiam extra alvi egeſtiones increvere. Intimius ergo rectum exploratum, & intra illud altius hæmorrhoidales nodi reperti. Curatione itaque ad hosce abolendos inſtituta non modo ani dolores; verum leucorrhœa quoque ſponte deſiit, manifeſto indicio illam fuiſſe hæmorrhoidalem. Et poſtmodo (*a*) „referre (ait idem auctor) „debeo, me iterum in uxore leucorrhæam „hæmorrhoidalem illi, quam in 1mo fasciculo „narravi, omnino ſimilem reperiſſe, & eadem „indicatione illam abſtuliſſe, quæ jam per „triennium omnes alias indicationes fefel„lerat.“

4. *Penis* denique mucoſas hæmorrhoides gonorrhœam benignam notham mentientes vidit R. I. FORTIS (*b*), nec aliorſum referenda eſt MAYERNII (*c*) obſervatio.

II. *Niſu* autem vario edito ſunt

A.

(*a*) Fascic. 2. p. 68.

(*b*) Vide Tom. I. §. 51. B. d. n. 3.

(*c*) Prax. med. P. 1. p. 363.

A. *Coecæ*, fere ſemper externæ i. e. ſyſtematis iliacarum, eæque ſpectata tuberculorum magnitudine rurſus duplices:

1. *Varices* vulgaris molis pro ſanguine rubro mucum, vel ſerum, vel materiam ſpermati ranarum analogam continentes, quales erant in CONERDINGII (*a*) arthritico, & viris GREISELII, (*b*) ac SORBAITII (*c*).

2. *Variculæ ſerpiginoſæ* STAHLII, olim *attrices* dictæ, de quibus P. FORESTUS (*d*): „attrices nominant quasdam tuberoſitates „parvas circa anum, quæ aliquando rece„dunt, & per tempus revertuntur.“ Multo autem luculentius eas deſcripſit STAHLIUS (*e*) dicens pullulare hic „minima, & quaſi „ſerpiginoſa tubercula, interdum ad 2 digitos „latos ambitum ani cingentia, mox vero ite„rum introrſum ad limbum ejus coëuntia, „ſumme pruriginoſa, interdum aliquamdiu „plane delitescentia, mox denuo prodeun„tia, tenuibus tamen eminentiis, & quaſi ſola

---

(*a*) Vide ſequ. B. Nro. 1. b).

(*b*) Vide §. 32.

(*c*) Ibidem.

(*d*) L. c. L. 23. ſchol. ad obſ. 9.

(*e*) Diſſ. de motu ſangu. hæmorrhoidal., & hæmorrhoidib. extern. Cap. 4. p. 12.

„ſola ſcabritie pruriginoſa . . . quæ pluribus „annis vel ſæpiſſime repullulant, vel nunquam „ad plenariam deſiccationem pertingunt. Dum „(ægri) hæc habent, aut plane nihil incom„modi ſentiunt, aut rara ſane, & levia pa„themata ſpasmodico-iſchiatica, aut lumba„ria perſentiscunt (*a*) . . . Jam licet per „ejusmodi ſuperficialia ulcuscula neque ſan„guis evacuetur, neque alius humoris ulla „effatu digna quantitas (ſiquidem revera, ſi „quantitas materiæ, quæ hic exſudat à ſcal„ptione, penſitetur, vix tota ſeptimana tan„tum inde confieret, quantum ℈j, aut mi„nus æquaret); nihilo minus ipſa ſola leviſ„ſima excretio, quatenus talis, præſtat hic „vicem alicujus ſatisfactionis" (*b*). M. ALBERTI (*c*) hanc eandem ſerpiginem ita deſcribit: „quod diverſis ſubjectis hæmorrhoi„dariis certis temporibus, & quidem per in„tervalla vel in ipſo ani exitu, vel in limbo „ejusdem efflorescant puſtulæ miliares (in„ſtar ſerpiginis), quæ valde pruriunt, do„lent, ardent, & in ambitu cum moleſtiis „tenſoriis, ſtrictoriis, ſubtiliter fremebundis „ſtipantur, concurrente alvi moleſtiori ſuc„ceſſu, quin agentibus nonnunquam actuali-
bus

(*a*) Ibidem p. 11.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Diſſ. de hæmorrhoidib. albis, §. 11. Tract. de hæmorrhoidib. P. 1. p. 261.

„bus tenesmis; & hæ pustulæ vel fortuito „sub consueta obambulatione abradantur, & „áffricentur, vel voluntario ad demulcendum, „& mitigandum eximium illum pruritum scal-„puntur, & fricantur, ut ita denique apertæ „hæ pustulæ exiguam quantitatem . . . ma-„teriæ tenuioris, limpidæ, subtiliter muci-„laginosæ, leviter flavescentis effundant. Hæc „manatio interdum per aliquot dies continuat, „aliquando per longius tempus insistit, com-„muniter vero iterum exsiccatur, & concre-„scit; sed post aliquam moram iterum redit". Atque his variculis serpiginosis quædam illius (*a*) femina laboravit.

B. *Fluentes* vero semper internæ i. e. ad venam portæ referendæ, quæ sanguinis loco mucum, serumve eructant ipso interdum sanguine alteratum. Atque in hoccei hæmorrhoidali fluxu tria potissimum occurrunt animadvertenda, nimirum humoris excreti indoles, copia, & excernendi tempora.

1. *Humor*, qui alvo egeri solet, potissimum est

a) *Mucus* variæ consistentiæ, & coloris albicantis, si purus sit; at non raro sanguinem etiam sibi admistum habet, qui si in-

time

(*a*) Vide §. 4. Nro. 4.

time illi mixtus eſt, mucum rubellum efficit; ſin minus, tunc ſanguis forma grumorum, ſtriarumve &c. muco inhæret. Atque ab hoc muco, hæmorrhoides albæ vulgo mucoſæ etiam audiunt. Hinc M. ALBERTIO (*a*) notante egeritur „materia plurimum mucilaginoſa, „pallida, lubrica, albumen ovi, aut ſperma „ranarum, vel ſaturatam ſpiſſiusculam ſolutio„nem tragacanthæ referens, loca hæmorrhoi„dalia eliquans, & mucilagine ſua humectans" . . . interdum „leviter rubella, aliquando „cum tenuibus filamentis, aut ſtriis ſangui„neis remixta, magis tamen albuginea, & „haud ſincere cruenta, cujus excretionem... „motus ſtrictorii & tenesmodei urgent, qua „per intervalla obtenta aliquamdiu dolores „illi interni acquiescunt" (*b*). Materiæ id genus per anum excretionem jam I. FERNELIUS (*c*) ex hæmorrhoidum vaſis provenire agnovit, monuitque, ne cum pure confundatur. Etenim „purulenta excretio (inquit „ille) ſi exigua, & cum dolore prodit, ab „ulcere, aut inteſtinorum, aut podicis eſt; „. . . ſi copioſior eſt, atque doloris ex„pers, ex abſceſſu quodam meſenterii in „proxima inteſtina fertur; ſi vero parcior, „pari-

(*b*) Diſſ. cit. §. 4. p. 254.

(*b*) Ibidem §. 10. p. 260.

(*c*) L. c. p. m. 170. ſq.

„pariterque indolens, ea quidem vere puru-
„lenta non eſt, nec ab ulcere manat (id quod
„multos puris ſpecie fefellit), ſed mucoſa
„quædam ſordes eſt ſubalbida, & veluti li-
„mus, fexque ſanguinis melancholici, quam
„podicis exſpuunt venæ, atque multo inter-
„dum tempore eructant, poſt diuturnos fere
„morbos melancholicos, duramque & labo-
„rioſam equitationem" Sic I. RHODII (*a*)
„cœnobitæ ... ætatis provectæ pruritu ſicco,
„atque difficili diu vexato ſanguis e venis hæ-
„morrhoidalibus adeo pituitoſus fuit evoca-
„tus, ut præter tantillum ſeri nullum ſangui-
„nem referret . . . Lotium eidem per ali-
„quot dies privative crudum conſpiciebatur."
Et (*b*) „nobilis Venetus ætate jam præcipi-
„tata pituitam fecibus permixtam dejecit, quæ
„merum pus referebat." Perinde G. I. GREI-
SELII (*c*), ERNESTII (*d*), ac SORBAITII
(*e*) ægri materiam alvo excreverunt ſpermati
ranarum analogam, idque ipſum etiam „in
„duobus notavit D. HELWICH (*f*), exiviſſe
„materiam inſtar ſpermatis ranarum." Ru-
bellus

(*a*) Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 72.
(*b*) Ibidem Obſ. 73.
(*c*) Vide §. 32.
(*d*) Vide §. 18.
(*e*) Vide §. 32.
(*f*) Hiſtor. morbor. Vratisl. A. 1700. p. m. 170.

bellus autem erat mucus, quem vir MÜLLERI (*a*) quandoque excernebat, indubie ab admisto sanguine; manifeste autem subcruentum reddebat ISENFLAMMI (*b*) senex, imo cruentum STORCHII puella (*c*), amicus (*d*), & vir quidam (*e*) 52 annorum, cholerico-melancholicus, macilentus, qui mense septembri ab insueto hactenus in horto labore cum crebra proni corporis incurvatione vehementem continuo dorsi dolorem nactus est, postridie magis in os sacrum & coxas delapsum, unde ischias illi jam sæpius infesta est enata. Data igitur pro litu olei scorp. ℥ß, interne vero ℈es:

℞. ℈ specific. cephal. ℈j.
— polychr. auctoris ʒj. M. F. ℈.

S. a meridie, ac vesperi $\frac{1}{4}$ ejus. Postridie imperatus usus MRæ ex ℞is rhei, ac ♀ri c. oleo anisi. Die 40 morbi exiguus superfuit dolor. Ob temperiem hæmorrhoidibus faventem de his interrogatus reposuit, mucum se excrevisse sæpius, nunquam sanguinem, & die 5to curiosius inspecta stercora exhibuere

(*a*) Vide §. 17.
(*b*) Vide §. 16.
(*c*) Vide §. 14.
(*d*) Vide §. 4. Nro. 2.
(*e*) Obs. clin. ann. 2. Septembr. cl. 4. p. 419.

ere ſimul mucum lubricum & cruentum, qui doloris attulit levamen. Cum ſanguine etiam primum, dein absque hoc egerebat mucum æger, cujus meminit FORTIS (*a*). Sæpe vero ſtriæ tantum ſanguineæ hunc mucum interſtinguunt, velut in ALBERTII (*b*) viro, HOFFMANNI (*c*) ſene, RICHTERI (*d*) ægro, feminisque STAHLII (*e*) ac STORCHII (*f*). In nonnullis denique integri ſanguinis grumi muco obvoluti reperiuntur, quemadmodum in SEGNITZII (*g*) viro & SILVATICI (*h*) homine, malo plerumque omine. Ut ut vero ſæpiſſime in albis hæmorrhoidibus mucus ano egeri ſoleat; aliquando tamen etiam

b) *Serum* profluere eſt obſervatum, idque ſummæ non raro acrimoniæ: unde hæmorrhoides albas non ſemper mucoſas; verum & ſeroſas quandoque eſſe in confeſſo eſt: „& mihi, inquit FRID. HOFFMANNUS (*i*), „nota

---

(*a*) Vide §. 4. Nro. 4.
(*b*) Vide §. 19.
(*c*) Vide §. 16.
(*d*) Vide §. 4. Nro. 3.
(*e*) Vide ſequ. Nro. 3.
(*f*) Vide §. 24.
(*g*) Vide §. 16.
(*h*) Vide §. 11.
(*i*) Med. rat. Syſt. T. 3. S. 1. C. 9. §. 17.

„nota complura ſunt exempla, quosdam tu-„bercula in ano geſtaſſe, quæ ob exquiſitum „dolorem totum corpus in conſenſum pertra-„xerunt; ſponte autem rupta aliquot coch-„learia ſeri acris corroſivi fuderunt, quo eva-„cuato pathemata conquieverunt." Perinde T. CONERDINGIUS narrante P. C. STOCKHAUSEN (*a*) literis ad MEIBOMIUM datis retulit, ſe in arthritico graviter decumbente vehementes hæmorrhoidum dolores cum tumore obortos notaſſe; intra paucas autem horas apertura ſponte facta limpidiſſimum ſerum ad plures libras effluxiſſe tam acre, & corroſivum, ut partes madefactas corroſerit, & excoriarit. S. ALISCHER (*b*) curandum habuit literatum virum hæmorrhoidum fluxui obnoxium; quo minus, ac alias procedente hæmorrhoides cœcæ multo cum tumore, ac dolore ſunt obortæ, & cum effluxu ichoris quaſi glutinoſi, ac gelatinoſi ſumme acris: donec idonea medela ſanguinis fluxus eſt revocatus. Hoc tamen abhinc ſuperfuit incommodum, quod poſt ſingulas dejectiones hæmorrhoides ſatis diu extra anum proſtiterint; & etiamnum, ubi ſanguinis fluxus remittebat, magnam ichoris ſeroſi, at longe fluidioris, quam ante, copiam eructarint; eo quod ſphin-

(*a*) Diſp. cit. §. 15.

(*b*) Annal. Vratiſl. Tent. 15. A. 1721. Mart. cl. 4. art. 11. p. 317.

ſphincter ani penitus ſeſe conſtringere nequiverit. Ad ſeroſasne an mucoſas referendum eſt hæmorrhoides, quod G. H. VELSCH (*a*) narrat? „Rariſſimus (ait) affectus eſt fluxus hæmorrhoidum non ſanguineus, ſed „ichorodes, & quaſi ſuppuratus. Bis omnino „hunc obſervavimus, ſemel quidem in viro „Religioſo, qui ſponte ruptis haud parvam „copiam purulentiæ excreverat; linimento ex „♃e lap. Grumbacenſis, tutiæ ppt., boli „Armen. cum ungu. de minio, & ceruſſa „curatus eſt. Secundum vero in viro no„bili.“ (*b*)

2. *Copia* porro, qua mucus, vel ſerum reddi ſolent, non ſemper eſt eadem; obſervante tamen M. ALBERTIO (*c*) ut plurimum muci tam exigua eſt „ut qualibet depoſitione „copia ½ mediocris cochlearis, & vix ſemper „tanta excernatur; quæ evacuatio per vices „& intercapedines repetit; ſed eo ipſo a vul„gari alvi fluxu maxime diſcrepat, dum nulla „alia fluida, aut feculanta materia vel ante, „vel poſt exoneratur.“ Vix certe ½ cochlear materiæ pus referentis egerebat RICHTERI (*d*) æger;

(*a*) Obſ. phyſ. med. Hecatoſt. 2. Obſ. 98.

(*b*) Vide §. 117. β. Tom. II.

(*c*) Diſſ. cit. §. 9. p. 259.

(*d*) Vide §. 4. Nro. 3.

æger; neque integro cochleari plus muci SILVATICI (*a*) vir excernebat; ſenex ISENFLAMMII (*b*) muci vitrei ſubcruenti ℥ß alvo reddebat, & STORCHII (*c*) amicus materiæ ſperma ranarum referentis cruore miſti volam ano exploſit. Hinc & FERNELIUS (*d*) ex paucitate muci, ac excretione ſine dolore concluſit, humorem hunc non pro pure ulceris, ſed pro hæmorrhoidali eſſe habendum. Interea tamen id pro criterio non eſſe ſtatuendum docent alia obſervata, ubi inſignis ſæpe copia hæmorrhoidalis id genus muci excernebatur: multum ſane illius egeſſerunt viri GOHLII (*e*) ac STUNZERI (*f*), feminaque STAHLII (*g*) ingensque ejus vis erat, quam aliquando SEGNITZII (*h*) vir dejecit; humor ille ſperma ranarum referens a SORBAIT (*i*) viſus fere 2 menſuras dedit, imo ℔ 10 ejusdem GREISELII (*k*) æger exoneravit. Perinde ſe res habet in ſero excreto, cujus aliquot tantum co-

(*a*) Vide §. 11.
(*b*) Vide §. 16.
(*c*) Vide §. 4. Nro. 2.
(*d*) L. c.
(*e*) Vide §. 4. Nro. 1.
(*f*) Vide ſequ. Nro. 3.
(*g*) Vide ſequ. Nro. 3.
(*h*) Vide §. 16.
(*i*) Vide §. 32.
(*k*) Ibidem.

cochlearia reddi HOFFMANNUS (*a*) vidit, CONERDINGIUS (*b*) plures libras.

3. *Tempora* denique, in quæ excretiones hæ incidunt, recenti adhuc in morbo eadem ſunt fere, ac in hæmorrhoidibus rubris, nimirum vel menſtrua, vel æquinoctialia, & ſolſtitialia, vel certe nulli typo adſtricta, vel ex brevioribus intervallis conſtantia. Sic STUNZERI (*c*) viro hæmorrhoides mucoſæ 10. quoque die fluxere cum ſolennibus hæmorrhoidali morbo ſymptomatis, vehementibusque circa umbilicum torminibus; at evacuata uberi lenti muci copia levamen perinde; atque a fluxu ſanguineo aliis accidit, ſequebatur. Verum ubi morbus hic invaluit, habitualisve effectus eſt, quotidie propemodum, idque crebris inſultibus affligit adeo, ut demum non modo ſub fecum egeſtione, ſed etiam ob aſſiduum plerumque teneſmum citra ulla ſtercora mucago illa ad ſui excretionem urgeat, imo involuntarie etiam quandoque ſecedat. STAHLII (*d*) femina ſanguineo-melancholica, ex arthritica familia, ſolicitudines, & plus quam annuam quartanam, ac varias

(*a*) Vide Nro. præced. b)

(*b*) Ibidem.

(*c*) L. c. p. 49.

(*d*) Diſſ. cit. l. c. p. 11.

rias tertianarum recidivas perpeſſa, inſuper ultra annum peſſimum omni menſe capitis eryſipelas cum ferociſſima cephalalgia; catameniis autem parciſſimis, laborabat. Catameniis Væ Se revocatis, poſt aliquot arthriticos inſultus accedentibus pluribus, gravibusque terroribus, & anxietatibus tandem atroces ſplenicos dolores aliquoties perpeſſa, ac præterea diarrhœam cum intenſiſſimis tenesmis experta excrevit mucoſa cum copioſis ſtriis cruenta, multa, ſæpeque diei ſpatio. Perinde Eccleſiaſtici apud R. I. FORTIS (*a*) mucus primum ſub alvinis tantum nixibus, dein ſine ullo etiam conatu egrediebatur; MÜLLERI (*b*) Rector per 4 annos quotidie mucum ſæpius, & jam cum fecibus, jam ſine iis excernebat, & SEGNITZII (*c*) vir urgente noctu præſertim tenesmo intra $\frac{1}{4}$ horæ quater, ſexiesve deſidens raro ſtercora, ſed mucum plerumque reddebat; RICHTERI (*d*) autem æger vel vicies per diem deſidens nil niſi materiam albicantem excernebat. SCHAARSCHMIDTII (*e*) porro Eccleſiaſtici quotidie mucum alvo reddenti podex inter ſedendum etiam madebat. Atque

---

(*a*) Vide §. 4. Nro. 4.

(*b*) Vide §. 17.

(*c*) Vide §. 16.

(*d*) Vide §. 4. Nro. 3.

(*e*) Vide §. 13.

Atque ex his abunde liquet, hæmorrhoides albas habituales multo esse deteriores rubris, plurimumque afflictionis accersere ægrotis.

CAPUT III.

PROEGUMENAE CAUSAE.

§. III.

PROEGUMENAE *causæ* hæmorrhoidum albarum tametsi eædem sint, quæ rubrarum; tamen hæ ipsæ nonnisi sub singulari quadam conditione, de qua hic agendum est, cum peculiari perinde procatarcticarum concurrentium applicatione, ad albas ducunt; quas inter

1. *Aetas* adultior plerumque est. Cum enim rubræ hæmorrhoides in omnem fere, ut vidimus (*a*), ætatem cadant; albæ, quantum ex historiis, quas coram habeo, eruo, nunquam ante 30um ætatis annum adveniunt, rarissime quoque ante 40um; ex iis enim, quorum ætatem rite adnotatam reperi, sola STORCHII (*b*) puella 30 annos nata erat, dum cruen-

(*a*) Vide Tom. I. §. 10.
(*b*) Vide §. 14.

cruentum alvo mucum egerere cœpit, qui rubrarum potius hæmorrhoidum fecuturarum prænuncius esse videbatur; quod ipsum etiam de ALBERTI (*a*) viro 30. annis majore tenendum est; quippe qui remediis adhibitis postea rubrum fluxum sit adeptus. Soli duo ægri, quorum unus KREBSII (*b*) est 34 annorum; alter 36um ingressus apud R. I. FORTIS (*c*), hæmorrhoides mucosas vere tales, diuturnioresque sunt perpessi. Reliqui omnes, quorum mihi de ætate constat, morbum hunc a 40mo ætatis anno, & post hunc exorsi sunt: ut proinde certum sit, ægritudini huic non nisi adultiorem, & ingravescentem ætatem esse obnoxiam.

2. *Sexus* autem præprimis virilis ad hocce malum proclivis est; ex toto enim ægrorum isthoc morbo affectorum syllabo, quem contexui, & prope 40 mortales continet, 4 haud amplius feminæ sunt albas expertæ hæmorrhoidas; quarum etiam, si puellam STORCHII (*d*) demas, cui morbus non ultra semel accidisse videtur, & leucorrhoicam illam, cujus

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Vide §. 31. Nro. 2.

(*c*) Vide §. 4. Nro. 4.

(*d*) Vide §. 14.

cujus ante (*a*) meminimus, ad rubras perinde ani, at cœcas hæmorrhoides referas, duæ tantum erunt reliquæ: STAHLII (*b*) nempe una; altera STORCHII (*c*), quæ hæmorrhoidibus albis laboraſſe dici mereantur.

3. *Temperies* e melancholico-vel ſanguineo-phlegmatica teſte G. H. BEHRIO (*d*), cum quo & S. SELIGMANN (*e*) ſentit, aptiſſima huic morbo ſuſcipiendo videtur; forte ob mucoſam humorum diatheſin vaſorum laxitati, inertiæque in id genus temperamentis perfrequentem: nihilo tamen ſecius temperies cholerica, cholerico-melancholica, ſanguinea, &c.; haud plus immunitatis, ut obſervata docent, attulerunt.

CAPUT

(*a*) Vide §. 2. I. Nro. 3.

(*b*) Ibidem II. B. Nro. 3.

(*c*) Vide §. 24.

(*d*) Medic. conſultat. Conſil. 1. p. 7.

(*e*) Diſſ. de hæmorrhoidib. albis. Sect. 2. §. 8. p. 10.

CAPUT IV.

PROCATARCTICAE CAUSAE.

§. IV.

PROCATARCTICAE *causæ*, a queis hæmorrhoides albæ in corporibus ad eas dispositis frequentius excitantur, sunt in primis

1. *Ingesta* quædam nonnullis in corporibus, hoc morbo jam affectis, illum gravius commovere sunt observata, vel sopitum resuscitare, ut a cerevisiæ potu MÜLLERI (*a*) Rectori eveniebat. Et I. D. GOHLIUS (*b*) „hæmorrhoidibus albis laborans . . . me (ait) „consuluit. Circumstantiæ fuerunt sequen„tes: commisso excessu in assumtis potulen„tis sequitur nauseosa cardialgia, inappeten„tia, & excernitur per alvum cum tenesmo „. . . magna quantitas albicantis muci nulla „sanguinis micula notati. Vinum mangoni„satum ægre fert, cephalalgia, & spasmodico „sinistri hypochondrii dolore hinc statim pre„henditur, nunquam adhuc sanguinem mit„tens:

(*a*) Vide §. 17.

(*b*) Act. med. Berolin. dec. 1. vol. 4. sect. 1. Nro. 40. p. 54.

„tens: ad Væ Sem in pedibus præservative „instituendam persuasus a me ceteroquin sa„nus dimissus est.“

2. *Vis externa* circa podicem illata. 1. STORCHII (*a*) amicus pede utroque fallente in nates lapsus est, ut præ dolore contusi ossis coccygis vix surgeret, qui etsi incessum brevi concessit; in osse tamen sacro, & coxis ne post 3 quidem hebdomadas plane desiit. Tandem mane quodam oborto desidendi stimulo cum per assidua negotia ad exonerandam alvum secedere nequiret, atque interea ex terra nescio quid sublaturus pronum sese flecteret, anus præter voluntatem explosit mucum, quantum vola caperet, lubricum, & consistentia spermati ranarum similem, pauxillo sanguine remixtum, stercorei fœtoris prorsus expertem: quo facto dolor omnis pristinus desiit. Post trimestre rursus id genus excretio accidit; abhinc vero non amplius, manifesto indicio ulteriorem ad hæmorrhoides dispositionem neutiquam adfuisse.

3. *Venus* immodica, humorum orgasmum ad organa in pelvi sita concitans. Apud S. SELIGMANNUM (*b*) quidam RICHTERI æger onania assidua exhaustus vel vicies per diem subito

(*a*) Obs. clin. ann. 2. Septembr. cl. 4. p. 419. sq.
(*b*) L. c. §. 2. Nro. 3. p. 7.

ſubito deſidere coactus nil niſi materiam albicantem puri ſimilem, interdum ſanguinis ſtriis miſtam, & vix ½ cochlear excedentem egerebat. Ob ſummam autem alvi obſtructionem rheo ſæpius uſus feculentam inde alvum reddebat ſine muco, & cum levamine. Cum vero ab aliis morbus pro fluxu cœliaco haberetur, RICHTERUS facta hæmorrhoidum albarum curatione priſtinam ægro reſtituit ſanitatem.

4. *Hæmorrhoides rubræ* inſtantes vel prægreſſæ, vel nimiæ. Quantum ad inſtantes „fluxum hæmorrhoidalem" inquit NENTERUS (*a*), „probabiliter expectare licet, quando in ætate virili poſt prægreſſa varia pathemata ſplenetico - hypochondriaca varii „ſpaſtici circa regionem oſſis ſacri, & lumbos dolores inprimis cum tenesmode conatu egerendi ſeſe exſerunt, intercurrente „ſenſu rei alicujus duræ (v. g. nuclei) intus „in inteſtino recto hærentis, imo cum actualibus ani protuberantiis dolorificis, quas hæmorrhoides cœcas vocant, aut cum excretione muci viscidi inſtar gummi tragacanthæ „ſoluti." Et ſane G. H. BEHRII (*b*) Principi cholerico accidit in recto inteſtino dolor ardens, ac mordax cum varicoſo tumore, tene-

(*a*) Fundam. medicinæ T. 1. P. 2. 45. ſq.
(*b*) L. c. Conſil. 1. p. 2. 7.

tenesmo, & excretione muci primum, dein ſanguinis, ſicque albæ hæmorrhoides rubris præivere. ALBERTII (*a*) quoque viro molimina fluxus hæmorrhoidalis rubri mucoſum fluxum cum ſtriis ſanguineis, & alvi profluvio cauſarunt. Multo vero ſæpius rubrum hæmorrhoidum fluxum quacunque de cauſa interceptum albus conſequi eſt obſervatus. Refert M. ALBERTI (*b*) quemdam aulæ præfectum ab acidularum Egranarum potu legitimum hucusque hæmorrhoidum fluxum experiri deinceps cœpiſſe inſufficientem, atque abhinc hæmorrhoidalibus dejectionibus albis multa cum moleſtia fuiſſe vexatum. Idipſum etiam experti ſunt ALISCHERI (*c*) literatus, ac ſenes HOFFMANNI (*d*) & ISENFLAMMII (*e*). Ab hac eadem cauſa ſerpiginoſæ quandoque hæmorrhoides oriuntur; nam ALBERTII (*f*) femina vegeta, activa, & plethorica, hæmorrhoidalem fluxum experta, poſtea quolibet fere menſe præter anomala ac magis dolorifica catamenia ſerpigines ani, & manationes hæ-

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Diff. de hæmorrhoidum prudenti therapia per acidulas & thermas. §. 5. p. 15.

(*c*) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. b).

(*d*) Vide §. 16.

(*e*) Ibidem.

(*f*) Diff. de hæmorrhoidib. albis §. 11. p. 261.

hæmorrhoidales cum torminibus, ac semi-ischiadicis tensionibus nacta est; quod malum sensim adeo increbuit, ut ex præconcepta, sed irrita scorbuti, & acrimoniæ curatione quasi assiduum evaserit: donec perspecta vera morbi indole curatio idonea morbum sensim ex toto profligavit. Hujus quoque loci est casus, quem narrat R. I. FORTIS *(a)*: Ecclesiasticus 38 annum agens eusarcus, usque ad 14 annum vertigines, 18vo malignam febrim passus, 20 anno dolores hæmorrhoidum nactus est cum aliquali fluxu alternis, imo quandoque singulis mensibus revertente, & ad 33 usque ætatis annum sibi relicto, ne regimine quidem observato, ægro equitationibus, longisque itineribus interea dedito, & intensis animi applicationibus indulgente. Tum vero, quod immodicus evaserit fluxus, corpore purgato haustæ aquæ spadanæ; at sine fructu, forte ob equitationes continuatas. Mox Aquisgranenses aquas hausit, postquam paucos dies in chronicam incidit febrem, a qua usu corticis Peruv. est liberatus. Interea tumor exiguus, durus in lumbis emersit, non abolendus, sed jam crescens, jam denuo decrescens. A 35 demum ætatis anno cœpit cum hæmorrhoidali sanguine mucosam egerere materiam, quandoque sine sanguine etiam pro-de-

(a) Conf. & resp. med. T. 2. Cent. 3. Cas. 10. p. 325.

deuntem, quæ primum ſub alvi tantum nixibus, poſtmodo vero ſine ullo etiam conatu reddebatur. Cumque hæc omnia ad 37 annum ſine ſenſibili coloris in toto depravatione duraſſent, ac 37 anno ſanguis ex tuſa bis vena ſeroſus admodum fuiſſet obtentus, data ℞a coralliorum. Nullum ab his levamen. Anno itaque 38 denuo facta corporis purgatio, pota ▽a Tettutiana, data martialia, bisque tuſa vena, quod corporis color jam cœperit vitiari; ſed ab his lædi ſe magis æger ſenſit, idque tanto etiam magis, ubi non multo poſt ſerum lactis, deinde aquas Villenſes, & balneum aquæ dulcis uſurpaſſet; namque ſanguis nunc ano profluens licet primis guttulis ruber, & conſiſtens appareret, mox tamen prorſus ſeroſus ſequebatur, imo ſola cruenta tinctura cernebatur. Languor invaluit cum difficili progreſſu præſertim per acclivia. Subinde vertigo, crebro autem trepidationes aderant. Interdum diarrhœa ſeroſa, cruda. Jamque pedum occepit oedema, & æger de pondere ſtomachi querebatur. Tactui occurrebant obſtructi meſenterii ſigna. Conſtabat nihilominus adhuc appetentia, ſomnusque, & ſubinde copioſum lotium redditum levamen afferebat. In hocce caſu mucoſas hæmorrhoides rubris a nimia vaſorum laxitate, quam immodicus ſanguinis induxit fluxus, ſuperveniſſe veri eſt longe ſimillimum.

CAPUT

CAPUT V.

PROXIMA CAUSA.

§. V.

PROXIMA *cauſa* hæmorrhoidum albarum hactenus non ita liquido demonſtrata eſt, nulla ut laboret ambiguitate; hinc non una etiam circa illam pathologorum opinio: tres enim fere ſunt ſententiæ, in quas illi diverſi abeunt. Alii enim hunc fluxum ad anaſtomoſin arteriarum hæmorrhoidalium referunt, quæ mucoſo ſero tantum, non item ſanguini etiam uberiori ſaltem, transmittendo ſufficicat. Momenta hujus opinionis præcipua ſunt: quod muco ſtriæ ſanguinis ſæpenumero inſint, haud ſecius ac in ſputis peripneumonicorum; quæ a finibus arteriarum pulmonalium exprimuntur; tum quod mucoſus hic fluxus rubrum præcedere, ac ſequi ſoleat, quemadmodum leucorrhœa menſes rubros ex arteriis oriundos præcedit, ſequiturque: tum denique, quod ſuccedens ſanguinis profluvium mucoſo huic fluxui finem imponere obſervetur. Verum tria hæc ut ut vera (*a*), præterquam quod in venis perinde ita evenire valeant, inſuper &

(*a*) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. a) S. 4. Nro. 4. §. 20.

& illud adverſus arteriarum anaſtomoſes pugnat, quod autopſia docuerit, materiam mucoſam, ſeroſamque ex venarum hæmorrhoidalium varicibus ſponte, arteve ruptis profluxiſſe (*a*), quemadmodum ſanguis ruber alias inde profluere conſuevit. Alii vero fluxum hunc malunt ad mucifera inteſtini recti vaſa, tamquam propria muci organa, rejicere, qua in ſententia DELIUM (*b*) fuiſſe (niſi quis alius ſchediasmatis excitati Auctor ſit) conſtat, ſcribentem: „ſunt etiam hæmo„rrhoides albæ dictæ. Hæ conſiſtunt in ma„gis; minusve dolorifica, ac tenesmode ege„ſtione muci lubrici, ac aliquatenus lenti, „qui jam albidus, jam ſtriis cruentis inter„ſtinctus eſt: quod poſterius quo uberius „præſto eſt; eo magis excretio dicta ad ori„ginem hæmorrhoidalium vaſorum & cum his „nexorum eſt referenda; quod ſi vero mucus „magis albus eſt, indicium eſt, ſcaturiginem „illius eſſe potius lacunas, plicasque internæ „tunicæ recti, quippe qui mucus iſthic alio„quin uberior eſſe debeat ad ſuperficiem inte„ſtini ab irritatione ſordium intus contenta„rum defendendam, aſſiduoque humectandam. „Quo itaque ſanguinis impetus in vaſa hæmo„rrhoidalia major eſt; eo plus hujus muci

„præ-

(*a*) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. b) & §. 32.

(*b*) Fränk. Samml. 7. Band. 42. Stück Nro. 1. p. 502.

„præſertim in corporibus phlegmaticis, & ad „mucoſitatem pronis poterit ſecerni, excer-„nique, atque ita hæmorrhoides albas pro-„ducere.“ Verum tametſi mucifera vaſa ad fluxum hæmorrhoidum albarum quidpiam conferre poſſint; omnis tamen illarum ratio ſufficiens iis in vaſis quærenda haud videtur; nam nec ſeri, quod muci loco interdum prodit (*a*), profluvium ex iis repeti poteſt, nec utriusque copia ſæpe enormis (*b*); præſertim cum (ut jam dictum) autopſia ipſa conſtet, mucum alias, alias ſerum ex varicibus venoſis ſponte, arteve ruptis profluxiſſe. Hinc denique alii hæmorrhoides albas una cum rubris ad venas referre maluerunt, earum nempe rhexin a ſanguinis in mucum anteverſi diſtentione. Sanguinem enim rubrum in humorem lentum, ac viscidum & albicantem degenerare poſſe docet nos chloroſis. Dum ergo ob difficultatem ſuccedentis fluxus hæmorrhoidalis rubri ſanguinem contingit ſtagnare in vaſis; facile vel in ipſis adhuc finibus arteriarum, vel ipſis jam venis hæmorrhoidalibus in humorem albidum, lentumque abire poterit, qui e ruptis deinceps varicibus cum alvo egeritur. Facile hinc etiam ratio ſtriarum, grumorumque ſanguinis in muco repe-riundorum reddi poterit. Degenerare hic ſangui-

---

(*a*) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. b).
(*b*) Ibidem Nro. 2.

guinem in mucum jam vero ſimile D. SENNERTO (*a*) viſum eſt, quem & S. SELIGMANN (*b*) ſecutus, cui cauſa hujus morbi „proxima „. . . conſiſtit in ſanguine ſpiſſo, ſtaſi, & „mora in vaſis hæmorrhoidalibus in mucum „everſo, & vaſorum lymphaticorum ani tono „amiſſo, ut hæc minus reniteant ſeri; quam „vaſa ſanguinea ſanguinis exitui.“

CAPUT VI.

SYMPTOMATA.

§. VI.

SYMPTOMATA *hæmorrhoidum albarum* ſunt prorſus eadem, quæ rubrarum: niſi quod ob aſſiduitatem, & quod a tempore ipſo incrementa capiant, ſint moleſtiora, & ſæpe etiam graviora. Cum enim fluxus hic ſit tantum rubrarum hæmorrhoidum aliquatenus vicarius, perfectaque vaſorum infarctorum exoneratio fere nunquam contingat, congeſtioque humorum continuo iterum fiat; ob ſtaſes nunquam non præſentes etiam aſſidua aderunt ad excretio-

(*a*) L. c.

(*b*) L. c. §. 7. p. 9.

tiones molimina, illorum prorſus ſimilia, quæ in rubris obtinent. Horum autem ſymptomatum unum præprimis eſt, quod hic plurimas parit moleſtias, & ægros pene ad deſperationen adigit, frequens videlicet, acerque *tenesmus*, mucoſis hæmorrhoidibus quodammodo proprius, qui quantus hic ſæpe ſit, ex omnibus aliis vel maxime documento ſervient duo ſenes; HOFFMANNI (*a*) unus; alter ISENFLAMMII; (*b*) tum RICHTERI (*c*) æger, SEGNIZII (*d*) vir, ac STAHLII (*e*) femina. Hocce enim ſublato reliqua ſymptomata ægri non usque adeo graviter ferrent.

CAPUT VII.

DIAGNOSIS.

§. VII.

DIAGNOSIS iſthic *relativa* vel maxime eſt neceſſaria, cujus ope hæmorrhoides albæ ab aliis

(*a*) Vide §. 16.

(*b*) Ibidem.

(*c*) Vide §. 4. Nro. 3.

(*d*) Vide §. 16.

(*e*) Vide §. 2. II. B. Nro. 3.

aliis affinibus morbis, præſertim ſcabie ani venerea, ulcere ani, diarrhœa, dyſenteria, cœliaca paſſione rite diſcerni queant; ne forte alia, quam quæ in hæmorrhoidibus eſt ſolennis, adhibita medendi methodo æger non modo non ſanetur; verum lædatur etiam magis.

§. VIII.

I. *Scabies ani venerea*, & ſerpiginoſæ variculæ ani (*a*) eatenus ab ſe diſſident, diſcernunturque, quod & cauſas prægreſſas habeant diſparatas, & ſerpigo dicta conjuncta ſit cum reliquo ſymptomatum hæmorrhoidalium comitatu, qui in ſyphilitica ſcabie adeſt. Quod ſi vero æger venereus ſimul ſit, phænomena ſaltem hujus labis non ſymboliſant cum ſerpigine dicta, quam præterea ☿ii uſus non eradicat.

§. IX.

II. *Ulcus recti*, aut ulterioris tubi inteſtinalis ab hæmorrhoidibus albis in pluribus diſcrepat; namque

1. Cau-

(*a*) Vide §. 2. II. A. Nro. 1.

1. Caufa ulceris manifefta, ut eft inflammatio (præfertim furentium hæmorrhoidum) &c., præcedat, neceffe eft.

2. Materia excreta omnes puris vel probi vel pravi dotes præfefert, fi ab ulcere provenit; omnia vero contraria funt in noftro morbo.

3. Symptomata ulcerum ab hæmorrhoidalibus & numero, & loco, & indole differunt: idcirco, prout hæc, vel illa adfuerint; morbum etiam fuæ profapiæ adeffe arguent.

§. X.

III. *Diarrhœa* perinde a noftro morbo in pluribus diffidet; enim vero illius

1. Caufa prægreffa eft fingularis, ac manifefta; tum etiam

2. Materia egeritur uberior, fluidiorque, ferofa, aut biliofa, aut alius indolis.

3. Tenesmus, aliaque hæmorrhoidalia fymptomata, quæ muci hæmorrhoidalis egeftionem præcedere folent, in diarrhœa abfunt, & fi forte tenesmus adfit; nec tantus, nec tam diuturnus effe confuevit.

4. Le-

4. Levamen ab egeſtionibus nullum conſequitur, in diarrhœa, quod tamen in hæmorrhoidali malo eſt manifeſtum. Interea tamen accidit, ut ambo hi morbi complicentur quandoque, ut in KREBSII (*a*) viro: ſed levamen prægreſſorum ſymptomatum ad cenſum hæmorrhoidalium pertinentium ad ſingulas fere dejectiones obſervabile, & mucus hæmorrhoidalis in excretis præſens omnem ambiguitatem haud difficulter ſolvunt.

§. XI.

IV. *Dyſenteria mucoſa*, in qua mucus cruore ſtriatus cum tenesmo egeritur, hæmorrhoidibus albis maxime eſt affinis: hinc nil mirum, has cum illa non raro fuiſſe confuſas, id quod celeberrimo ſua ætate practico Italo B. SILVATHO (*b*) accidit, qui ſequentem caſum de diarrhœa, *dyſenteria*, & *tenesmo* inſcripſit: „vir generoſus ætatis annorum 46, „ſanguineus, boni habitus, floridoque vultu, „ventriculo ſatis firmo, hepate fervido, pro„miſcua uſus vivendi ratione, ac peregrina„tionibus fatigatus hæmorrhoidum fluorem „dies aliquot paſſus eſt, a quo gravius nihil „accidit. Tribus abhinc menſibus diarrhœa „ſa-

(*a*) Vide §. 31. Nro. 2.

(*b*) Conſil. & reſp. med. Cent. 2. Caſ. 93.

„satis profusa dies aliquot sine dolore corri-
„pitur, a quo tempore postea ante 7 hebdo-
„madas observavit sanguinis quidpiam sine
„dolore in dejectione naturali: cujus causa
„infusum rhabarbari, & clysteres ex lacte fu-
„erunt præscripta, nihil tamen remittente
„malo. Verum paulo post sanguini immixta
„effluxit materia alba glutinosa cum nigro in-
„terdum adusto, & coagulato sanguine a fe-
„cibus sejuncta, sine dolore insigni, pauca
„semper copia: quin imo quandoque a prima
„desidendi cupiditate guttatim, quandoque
„ad ½ cochlearis vel ad summum unius men-
„suram. Alvus interim suppressa dum inje-
„ctionibus plurimum solicitatur; dolor nullus
„percipitur, sed fervor solum quidam in ex-
„cretis æqualibus plerumque. Interdiu tamen
„materia hæc sæpius ejicitur sola sine molestia,
„adeo ut consueta munia obire valeat, to-
„leretque etiam nunc vectari curru, & equi-
„tare. Sub mediam vero noctem, quando-
„que prius, dolor dorsi, seu potius ossis
„sacri profundus, qui tactu neutiquam exa-
„cerbatur, nec rubore, aut tumore se pro-
„dit; licet patiens corpus exerceat. Vige-
„simo primo Martii, præmisso rhabarbaro,
„e mediana missus fuit sanguis, a quo in su-
„ris dolor nullus, qui nunc ante triduum
„noctu invaluit. Clyster quoque anodynus,
„& sanguinem sistens sine dolore injectus me-
„diæ horæ spatio si contineatur; dolor soli-
„tus tota nocte in auroram usque affligit, at-
„que

„que vicies, & sæpius etiam nullo clystere „admisso sine aliorum excrementorum, aut „serosæ illuviei permixtione materia cruenta, „tenaxque alvo excreta, quæ 2. 3. 4ve co-„chlearia non excedit; ceteris excrementis „interim omnibus suppressis. Fluxus quan-„doque unum, alterumve diem remittit, sed „mox recurrit. Venter initio quidem visus „est intumescere, nunc recte se habet.“ Ec-quis autem non videt, nihil hic dysenterici; omnia contra esse hæmorrhoidalia? Sed ætate illa, qua hæc edebantur (A. 1656), nil ad-modum de hæmorrhoidibus albis præter le-vissimas conjecturas tenebatur. Hodie vero dysenteria mucosa, seu alba sat promte, fa-cileque ab invicem dignoscuntur, ut in ALBERTII (*a*) casu factum est; etenim dysente-ria, ut recte notat SELIGMANN (*b*),

1. Acutus est morbus (chronicæ hæmo-rrhoides albæ), &

2. Epidemicus plerumque, ac

3. Symptomata propria habens, præpri-mis febrim acutam; dum in albis hæmorrhoi-dibus & alia prorsus symptomata adsunt, & febris aut nulla, aut certe chronica lenta.

4. Le-

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Diss. cit. Sect. 2. §. 2. Nro. 1.

4. Levamen a dejectionibus nullum in dysenteria; evidens vero in hæmorrhoibibus albis.

§. XII.

V. *Cœliaca* denique passio, non ut eam quidem R. A. VOGEL (*a*) perperam descripsit; sed quæ hodie vulgo intelligitur, cum hæmorrhoidibus albis perinde ab ignaro confundi posset; a perito tamen haud ægre discernitur; siquidem

1. Chylum, non mucum evehit, majori etiam copia, statisque a pastu horis.

2. Maciem citam cœliaca; lentam hæmorrhoides albæ causant.

3. Symptomata sibi propria habet, absentibus hæmorrhoidum albarum, præsertim tenesmo illo crebro.

4. Causas quoque ambo hi morbi diversas habent, &c. Quantum autem ad VOGELII cœliacum fluxum attinet, multa sunt, quæ persuadent, eum nil aliud esse; quam ipsas

---

(*a*) Diss. in qua fluxus cœliaci genuina notio, atque ratio exposita 4to. Göttingæ 1768.

ipſas albas hæmorrhoides male a veteribus cum cœliaca chyloſa (quam ob chylopoieſin ignoratam non ſatis discreverant) confuſas.

CAPUT VIII.

PROGNOSIS.

§. XIII.

I. Curabilitas morbi hujus ab ejusdem habitu, & cauſa pendet; ſi enim hæmorrhoides albæ rubrarum ſunt præludia; his apparentibus illæ deſinunt, ut in BEHRII (*a*) Principe; ſin vero albæ a rubris repreſſis, vel erumpere non valentibus ortæ perſtent, habitualesque evadant, dejectionibus factis aſſiduis, manentibusque ſymptomatis, imo & ingravescentibus, tunc æque; ac leucorrhœa habitualis difficilem admittunt curationem, ſed inducta ſenſim cachexia mortem, ut dicetur, afferunt. Quam ardua ſit ſæpe hujus mali curatio; documento ſerviet caſus S. SCHAARSCHMIDTII (*b*) conſulti pro Eccleſiaſte

(*a*) Vide §. 4. Nro. 4.

(*b*) Medic. und chirurg. Nachrichten. 6. Theil Nro. 27. p. 248. ſq.

fiaſte 42 annorum, qui ab anno 25. identidem hæmorrhoides cœcas perpeſſus eſt multo cum preſſivo hypochondrii lævi dolore. A 4 annis morbus admodum crevit ſpasmodicis cum ſymptomatibus non ferendis; nunc autem quovis mane vehementes ſpasmodicæ tenſiones per totam ſpinam dorſi usque ad occiput vexabant cum gravi circa os ſacrum preſſione, & a non brevi jam tempore quotidie per alvum prodibat humor albus plaſticus, ſedentique etiam podex madescebat. Præcedebant ſemper egeſtionem vehementiſſimi ſpasmi abdominales, anxietates, tremorque totius corporis, maxime manuum, proclivi tunc ſimul ægro ad iram, terrorem, ac metum; quæ tamen ille ſolicite vitabat, reprimebatque. Non obſtante vero dicta excretione hæmorrhoides cœcæ a 14 diebus etiam aderant, non tam dolentes; quam valde prurientes, quæ tamen ſponte iterum evanuere. Aeger quidem ſemeſtri quovis Væ Sem inſtituit, identidemque ℥es STAHLII tam nitroſos, quam abſorbentes capiebat; uti & pilulas ejusdem, tum HOFFMANNI elixir viscerale, ac liqu. anodynum, & a 4 hebdomadis infuſum quoque ex veronica, betonica, meliſſa, & cortice ligni ſaſſafras hauriebat; verum omnia ſine levamine. Aeger cetera non obeſus, magnis præditus venis, ad ſudores pronus, bene appetens, dormiensque diætæ fuit obſervantiſſimus; alvus ei libera ſemper fuit, imo ſæpe leviter fluxa, ita ut mane ter,

qua-

quaterve dejecerit. Si unquam hic vir consanatus est; id profecto non exiguo tempore, levibusque remediis obtinuerit.

§. XIV.

II. EFFECTUS porro ab hoc morbo oriundi boni sunt alias; alias pravi, prout nempe ille aut ex toto aut aliquatenus tantum fluxum rubrarum hæmorrhoidum compensat: si enim istum ille non ex toto compensat, nil aliud est; quam insufficiens, ac pene inanis naturæ conatus ad infarctus p. n. vasorum hæmorrhoidalium tollendos: queis perstantibus symptomata illum præcedentia non modo non abolentur, nisi pro exiguo tantum tempore, paulo autem post eadem vehementia reversura, sed etiam graviora sensim oboriuntur, quæ ad mortem ducunt: sin vero fluxu hoc albo ruber omnino compensatur, ac p. n. infarctus vasorum prorsus pro tempore saltem longiori tollitur, symptomata tum præcedentia cessant; tum alia præpediuntur. Effectus itaque ab hoc fluxu præcipui sunt.

§. XV.

1. *Symptomatum abolitio.* Insignem hujus comatis casum refert I. STORCH (*a*): puella

---

(*a*) Obs. clin. ann. 6. Maji cl. 2. p. 569. sq.

puella 30 annorum sanguineo - melancholica tempore mensium spasmo epileptico per paroxysmos vexabatur, quos stimulantia ex castoreo, ol. u ⊖ammon., &c. exacerbabant: horum itaque in locum datus ℥is absorbens inducias 4 horarum dedit, ac postridie paroxysmus deferbuit. Die 4to prior medicina sumta insultum revocavit, post quem data MRa:

℞. Tᴿæ rhei electi ʒjß.
Liqu. ∇æ. fol. ♀ri ʒß. M.

D. ad binas doses absumendum; unde alacris ægra nil nisi phlogoses adhuc, alvumque obstructam sensit. Iteratæ ergo MRæ dimidium mane, residuum a meridie porrectum, simulque ℥is antispasmodicus ante meridiem, & vesperi exhibitus, & globul. sacchar. mosch. pro suppositoriis adhibitis vesperi alvus reserata. Interea die 5to referebat ægra se sub, ac post hesternam alvum nactam esse tuberculum hæmorrhoidale cum tenesmo, neque abhinc quidquam amplius epileptici rediisse, hujus autem loco borborygmos, & aliquas anxietates ingruisse. Sub MRæ autem, ac ℥um usu die 6to occepit dolor in dextro crure, pedeque: eapropter MRa semel, semelque ℥is datus. Die 7mo excrevit alvo inter dolores, & ardores mucum cruentum: unde dolor evanuit. Continuatus ℥is. Die 9no ægra symptomatum expers, tantum dum lectum reliquit, leves horrores, ac post hos fugacem æstum passa est.

℞.

℞. M. P. BECHER. ℈j.
— purgant. ℈ß. M. F. pil.

S. 4to quovis die gr. x. vesperi.

℞. TRæ. flor. papav. rhœad.
Liqu. anod. min. āā ʒij. M.

S. quotidie m., & v. gtt. 30. Die 12mo undique bene habenti consultum, ut post 8 dies Væ So in pede fiat: quo facto constanter sana mansit. Perinde (*a*) quadragenarius quidam a multis jam annis indicia scorbuti, ac molimina hæmorrhoidum passus, ubi recurrentibus solidis imi dorsi doloribus sumta pilularum Auctoris dosi mucum cruentum egereret; ad eum promovendum data M. P. BECHERI ℈ij. purg. ℈j eo cum successu, ut cum dudum ante pro phthisico haberetur ob maciem, ab anno carnes utcunque resumserit, & abhinc pauca tantum, leviaque symptomata toleraverit. Eodem cum levamine seri spontanea excretio in HOFFMANNI (*b*) ægris accidit. Plura huc facientia paulo inferius (*c*) etiam visuri sumus.

§. XVI.

(*a*) Ibid. ann. 7. Septembr. cl. 4. p. 229.

(*b*) Vide §. 2. II. B. Nro. 1. b).

(*c*) Vide §. 31. 32.

§. XVI.

2. *Ulcus inteſtini recti*, quod mucus, diu in vaſis maxime diſtentis ſtagnans, mora, & calore loci corruptus, acerque factus vicina lente erodendo inducit. Hinc DELIUS (*a*) de albis hæmorrhoidibus agens „ſtatus „hic (ait) non eſt optimus; quandoquidem „per crebras muci in plicis inteſtini conge„ſtiones facile ſtaſes & ulcerationes, imo & „fiſtulæ, nec non ſpecies ſcabioſæ cruſtæ in„ternam recti ſuperficiem obtegentis, qualis „ſæpe externe moleſto cum pruritu accidit, „enaſci poſſunt.“ Et vero experientia verum id eſſe jam dudum, ac ſæpe edocuit. Sic I. F. ISENFLAMMII (*b*) vir 60 annis major, „gracilis ac valde ſtricti corporis, facie e virore flaveſcente, parte hæmorrhoidario genitus, exacta in laboribus, itineribusque ſub vario victu citra graviores morbos juventute ubi adultam attigit ætatem, partis opibus vitam quietam, ac ſedentariam amplexus variis jam malis affligi cœpit, at levioribus primum, & cum induciis, idque per plures annos, priusquam medici ſibi auxilio opus eſſe judicaſſet. Ingraveſcente demum ægritudine Auctorem media æſtate 1769 conſuluit, referens a multis retro annis hæmorrhoides ſibi moderate fluxiſſe, ordinateque & cum euphoria; a tri-

(*a*) L. c.

(*b*) Nov. act. nat. cur. Tom. 5. Obſ. 48.

triennio vero, ubi parcius, rariusque fluere cœpiſſent, ac minori cum levamine, ſanitatem cœpiſſe labefactari in dies magis. Abdomen ſæpius, maxime in hypochondriis, in miram tenſionem, ac duritiem inflabatur, ſed brevi evanescentem, editis nempe ore, anoque flatibus cum levamine. Appetitus jam ſat bonus aderat, jam nullus; ſitis abfuit. Alvo interdum uno, eodemque die jam ſtercora, jam lubrica, & aquoſa, jam cibos ſemicoctos egerebat. Sub mictu quandoque, at raro, in collo veſicæ obicem quemdam ſentiebat, ut majori niſu ad mejendum opus fuerit: urina alias copioſa, parciſſima alias fluxit, ſemper pallida, ac ſublactea cum ſedimento velut chyloſo. In inferiori coli flexura ſenſus ponderis aderat. Moleſtiſſima vero illi fuit alvi quædam incontinentia, qua ſine præviis torminibus flatum excluſuro illico ſimul invito erumpebat vel pituita vitrea ſubcruenta, vel ut plurimum materia aquoſa tenuis, ℥ß non excedens, idque ultra quinquagies diu, noctuque. Pulſus naturalis, at parvus, debilisque repertus; libera ſpiratio; integræ functiones animales; labia, ac palpebræ interna ſui parte pallidiſſimæ. Ad obſtructiones ergo reſerandas, mucum abſtergendum, primas vias roborandas dari cœpta lenia abſtergentia, aperientia, amaricantia, roborantia, carminantia, rheum, ♂, cortex, externis quoque haud neglectis, eo ſucceſſu, ut ſub diutino horum uſu fluentibus, parce licet, quovis fere menſe hæmorrhoidibus æger ſummopere

pere alleviatus æſtatem A. 1770 ſat commode exegerit, & a potis tunc Spadanis aquis uſque adeo in melius profecit, ut receptis viribus, appetentia, emendato multum faciei colore, œdemate pedum plurimum imminuto, ac hypochondriorum inflationibus fere penitus ſilentibus, prorſus ſe convaluiſſe crediderit, ſola illa alvi moleſta quaſi incontinentia poſt omnia remedia aſſumta ſuperſtite cum intercurrente ſubinde leviori dyſuria, epithemate tamen pubi admoto magnopere levanda. Pergebatur itaque in uſu remediorum. Aſt media æſtate alvum redditurus immanem ſanguinis copiam in matulam excernens corruit ſemianimis, lectuloque illatus pallidiſſimus, frigidus, præ debilitate vix fari valens, cum pulſu celeri, minimo, vermiculari, ſtillante adhuc ex ano ſanguine. Lectus velut a puerpera non ſolum cruore imbutus, verum & grumis ſanguinis fœdatus viſebatur, ita ut copia ſanguinis amiſſi ad ℔jv. vel v. medicas æſtimata ſit. Priorum loco nunc interea ſola cardiaca, analeptica, ac roborantia imperata, quorum uſu paulo poſt hæmorrhagia ſopita, ægerque recreatus per paucas horas lectum deſerere potuit. Abhinc priſtina illa alvi moleſtia multo jam rarius affligebat, lotiumque promtius excernebatur, at cum aliquo ſub mictu ſibilo, & flatu ſubinde etiam extra mictum per urethram erumpente. Paucis poſt diebus urina ſæpius per diem emiſſa ſat copioſa, cruenta obſervabatur, ſub-

ſubſidente ſenſim fere $\frac{1}{2}$ parte ſanguinis. Sequentibus deinceps diebus urina prodibat foetidiſſima, turbidiſſimaque, poſt brevem quietem $\frac{1}{2}$ ſui partem ſedimenti deponens vere ſtercorei; ex quo tempore alvina illa incontinentia deſiit, alvusque ſatis hactenus ingeſtis reſpondere ſolita nunc parcius multo ſuccedebat. Satis jam liquebat, dudum ante latuiſſe ulcus in confiniis recti, ac veſicæ, quod ſenſim eroſis utriusque tunicis eorum contentis ultro, citroque tranſitum concedebat, ac primum quidem lotio ex veſica in rectum (quod aquoſa illa frequens ac moleſta excretio docebat), quamdiu hiatus fuit minimus; hoc autem amplius patefacto etiam ſtercori, flatibusque ex recto in veſicam. Remediis quibusvis incaſſum adhibitis æger poſt paucas hebdomadas vivere deſiit. Ejusdem quoque eventus caſum refert I. G. SEGNITZ apud A. E. BÜCHNERUM (*a*): vir 40 annis major, juvenis æque, ac vir jam multa fatigia perpeſſus, ut præ induſtria laborum ſæpe multos per dies vel nil, vel parum liquidi hauſerit, 24ta Febr. 1728 querebatur medico, ſe inde 4um jam in annum varia pati incommoda, præſertim crebras, ac ſubinde in 8, & plures dies durantes, tamque vehementes alvi obſtructiones, ut inde aliquoties pene iliacam paſſionem incurrerit; in præſenti vero moleſtam eſſe omnium artuum

(*a*) Miscell. phys. med. A. 1729. April. cl. 4. art. 7. p. 266. ſqq.

tuum debilitatem, cephalalgiam, ſtomachum male affectum, dolores dorſi, & abdominis ſat indurati fere intolerabiles, alternantia pedum œdemata, & quandoque iſchuriam, maxime vero ſe ab aſſiduo defatigari teneſmo, noctu præſertim laceſſente, adeo ut cum intra $\frac{1}{4}$ horæ quater ad ſexies invadat, omnem quietem, viresque tollat; vi cujus tamen raro ſtercus; ſed plerumque mucum vel fuscum, vel ſæpius album, ſubinde ſanguine ſtriatum egereret. Symptomata alia ultra ſemeſtre; teneſmum vero diutius etiam, cum induciis tamen, adeſſe. Ad alvum reſerandam aperientia, plurimumque aloeticas pilulas, ad leniendos autem dolores anodyna ſe uſurpaſſe, levatumque his ab ulteriori abſtinuiſſe medicatione. Nulla manifeſta fiſtulæ ani indicia exploratione detecta eſſe; verum potius a continuante dies aliquot muci excretione deinceps ejusdem remiſſionem, & inſigne ſymptomatum, dolorumque ſequi lenimen. Aliquando etiam tubercula aliquot hæmorrhoidalia circa anum emerſiſſe cum ardore; at brevi iterum poſt evanuiſſe. A data primum eſſentia aperiente, ac depurante, & TRa antiſpasmodica poſt aliquot dies dolor caput, artusque reliquit, ac tumor femorum decrevit, appetitus increvit; uſu vero infuſi ex herb. meliſſ., veron., beton., ſummit. millefol., ſcord., marub. albi etiam colica leniebatur, teneſmusque factus tolerabilior. Sub ulteriori emendatione varia molimina hæmorrhoidum oborta indicabant tonum primarum viarum, ac viscerum eſſe reſtaurandum, al-

vum

vum apertam tenendam, ſanguinem fluidiorem pro hæmorrhoidum excretione reddendum. Martii 21 veſperi datus pil. balſ. BECHER ℈ß, ac poſtero mane ſalis amari Sedlic ℈jv: unde 9. dejectiones, ita levantes, ut æger interdiu ſat diu extra lectum eſſe quiret. Nocte diei 25æ abdomen magnopere intumuit, cum majoribus ſolito doloribus; & licet inde a cathartico alvus manſerit aperta; poſt aliquot tamen horas tanta alvina excretio ſecuta eſt, ut intra horam plus cantharo aquoſo exierit lymphæ glutinis inſtar viſcoſæ cum integris muci fruſtis. Aeger quidem inde languebat; ſed ſomnus aliquot horarum vires refecit. Venter durus, & expanſus ſubſedit, æger optime habuit. Die 31. ob alvum biduo clauſam dati denuo ſalis Sedlic. ℈jv. illa die aliquoties alvum leniter ſolverunt; poſtridie autem alvo ſolitō ſæpius urgente egerebantur maſſæ juglandem vel æquantes, vel ſuperantes etiam, multo exterius fusco, alboque obductæ muco, quo ſeparato reliquum erat grumoſus, prorſusque corruptus ſanguis. Hæc autem excretio ſine ullo medicamentorum uſu, præter dictum infuſum, & pil. polychreſtar. HOFFM. gr. 5. veſperi data, durabat dies aliquot, plenaque vascula ſimilium maſſarum colligebantur citra ſenſibilem virium imminutionem, imo cum inſigni gravium dolorum remiſſione. Ubi autem haud multum jam ſanguinis hujus grumoſi reddebatur; ſincerus ſanguis per 2 vel 3 dies egredi cœpit; unde non tantum dolor plurimus deſiit, ſed tenesmus

quo-

quoque pene omnis ceſſavit, ut æger & obambulare in conclavi, & plus quoque cibi ſumere potuerit. Verum peccando in diætam denuo ſtomachum læſit, ac 15. Aprilis femur, quod fere jam prorſus detumuit, rurſus inflatum eſt; internis tamen reſolventibus, & balſamicis denuo reſtitutum. Finiente Aprili pertinax alvi obſtructio accidit, & ſub incremento colicæ a flatibus vehemens ſonus, ac ſi plena dolia lapidum exonerarentur, edebatur, jam ante conclavis januam exaudiendus, quo finito alius velut aquæ plenis ex vaſis cum ſtrepitu effuſæ, & inſtar variorum animalium audiebatur, inſecutis moleſtis ructibus, & quandoque etiam olidis vomitibus. At ſalia aperientia data alvum intra 16 horas reſerarunt. Lapſis 4 hebdomadis, ex quo primum ſincerus prodiit ſanguis, multum iterum ſanguinis grumoſi, mucoque obducti in maſſis ad 8 dies egerebatur citra remedia pellentia, & poſt 5 hebdomades die 7a Maji ſucceſſit alvinæ dejectionis tempore cum levamine doloris, ac teneſmi ſanguis purus, ac floridus, at non niſi per 1 ½ diem, nec abhinc unquam fluxus hæmorrhoidum induci potuit ordinatus: dolores quidem dorſi, & abdominis abhinc fuere leniores; verum teneſmus aliquanto poſt reverſus omnem arcuit quietem, nec externis, nec internis cum conſtantia domandus. Unde labantibus in dies viribus ſtatus cachecticus crevit. Præter ſupra dictum mucum albo ovi ſimilem, & ſæpe ſanguine ſtriatum nunc etiam copioſus ichor

fu-

fuſcus, & acer excernebatur, ut copia hujus ſaburræ exceſſerit aſſumta, increſcente ſimul pedum tumore. Aliquoties obſtructio alvi cum ante dictis ſymptomatis occipiens mature iterum ſolvebatur; ſemel tamen vomitus accidit, quo marcidæ rapæ ab ægro ante 14, & amplius dies comeſtæ prorſus indigeſtæ fuere excuſſæ, uti alias etiam obſervatum eſt, indigeſtiles cibos multas per hebdomadas in ægro manſiſſe, alios vero multo ſerius aſſumtos longe citius, ut ut perinde plurimum non digeſtos, alvo exiiſſe. Cum vero ob nauſeam toto menſe remedia ſimul reſpuiſſet; vires adeo collapſæ ſunt, ut mox ubi lectum reliquit, lipothymiam incurrerit. Querebatur porro admodum de oculorum caligine, nullas ut ſæpe literas discerneret. Julii 11. angina ſpasmodica cum globo hyſterico dicto oborta non modo omnem deglutitionem; ſed ſæpe etiam loquelam intercepit, quam notabilis copia ceraſorum acidorum comeſtorum cauſavit, & quam uſus antacidorum, & antiſpasmodicorum poſt biduum lenivit, ſimulque dein aliquot ceraſa integra multo muco obvoluta alvo reddita. Hactenus pedibus tantum tumentibus artus ſuperiores prorſus extenuati erant; ſed 14. Julii ſpatio noctis brachium lævum tumore ad oculum fere creſcente ſub atrocibus doloribus correptum, & ad uſus plane ineptum factum: verum fotus, & ſacculi ex herbis leniter reſolventibus, ac doſes aliquot ♂ii diaph. datæ cum dolores brevi lenivere; tum etiam tumorem minuerunt,

runt. Sanationis autem ſpes omnis evanuit accedente præſertim 18 Julii conſtanti alvi incontinentia non emendanda nec reſtituendo tono ſphincteris amiſſo, effluente, invito ægro, ichore fusco, aquoſo, tam acri, ut omnia ſubjecta lintea corroſerit. Auguſti initio iſchuria bidui accidit citra ullam anxietatem, abdominisque tumorem, obſervatumque eſt ſæpius per diem lotium purum ſine ſtercore ex ano effluere: unde ulcus veſicæ in rectum hians adeſſe liquebat. Toto hoc menſe æger usque ad 18am ſanguebat admodum, at mentis plane compos, nec doloribus magnopere obnoxius, niſi quod per aliquot dies vehemens œſophagi ſpaſmus denuo adfuerit, quo licet ſublato ſtomachus tamen fere nihil ſuſcipiebat. Die 18. graviſſima colica ingruit, ſub qua fatiscentibus ſenſibus æger inopinate exſpiravit. Huic non multum abſimilem hiſtoriam dat F. HOFFMANNUS (*a*): vir 60 annorum, olim ſucculentus, cholericus, antehac hæmorrhoidum fluxui obnoxius, ſanguinem ſæpius cum ſtercore egerebat cum inſigni dolorum dorſi, & abdominis levamine, imo & podagræ crebrioris, ac per 8 hebdomades quandoque infeſtantis mitigatione, ut vix per unam, alteramve hebdomadam affixerit; nunc vero ex biennali teneſmo aſſiduo tabeſcebat. Ante aliquot enim tempus alvum ſemper

---

(*a*) Conſult.. & reſp. med. Cent. 2, Caſu 23.

per fluidiorem fortiori nisu positurus post sonitum in dorso perceptum largam sanguinis vim cum fecibus excrevit, & abhinc tenesmus evasit frequentior, inanis sæpe, nec spissius stercus nisi a durioribus, aut frixis cibis eliciens, sed plerumque mucus duntaxat albo ovi similis, interdum sanguine tinctus, primum prodibat, sequente dein fece duriore, & ovillæ simili. Lienteria nunquam observata. Quandoque solus sanguis coactus crassitie pennarum anserinarum insignem in longitudinem protensus absque scybalis prodibat; nonnunquam purulentum etiam egerebat, quod præsertim sub enematum injectione cannulæ adhærebat. Tenesmus sæpe tam vehemens fuit, ut fex prius; quam æger cloacam attigerit, exiret. Extra desidendi tempora porro regio podicis assiduo plorabat humorem instar loturæ carnium, a quo indusia, ubi siccabantur, ita eliquata erant, ut facillime dilacerarentur. Ante aliquot hebdomades in confiniis ani lividum tuberculum apparuit, sensimque sponte iterum evanuit. Aeger cetera bene appetens, ac digerens vini loco cerevisiam cum euphoria bibebat. Primus ergo medicus bis in hebdomade præbebat ☿em ex rhei ℈j, saphyri ppt. ℈ß, ol. anisi gtt. j, iisdemque diebus m., & v. imperavit enemata ex rad. alth., fabar., herba, & flor. verbasci, hyperici, melle ros., & oleo hyperici. Data porro essentia stomachico-theriacalis cum liquore ♂li; anima rhei ☿iata, ☿is cachecticus WEDEL., vel elect. ex ☿o

 ca-

caſcar., pimpin. alb., ♁io ♂li LUDOV., electuario bacc. lauri, ▽a cinnam. cydoniata, ac tantillo theriacæ ANDROM. paratum veſperi ſumendum; & denique tragea ſtomachica poſt epulas. Inde teneſmus mitior. Cum vero ſolennis Væ So in pede bis quotannis facta nunc a biennio neglecta fuerit, ſanguis e brachio lævo ad ℥jv demtus ater, ſpiſſus, impetuoſe proſiliens, ubi refrixit, corii inſtar tenaciſſimus evaſit: nihilo tamen minus dejectiones non plus cruentæ abhinc factæ, recrudescente potius podagra, quam brevi poſt ſponte abeuntem vehementes lateris lævi puncturæ exceperunt cum diſpnoea fere ad ſuffocationem; quæ tamen crebris pectoris frictionibus calido linteo factis brevi remittentia uberi alvi profluvio ſolvebantur cum euphoria, ſomno facto quietiore, teneſmoque imminuto. Aſſidui tamen borborygmi ſine flatuum eliſione, urinaque citrina, in ſuperficie ſpumoſa, in medio nubeculoſa, ſine ſedimento, priorum uſum ſuaſere; niſi quod pro ♁e ſtomachico data eſſentia pimpin. alb. cum eſſentia ambræ, & guttis aliquot balſ. 🜍ris aniſati remixta guttatim ſine vehiculo ſumenda, & pro potu theato ſummitates millefolii præſcriptæ. Tandem conſultus Auctor reſpondit, adeſſe ulcus recti, & imi coli, quod neglecta idonea medela calloſum etiam evaſerat, nec ſpem ſupereſſe ſanationis. Terreri ſe exemplo Judæi omnia eadem cum iſchiade inſuper paſſi in 8 annos, qui demum atrophia, anorexia, colicisque ſupervenientibus tandem

hectica

hectica consumtus perierit. Idcirco palliativa duntaxat remedia præscripsit; a queis etsi æger emendari primum videretur; tamen brevi post recrudescente malo post 5 menses hecticus extenuato superiori corpore, pedibus autem oedematosis factis, vivere desiit. Neque alium exitum nactus fuisse videtur B. GOCKELII (*a*) vir consularis 63 annorum, raræ texturæ, & a teneris ad sudorem pronus, alvique obstructioni usque adeo obnoxius, ut magno semper nisu, & ano protuberante illi fuerit exoneranda: unde tandem tubercula in ano enata avellanas magna. Post hæc ante 13 vel 14 annos ab hyemali frigore, compotationibus, arduisque negotiis hæmorrhoides magno cum dolore, & ardore erumpentibus multis circa anum pustulis fluere cœperunt, & fluxum quidem deinceps quoque continuarunt, at inordinate, neque statis temporibus, neque eadem copia, & alias sanguinem, alias materiam albam lentam, viscidamque eructantes cum hoc incommodo, ut interdiu ab assidua hujus materiæ egestione corpus, vestesque maderent. Noctu omnia cessarunt, vesiculæ disparuere, somnusque blandus obrepsit. Ante annum abhinc ex gravissimo inter ardua, & omnem quietem prohibentia negotia terrore, metuque fluxus hæmo-

---

(*a*) Gallicin. med. pract. Cent. 1. Consil. 83, p. 253.

morrhoidum plane ſubſtitit, ſecutaque contumaciſſima alvi obſtructio cum tam diro teneſmo, ut jam noctu quoque 10. 15. 18. vicibus deſidere cogeretur æger, raroque præter paucas urinæ ſtillantis guttas ſtercora fabam, vel avellanam æquantia extruderet. Sub hoc conatu puſtulæ prius dictæ partim turgidæ, duræque; partim flaccidæ, & inanes magno cum ardore prominebant. Cumque mane omnia eſſent leviora, a prandio, ac cœna dolores ſtato tempore, ac velut ad horam ingraveſcebant; excrementa non amplius debito modo egerebantur, magnis circa umbilicum, lumbos, & os ſacrum doloribus obtinentibus. Variis, multisque adverſus hæc præſidiis incaſſum adhibitis tandem per 4 hebdomadas uſus eſt acidulis Jebenhuſanis, quarum horis antemeridianis ℔iij hauriebat; a meridie vero balneo ▽æ communis inſidebat: unde factum, ut hæmorrhoides rurſum aliquatenus fluerent; ſed nil niſi per intervalla materiam rubram, incarnatam, albam, corruptam inſtar ſucci cydoniorum, interdum colorem citrei mali referentem, mox vero cineream, lentam, ac viscidam in forma gelatinæ cum ineffabili conatu, teneſmo, dolore, & ardore, atque inſigni ani, hæmorrhoidumque protuberantia excernebant, quæ omnia ob locum a puſtulis arctatum excludi non poterant, ideoque etiam flatus plurimi interclufi, ac varices venarum intus percipiebantur. Cumque prius æger uno præ altero die lecto relicto negotia privata, ac publica procu-

curare potuerit; nunc jam ob aſſiduum teneſmum, tumultus flatuum, dolorem, ardoremque vix ferendum, atrophiam, debilitatemque id non amplius fuit integrum. Eventus tandem quis fuerit, haud conſtat. Felicior his fuit, cujus I. G. ZINN (*a*) meminit, vir ad 50 annos natus, qui præter aſthma ſpasmodicum albas etiam hæmorrhoides paſſus egeſſit aliquando ano membranam mollem, craſſam, ſpongioſam, excavatam, magnitudine fere $\frac{1}{2}$ manus, fœtidiſſimam. Abhinc plures in dies copioſum pus evehebatur. Dum multo inde poſt tempore adverſus aſthma pauca grana ſquillæ ſumſiſſet; ocyus dolorem in recto ſenſit. Nunc optime valet.

§. XVII.

3. *Tabes*, quam vel ulceroſus inteſtini recti ſtatus poſt ſe trahit, ut paulo ante (*b*) allata docent exempla, vel anomalia ipſa mucoſa hæmorrhoidalis inducit. Hujus poſterioris exemplum præbet W. T. RAVIUS (*c*), quod etſi ob numeroſas, & ſeſquipedales formulas nauſeam lectori ſit moturum; omittendum tamen non judicavi. Clericus 51 annorum,

(*a*) Commentar. Götting. T. 2. p. 364. Obſ. 4.

(*b*) Vide §. 16.

(*c*) Act. nat. cur. Vol. 9. Obſ. 3.

rum, ſanguineo-cholericus, a multis annis hypochondriacus, & hæmorrhoides paſſus anomalas jam decolores, jam albas cum alvo obſtructa, flatibus, & cardialgia, a qua aliquatenus liberatus ineunte Anno 1747. denuo eandem nactus eſt cum ardore ſtomachi, phlogoſibus, anorexia, ſiti, lumborum dolore, ac pertinaci alvi obſtructione. Primus medicus tunc febrem epidemicam eſſe ratus, temperantia, bezoardica fixa, & eſſentiam alexipharmacam præbuit; verum ab hac ſtomachi ardor usque adeo increvit, ut ille nil cibi ferret; potus quoque mox ſtomachum, pectusque gravabat, & ructus cauſabat: unde ſudore colliquativo enato corpus tabeſcebat, ægerque conſumtis per vigilias pertinaces viribus, pulſu debili, celerrimoque effecto, perpetuo clinicus manſit, per 3 continuas hebdomadas alvo nec feces, nec flatus exonerans, lotio quoque flammeo parciſſime excreto. Stomacho primum ita proſpectum:

℞. ▽a chamom ℥ij.
— millefol.
— menth. āā ℥jß.
— perlar ℨß.
Cort. Peruv.
⦶ purif.
Rhei oz. āā ʒß.
C. C. ſine igne ppt.
Matr. perlar
Cinnab. nat.
Gumm. Arab.

Gum-

Gumm. tragac. āā ℈j.
Mucil. ſem. cyd. cum ▽a rub. id: parat.
Succi citri rec.
Syr. pap. rhœad āā ℥ß. M.

S. omni bihorio cochl. j. Ad leniendum ſtomachi ardorem ſomnumque conciliandum:

℞. M. P. balſam. ʒß.
Extract. cort. caſcar. ℈ß.
—— chamom. gr. xij.
Ther. cœleſt. gr. viij.
Balſ. Peruv. q. ſ. F. pil. gr. ij. Nro. 30.

Inauratæ. S. quavis nocte Nro. 10. Potui datum decoctum hordei mundati cum paſſulis minoribus in ſero lactis caprillo, addito colaturæ ½ pomo citri in taleolos ſecto, & ſacchari tantillo. In cibum data jura tantum carnium, & hordeacea cum uno, alterove cochleari gelatinæ C. C. cum ſucco citri & conſ. alkerm. paratæ intus ſoluto. Cum autem vel a tepidis alimentis ſtomachi ardor, & pondus, & anxietates ſequerentur; frigide omnia ſumta optime tulit, & cum virium refectione. Alvum ſolvit enema ex jure carnis cum ſemine aniſi, & carvi decoctæ & oleo olivarum, vitell. ov, ac ſale, quo multæ ſiccæ, ac nigricantes ſordes cum flatibus eductæ. Dolorem lumborum hirudines ano admotæ ſuſtulere. Poſtmodo alvum quotidie aperuit ſequens electuarium:

℞. Extract. pulp. passul. minor.
Conserv. flor. tunic. āā ℥ß.
☿ stom. BIRKM. sine saccharo ℈jv.
☿ Cort. Peruv. Selectiss. ʒiij.
— rhei. or. ʒij.
Spec. diacret. MYNS.
Gummi tragac.
— — Arab.
Nitri purif.
Lap. 69. ppt. āā ʒß.
Corall. r. ppt. ℈j.
Flav. cort. ☉. ℥ß.
Balf. Peruv. ℈j.
Syr. rof. folut ℥jv. M.

S. quater de die ad 2 cusp. cultri. Urgentibus tamen acriter stomachi ardore, æstu interno, phlogosibus crebris, lotiique paucitate, data emulsio:

℞. Sem. 4 frig. maj. āā ℈ij.
— cannab.
— papav.
— violar. āā ʒj.
▽æ rub. idæi.
— chamom.
— millefol.
— menthæ āā ℥jß. F. l. a Emulsio colaturæ adde
Nitri purif. ℈ij.
Gummi tragac.
—— Arab. āā ℈j.

▽æ

▽æ perlar.
Syr. dialth: FERNEL. āā ʒvj. M.

S. ſæpius cochleatim. Unde mala dicta minuebantur. Cum autem obſervatum eſſet, jura alvo reddi plane indigeſta cum torminibus; ad tonum primarum viarum reparandum datum elixir.

℞. Extr. calam. arom. ʒj.
— caſcar. aquoſi. ℈ij.
— gent. rubr.
— millefol. āā ʒß.
Nitri purif. ℈j. Solv. in
▽æ menthæ ℥jß. M.

S. bis per diem gtt. 60. Sublata ſic lienteria æger cœpit refici. Priori autem electuario, quod paulo valentius alvum cieret, ſuffectum aliud:

℞. Conſerv. menthæ ℥ß.
☿ cort. Peruv.
— — caſcarill.
— rhei or. āā ʒij.
— rad. zedoar.
⦶ri purif. āā ℈iv.
Gummi tragac.
—— Arab.
Lap. 69. ppt. āā ℈ij.
Flav. cort. ☉. ℥ß.
Balſ. Peruv. ʒß.
Syr. flor. tunic. ℥jv. M. S. ut prius.

Verum

Verum alvus per aliquot dies ægrius ſucceſſit, retentisque flatibus phlogoſes, & punc̃turæ dextri hypochondrii natæ; ut quamvis redeunte appetitu æger jam ova ſorbilia, aliaque eupepta ferret; vires tamen vix creſcerent. Interpoſitus ergo electuario ǯ viſceralis:

℞. ǯ ſtomach. BIRKM. ſine ſacch.
— cort. Peruv āā ʒj.
— rhei or. ʒiij.
— cornachini ʒß.
⦶ purif. ℈jv.
Cryſtall. ♀ri ℈ij.
Lap. 69. ppt.
Matr. perlar. ppt. āā ʒß.
Macis ℈j.
Sem. aniſi ʒi.
Flav. cort. ☉ ʒij.
Ol. de cedro gtt. vj. M. F. ǯ.

Ab eo alvus rite ſoluta, flatus, & phlogoſes abiere, ſtomacho bene fuit, ut pauxillum vini Neccarini nec ardorem, nec æſtum crearit, ægerque viribus & carnibus reſumtis intra 4 hebdomades plane convaluerit, ſemeſtrique toto ſanus fuerit. Poſtea gravi ira, mærore, & ingluvie acetariorum denuo indigeſtio, ſtomachi pondus, ſiccitas oris, flatus, tormina, cum alvi ſegnitie revocata. Idcirco præſcriptum

℞.

℞. ♁ antiſpasm. ʒj.
— rhei or. ℈j.
Magnes. alb. ℈ß.
♁ cort. Peruv. ʒß. M.

S. a meridie, & veſperi ex ▽a cinnam. ſine vino. Sed absque levamine: nam poſt quævis aſſumta phlogoſes cum intercurrentibus horroribus, pondus, & ardor ſtomachi, pulſus celeres, ſitis, & anorexia aderant: cumque & pertinaciter alvus eſſet clauſa, datum

℞. Paſſular. minor. exacin.
Fol. S. S. S. āā ℥ß.
Fl. chamom. vulg. p. j.
Cort. caſcarill.
Crem. ♀ri āā ℈ii.
Sem. aniſ. ʒß. Coqu. in
▽æ ſ. q. ad reman. ℥jv. Solve
Mannæ Calabr. ʒvj.
⊕ purif. ʒß. Adde
▽æ cinnam. ſ. v. ʒij.
Syr. roſ. ſolut. ℥β. M. D.

Sexies inde blande, affatimque purgato data MRa:

℞. ▽æ menthæ ℥ij.
— chamom.
— millefol. āā ℥jß.
— cinnam. ſ. v. ℥ß.
♁ antiſpaſm. ℈jv.
— cort. caſcar.

♁ conch. ppt.
— rhei. or. āā ℈ij.
⊖ absinth. ʒß.
Liqu. anod. min. HOFFM.
Essent. carmin. WEDEL āā ʒj.
Succ. citr. rec. ℥iij.
Syr. cort ⊙ ℥ß. M.

Sub pastu simul sumsit elixir balsam. gtt. 60. in haustu apozematis diætetici ex hord., passul. min., succo citri, & rub. id. Sic flatus facile prodibant; sed alvus semper sicca, & plerumque biduo clausa ejectis cum tenesmo, lumborumque dolore scybalis mansit. Molimina ergo hæmorrhoidum esse ratus Auctor enema domesticum imperat, quo provocatæ hæmorrhoides torminosæ, decolores, spumosæ: queis cum aliquot dies indulsisset, apposuit apozema:

℞. Rad. polypod. querni.
— sarsap.
— Chinæ
— cichor. āā ℥ß.
Rasur. lign. sassafr.
— — Guajac. āā ℥j.
Anisi stell.
⊖ ♀ri āā ʒij. M. D. ℥ß. decoquenda

in ℔jv ▽æ, addendo colaturæ ob ardorem stomachi, ac febriculam lentam sequentem julepum:

℞.

℞. Mucil. tragac. c. ▽a ſimpl. factæ ℥ß.
Syr. acetoſit. citri
Rub. idæi
Papav. rh.
Berberum
Cinnam. āā ℥j.
⊕. purif. ℨij. M.

Sic omnia ſymptomata ſenſim abiere, ſuperſtite tantum ſtomacho debili, alvoque ſegni; quæ tamen etiam ſuſtulit electuarium:

℞. Pulp. tamarind. extr. ℥ß.
Conſerv. cochlear. ℥vj.
ʒ. fol. S. S. S.
— rad. jalapp. āā ℨjß.
— lign. Saſſafr.
Flaved. cort. ⊙ āā ℨj.
Caryophyll. arom. ℈j.
♌ ⊕. dulc. ℨj.
Syr. rub. idæi q. ſ. M.

Ita æger ſanatus facta deinceps conſueta Væ Se autumnali in pede jam per 7 menſes munia ſua vegetus obibat. Non ita felices fuere alii. N. W. MÜLLER (*a*) narrat Portenſem quemdam Rectorem ex hæmorrhoidibus albis habitualibus tandem contabuiſſe. Nec meliorem

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 25. A. 1723. Septembr. cl, 4. art. 9. p. 320. ſqq.

rem videtur exitum habuisse ejusdem vir 50 annorum, olim sub diæta magis vinosa plethoricus, nunquam hæmorrhoidum fluxum passus, sed qui ante 20 annos semel duntaxat rubelli quid tempore vehementis diarrhœæ sub nephritica colica excrevit, cui cum multi sabuli, & albi muci excretione, ac dysuria obnoxius erat fere omni 4a vel 6a hebdomade cum vehementi vomitu. Sub hac mense Octobri 1719 iterum vehementissima post enema corripitur gravi ani dolore cum dolorifica muci albi excretione. Horum continua abhinc duratio suspicionem movit latentis ani fistulæ; sed ano rite inspecto nil detegi potuit, nec præter mucum pus unquam prodire observatum. Mucosæ autem hæmorrhoides per 4 deinde annos constanter fluxere, sæpe cum excrementis, sæpe etiam sine his, ita ut sæpe circa mediam noctem earum excretio acciderit, præsertim a cerevisia uberius vesperi pota; secus vero ordinate quovis mane, ubi æger surrexit, vel una cum fece, vel isthac paulo post consecuta fluxere, tum versus horam decimam iterum sine fecibus, at cum gravi meteorismo; sæpissime vero a prandio post cerevisiæ potum: dein ab hora secunda vel 3tia stercora omni fere hora, usque dum lectum peteret, egerebat. Quandoque, & vel maxime si curru vehebatur, mucum rubellum excernebat; ante 8to hebdomadas semel sincerus etiam sanguis profluxit. Tempore colicæ cum vomitu, quod æger nec cibos, nec cerevisiam per 2 vel 3 dies

dies assumserit; hæmorrhoides albæ parcius fluxere. Ex quo autem æger fere 4ta quaque hebdomade purgans sumsit, a sesquianno colica non rediit, at ani dolor ad finem ossis sacri mansit assiduus, turgente materia mucosa gravior; eadem egesta levior. Unde corpus extenuabatur, vires cum roseo olim colore, atque appetentia abibant; & licet ab usu thermarum Teplicensium post copiosum sabulum, ac mucum excretum & vires, & carnes aliquatenus redierint; deinceps utrumque denuo minuebatur, stomacho sensim ita imbecillo effecto, ut ne levissimos quidem cibos præ nausea tulerit. Frustra variis usurpatis morbus ad 15. Septembr. 1723. magis irradicatus nonnisi exitium pollicebatur.

§. XVIII.

4. *Hydrops*, *Tympanites*. Utrumque in eodem ægro vidit I. G. ERNESTI (*a*) 42 annos nato, cholerico-sanguineo, in iram ad convulsiones usque, quas inde aliquoties nactus est, prono, & anomaliis hæmorrhoidum, quæ partim dolores femoris, pedumque; partim hæmorrhoides cœcas causabant, obnoxio, qui post superatam Augusto mense volaticam bullatam, & hæmorrhoidalia quædam

(*a*) Annal. Vratisl. Tent. 21. A. 1722. Augusti. cl. 2. art 3. §. 3. p. 146.

dam incommoda, neglectamque circa æquinoctium autumnale pedis phlebotomiam (*a*) ex vehementi rurſus ira novos motus hæmorrhoidales cum pertinaci alvi obſtructione ſibi accivit, nec tribus enematis emollientibus, nec rheo cum nitro ſumto cum aliqua conſtantia reſeranda. Hæmorrhoides cœcæ avellanas magnæ intenſiſſime ardebant, queis cum ſine prævia Væ Se oleum ovorum eſſet admotum, evanuere ſequente ocyus hæmoptoë (quod & olim ab eodem remedio accidit), hacque uſu temperantium antiſpasmodicorum, nitroſorum, pediluviis, & infuſo ex herb. urticæ min., & millefol. ſopita rurſus in interno ani margine repullularunt ſummo cum tenesmo, diſſuria, parca ſubinde muci, ſpermati ranarum ſimilis, excretione, colicisque, & cardialgicis ad aſſumta doloribus. Ad hoſce ſopiendos dum proprio conſilio ſacculos avenæ abdomini admovet, atque MRa carminante ex calidis conflata utitur, intra 8 dies abdomen tympani inſtar alte inflabatur cum continenti alvi obſtructione, niſi quod ſub vix ferendo tenesmo, doloribusque imi ventris mucus tantum exprimeretur. Accitus Auctor cum enemata mere oleoſa mox iterum refluere ſine mitigatione tenesmi, ac fecibus videret, remittente tenesmo vulgaria injici juſſit cum ſolu-

---

(*a*) Ibid. Tent. 22. Octobr. cl. 2. art. 3. §. 3. p. 385.

ſoluta in iis ℨß M. P. balſ., queis ſtercora dura ovillis ſimilia educta. Ad mitigandum tenesmum poſt ſacculos incaſſum ano admotos ſpongiola oleo verbasci intincta, anoque intruſa illum lenivit, mucique excretionem facilitavit, & abdomen quoque ſubſidere hæmorrhoidesque egredi cœpere, quarum una avellanam æquavit. Admotis illico hirudinibus, & educto fere ad ℔ß ſanguine venter magis ſudſidebat; ſed exiguo cuncta fructu. Nam prorſus licet egreſſis hæmorrhoidibus alvus tamen ſæpius enemate movenda fuit, nec niſi diu poſt varices ani, fruſta applicatis vel diſcutientibus, vel fluxum provocantibus, evanuere, & venter jam minui, jam rurſus inflari cernebatur. Stomachus tantopere inflatus fuit, ut æger nec bolum carnis citra ſummam anxietatem, ac preſſionem ejusdem aſſumere quiret; qualia etiam plerumque indigeſta alvo reddebantur; ægerque ſolis carnium juribus nutriendus erat. Nec remedia etiam alia profuere, quam ♁is ex rad. ari, lap. 69, ♀o ⊕, ⊕ puro, ♁ diaph; & cinnab.; quippe quem lenis quandoque ſudor ſequeretur. Neque hæmorrhoidales motus compesci poterant uſu eſſent. millefolii, gent. rubræ, chacarillæ, ac TRa ♁ii ♀ſati inter ſe mixtis, cui interdum ſubjuncta TRa ♂. LUDOV. cum arcano ♀ri combinata, perinde necquicquam. Neque etiam arcano ♀ri cum TRa ♁ii ♀ſata vel lotium, vel alvus promota; ſed ſemper ante dicto enemate opus erat, quo & urina, & copioſus alvi mucus

proliciebatur. Neque solennia ad ischuriam cataplasmata hic in facilitando lotio fuerunt efficacia. Pedis phlebotomiam nunc oedema pedum interea natum, & crescens prohibuit. Pridie obitus noctu magnum frigus ægrum corripuit, cui diluculo non minor successit æstus, & faciem, pedesque, præsertim lævum tumor inflammatorius invasit; postridie mors supervenit. In cadavere venter fuit aqua plenus, flatibus intestina, & stomachus; vena portæ sanguine turgebat: hepar magnum erat, durumque. Circa recti finem vesiculæ numerosæ visebantur, magnitudine stratagematum majorum, sero, ac sanguine refertæ.

§. XIX.

III. SUPPRESSIO *fluxus* hujus eadem post se mala trahit, quæ ab intercepto fluxu rubro oriri superius (a) dictum est. Idem etiam valet de improvide sublatis serpiginosis illis variculis, quæ ad cœcas hæmorrhoides albas referuntur (*b*). De his ita STAHLIUS (*c*): „Si . . . postquam diutius jam sederunt, aut „frequentius repullularunt, & utrovis modo „sæpius, & plus perfricatæ manarunt, & ali- „quid

(*a*) Vide Tom. I. §. 55.

(*b*) Vide §. 2. II. A. Nro. 2.

(*c*) Diss. cit. l. c. p. 11.

„quid effuderunt, si tunc consolidentur,
„exemplis ipsis vidimus personas tales mox
„in gravissimas, & quasi perpetuas molestias
„ischiaticas, arthriticas, gonagricas, poda-
„gricas devolutas fuisse.“ Insigne hujus rei exemplum alibi (*a*) profert: vir 40 fere annorum e sanguineo ad melancholicum vergens adeo vehementem sensit circa anum pruritum, ut a scalptu non prius desierit; quam cruentum prolicuisset humorem. Brevi inde post succrevere tubercula verrucosa perpetuo ichorem acrem, nunc plus, nunc minus, exsudantia, habitualique demum ardore, ac pruritu permolesta. Si curru, vel equo vectus incaluit, aut calido tempore usque ad sudorem ambulavit, aut subinde alvum fluxam, acrem deposuit; verrucæ illæ velut prunæ candentes urebant. Litu autem ex oleo hyperici, thure, ac mastiche adhibito ulcera hæc brevi omnino sanata sunt; sed paulo post acerbissimi sequebantur dolores artuum, coxarum, ac tandem pedis, oborta ab animi motibus febre acuta nullatenus leniendi; imo a sumto versus diem criticum cathartico, dum æger ter, vel quater diu, laborioseque desideret, eodem vespere dextrum pedem tumor invasit, hodiedum prorsus non abigendus; verum

---

(*a*) Colleg. casual. magn. Cas. 16. p. 191. 201. sq.

verum post aliquam subinde subsidentiam gravius iterum tumescere solitus cum rubore & ardore; quæ quandoque ½ anno durabant. Nemine autem de hæmorrhoidibus suspicante STAHLIUS consultus rescivit percontando, jam etiam alias id genus ulcuscula adfuisse, quæ uxor sanarit non sine læsæ sanitatis sequela. Addit æger, se in Gallia degentem sæpius hirudinibus usum; abhinc vero multis annis non amplius. Suasu ergo Auctoris æger aliquoties, at inordinate, Væ Sem instituit cum aliqua, licet non perfecta, euphoria, nam pes mansit durus, scaber, ruberque, initio ulcerosus, vel potius ichore madescens. Si ergo levia id genus ulcuscula consanata graves post se corporis trahunt noxas; graviores etiam consequi a suppressione mucosi fluxus, utpote uberioris, quid mirum? Sic M. ALBERTII (*a*) „vir sanguineo - melancho„licus 30 aliquot annorum, rheumaticos do„lores ante aliquot annos in pede perpessus, „corripitur æquinoctio autumnali diarrhœa „torminosa, dejectionibus mucidis (mucosis), „sanguineis striis tinctis, tensione hypochon„driorum, dolore crucis, & tenesmo comite. „Hanc medicus . . . pro dysenteria habens „sistere in, & externis stypticis . . . cona„tur;

(*a*) Diss. de fluxus hæmorrhoidalis provocatione thes. 18. p. 11.

„tur; ſtriæ ſanguineæ diſparent mucidorum „dejectione perſeverante: hinc dyſenteriam „albam accuſat, ſub uſu ſtypticorum dejectio „decreſcit, tenſione hypochondriorum, do„loribus dorſi, & teneſmo ingravescentibus, „accedente una anguſtia pectoris, & momen„taneæ ſtrangulationis metu: hæc ſæpius ſe„cuta dejectione moderatiora fiunt. Aguntur „talia per hebdomadas. Accedens alter me„dicus ex relatis molimina hæmorrhoidalia „ſubeſſe concludit, eaque cum per aliquot „ſeptimanas jam duraſſent; temperantibus, „anodynis, & ſpecificis ſopire, & in tran„quillum ſtatum deducere tentabat: ab eorum „vero uſu & diarrhœa, & tormina cum ſupra „dictis incommodis crevere, poſt meridiem „invalescente horrore, extremorum frigore, „& levi æſtu, tumore pedum, qui mane eva„neſcere ſuevit. Dantur tandem ſanguinem, „& vias ad exitum diſponentia, & hæmo„rrhoidalem fluxum provocantia, ſub quo„rum uſu & perrupit, & ſenſim una cum di„arrhœa, & ceteris incommodis diſparuit, „ægro ad priſtinum ſanitatis vigorem redeun„te." Notari vero hic meretur, fluxum hæmorrhoidum albarum facile ſupprimi ab ingruentibus aliis morbis mucoſo-ſcroſis, inprimis epidemice graſſantibus. Ita S. SELIGMANN (*a*) meminit ſenis „qui cum jam per multos

---

(*a*) Diſſ. cit. Sect. 3. §. 14. p. 30.

„multos annos hæmorrhoidibus ani . . . mu„cosis laborasset, in epidemia . . . anni „(1782) catarrhali, quæ per totam fere Europam sæviit, ita ab hoc morbo præ aliis . . . „civibus fuit correptus, ut vix evaserit, ne„que minus morbo superato diu adhuc pitui„tam albam exspuit; ex ano vero durante hac „excretione nullus prodiit mucus; cessante „vero hæmorrhoides albæ redierunt.“

§. XX.

IV. SOLVUNTUR *hæmorrhoides albæ* superveniente fluxu sanguinis, velut in paulo ante memorato ALBERTII (*a*) viro, BEHRII (*b*) Principe, aliisque. Interea tamen id haud alioquin nisi recenti adhuc in morbo, nondum habitum nacto, sperare licet; neutiquam vero in habituali effecto: nam teste ALBERTIO (*c*) „quo constantius hic albicans fluxus re„petit, & continuat; eo minor spes conci„pienda, & promittenda erit de facile ex„spectando, & inducendo legitimo hæmo„rrhoi-

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Vide §. 4. Nro. 4.

(*c*) Diss. de hæmorrhoidib. albis §. 12. p. 362.

„rrhoidum fluxu" interno, ad quem albus pertinet. Quod vero ſerpiginoſas illas hæmorrhoides attinet, quæ ad cœcas externas referuntur, hæ ne ab initio quidem, nedum ubi habituales jam ſunt „ita facile in efficacem, & ſinceram eruptionem hæmorrhoidalem abeunt: quid quod facilius magis a genuino fluxu diſcedunt, quam in eundem redeunt"? (*a*).

HISTO-

(*a*) Ibidem §. 13. p. 263.

HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM ALBARUM.

PARS II. THERAPEUTICA

CAPUT I.

SUMMA MEDENDI CAPITA.

§. XXI.

I. INDICANS eſt hæmorrhois alba.

II. INDICATIO eſt multiplex, nempe, ut

A. Fluxus, ſi eſt

1. Inſalubris, inutilisve; propulſetur, prævertatur.

2. Salubris, & quidem

a) Re-

a. Recens in rubrum mutetur

α. Vasis transmissuris laxatis

β. Sanguinis

1) Copia nimia imminuta,

2) Lentore p. n. emendato.

3) Motu ad vasa idonea determinato

b) Habitualis in rubrum non mutabilis, si

α. Placidus est, non turbetur, nec intercipiatur; sin

β. Difficilis est; facilitetur

1) Spasmis sopitis

2) Vasis laxatis

3) Humore fluxili reddito.

γ. Suppressus vero vel

1) Revocetur, vel

2) Compensetur

B. Symptomata mitigentur, sopiantur.

C. Ef-

C. Effectus huic morbo ſolennes

1. Futuri prævertantur,

1. Præſentes tollantur

III. INDICATA ſunt perinde multiplicia, ſequentibus capitibus ex ordine occurſura.

IV. CONTRAINDICATA ſunt duo præſertim:

1. *Acria* nervos laceſſentia, &

2. Calida ſanguinem commoventia.

CAPUT II.

PHARMACA.

§. XXII.

I. ATTENUANTIA *diluentia*, *&* *incidentia*, aquoſa, ſaponacea, ſalina mucoſis in hæmorrhoidibus maximi ſunt uſus, quod pituitoſum ſanguinis lentorem, ac mucum ipſum fluxiliorem reddant, ſtaſes tollant, & æquabilem, liberamque reſtituant circulationem; qua obtenta facilior mucoſorum e corpore evectio inſtitui, & ruber abhinc fluxus provocari poteſt. Satis autem de his jam alibi actum

actum est (*a*): hic tantum duæ adhuc supersunt cautelæ memorandæ, videlicet

1. *Tonica* simul ut sint attenuantia dicta, ut sunt amaræ plantæ, millefolium, taraxacum, centaurium, trifolium fibrinum &c. & parata præsertim inde extracta; cavendo solum, monente M. ALBERTI (*b*), acriora antiscorbutica.

2. *Flores Sulphuris* etsi in superioribus (*c*) adversus stases hæmorrhoidales viderimus „magnopere commendari; tamen SELIG-„MANNUS (*d*) iis prophylactice tantum, non „therapeutice in albis hæmorrhoidibus mu-„cosis utendum esse censet: ex pharmacis „(inquit ille) maxime ex usu sunt flores 🜍, „jam a WERLHOFIO ex eadem ratione satis „superque laudati“ prophylactice nempe ad hæmorrhoides albas avertendas; at iis jam vigentibus „ab usu florum 🜍 disuadeo, li-„cet proficui sint in hæmorrhoidibus rubris; „in mucosis tamen, ubi jam adest pituita „crassa, nocent. Argumentum si quæris, „nitor eodem, quo usus eorundem in pe-„ctoris

---

(*a*) Vide Tom. II. §. 66. sqq.

(*b*) Diss. de hæmorrhoidib. alb. §. 20. p. 270.

(*c*) Vide Tom. II. §. 70.

(*d*) L. c. Sect. 2. §. 10. p. 12.

„ctoris affectionibus serosis restringitur, „quantum enim emolumenti in catarrho te- „nui præstant; tantum ex eorum usu oritur „damni, ubi materia jam viscida, & gluti- „nosa evasit. Ratio hujus rei hæc mihi vi- „detur: flores ♀ velociorem promovent „sanguinis cursum; quod vero ob majorem „humorum lentorem fieri nequit absque „majori impetu versus locum obstructum, „ubi quasi fons, & sedes morbi, quo mor- „bus dein novum capit incrementum.“ Sed eadem hæc ratio etiam stare adversus ♀ deberet non minus in prophylaxi hæmorrhoidum albarum, qua therapia rubrarum cœcarum, ac moliminum hæmorrhoidalium; si enim ♀ humores inspissando agit; aget & in hisce dictis casibus evidenti nocumento, quod tamen experientia manifeste refellit, ostenditque egregiam in ♀ virtutem aperientem, & attenuantem. Eliquato autem ita muco facilior succedet deinceps ejus evacuatio, vasorumque turgentium depletio: quapropter subjungenda veniunt.

§. XXIII.

II. CATHARTICA *eccoprotica*, non acria, nec larga dosi; sed rheum, & salia præ aliis in parvis præbiis: hinc STORCHIO solennis fuit TRa rhei cum dimidio TRæ ♀ri m., & v. ad gtt. 30, vel plures interdum exhibita.

Unde

Unde & M. ALBERTI (*a*) poſt Væ Sem ſi illa opus fuerit „tam præſervatorie; (inquit) „quam curatorie conveniunt moderatæ leni- „tiones, & laxationes alvi cum rhabarbaro „ſive in ſubſtantia, ſive in infuſo exhiben- „dæ, uti tale vinum medicatum parari po- „teſt ex ſpeciebus reſolventibus, & abſter- „gentibus, cui exiguum de fibris hellebori „nigri commisceri poteſt, cavendo ne helle- „borum paulo liberalius adhibeamus, ut nil „de illius exceſſivo uſu dicamus, poſtulat „enim helleborus cautum artificem: cujus „loco polypodium cum tali infuſo combina- „ri poteſt, evitando alia, quæ flatulentiam „provocare poſſunt.“ Contra vero (*b*) „ab- „ſint immoderatæ alvi provocationes & po- „ſitivæ purgationes; quæ irregulares motus „hæmorrhoidales eo magis exaſperant, & „in majorem irregularitatem conjiciunt.“ Omnibus autem eccoproticis aliis hic SELIG-MANN (*c*) præferendum vult *Solanum hypochondriacum* KLEINII ex ♃ro ♃ſato, rheo, corticibus ☉, & aliquot guttis olei cajeput conflatum; quippe quod leniter roborando, ſtaſes reſolvendo, alvum laxam tenendo, ſpasmosque ſopiendo omnem fere indicationem expleat.

§.

(*a*) L. c. §. 21. p. 271.

(*b*) Ibidem §. 20. p. 270.

(*c*) L. c.

§. XXIV.

III. ALOE *cum catharticis* juncta tunc vel maxime convenit, quando morbus recens vel dissipandus, vel minuendus est, vel fluxum in rubrum commutandus; alias haud perinde. Utiles proinde hunc in finem sunt pilulæ BECHERI, RUFI, aut celebratissimæ balsamicæ STAHLII, de quibus M. ALBERTI (*a*) „laudamus (ait) præ aliis remediis pilu-„las balsamicas STAHL., quæ motus hæmo-„rrhoidales plus quam alia medicamenta in „ordinem justum transferre adjuvant." Usu certe harum pilularum STAHLII (*b*) in aulico hæmorrhoides mucosæ in cruentas abiverunt. Utiles quoque id genus pilulæ sunt ad ipsas hæmorrhoides albas restitantes, vel ægro succedentes, si ex accidenti sint salubres, promovendas. Ita I. STORCH (*c*) meminit feminæ cholerico - melancholicæ, & ad hypochondriacum malum pronae, quae aliquamdiu alternis diebus pilulis ad imitationem STAHLIANARUM confectis, & purgante acuatis usa excretionem muci sanguine striati sibi procuravit, cum levamine, quam pilulae 8. quoque die deinceps continuatae pro-

(*a*) L. c. §. 22. p. 272.

(*b*) Vide Tom. II. §. 75. c.)

(*c*) Obs. clin. ann. 6. Januar, d. 4. art. 3. No. 11. p. 335.

promoverunt cum euphoria; donec a potu vini cum cochlearia parati anxietates hypochondriacae reversae uberiorem curationem per Vae. Ses aequinoctiales exegissent. Verumtamen monente ALBERTIO (*a*) „ab „indiscreto aloeticorum usu „solicite abstinendum est; parcissimus, & circumspectus „temperatorum, seu correctorum aloeticorum usus non penitus improbandus est. Inprimis vero circa aloeticorum ordinationem „moderamen, & circumspectio adhiberi debet, quando speciales tales anomaliae haemorrhoidales in suo fervore, & vigore „existunt."

§. XXV.

IV. DIURETICA *diaphoretica*. De prioribus ALBERTI (*b*) „pro congrua (inquit) „intestinorum, & primarum regionum abstersione, ne transitus sanguinis ullo modo „offendatur, & impediatur; conveniunt salina digerentia, & colliquantia sive enixa, „sive ♀sata, quo liquores ♀satos abstergentes, & moderate diureticos referimus." De utrisque autem I. LIETAUD (*c*): „egre- „giam

(*a*) L. c. §. 21. p. 2. 271.

(*b*) Ibidem p. 272.

(*c*) Synops. univ. prax. med. P. 1. L. 2. S. 3. p. m. 397.

„giam opem praeſtat diuturnus diureticorum, „& diaphoreticorum uſus, quorum ſcilicet „praeſidio materia quaecunque morboſa per „renes, vel cutis ſpiracula e vaſis ſangui- „neis excutitur.“

§. XXVI.

V. ANTISPASMODICA nervina ad cruciatus, ac ſtricturas hic ſolennes auferendas haud raro hocce in morbo ſunt neceſſaria; at non narcotica, nec ſtimulantia acria, ſpirituoſa, volatilia eſſe oportet; ſed mitia: unde SELIGMANNUS (*a*) „per omnem . . . „morbi decurſum (ait) vitanda ſunt carmina- „tiva calida, quæ quidem flatus forte fre- „quentes compeſcendi cauſa alias propinan- „tur; partibus enim calidis aromaticis vaſa „nimis irritant, majori, quam par eſt, im- „petu humores circumagunt, eoque pletho- „ram commovent. Multo minus adhibean- „tur ad motus ſpaſticos nimis urgentes opiata, „& narcotica; relaxationem enim fibrarum „ſemper relinquunt, indeque reniſu vaſo- „rum imminuto lentor augetur, & graviori „ſtaſi occaſio præbetur: cui utrique autem „malo occurrendum eſt temperantibus, in- „fuſo fl. chamomillæ, clyſteribus antiſpa- „ſmodicis“ &c. Optima vero teſte ALBER-

TIO

(*a*) L. c. pag. 14.

TIO (*a*) „remedia; quæ irregulares commo-
„tiones mitigant, . . . ſunt . . . nitroſo-
„digeſtivo-cinnabarina; interponendo abſor-
„bentia, & diaphoretica fixa . . . ſi multæ
„inquietudines in abdomine concurſant; ex-
„pedit ſubordinare talia, quæ contumacio-
„res motus hæmorrhoidales irregulares ma-
„gis tranguillant, & ſecure ſedant, aut ſine
„præjudicio compeſcunt, quo laudamus mi-
„ſcelam ex eſſent. millefol., gent. rubræ,
„chaccarill. paratam, ſubjungendo TRam
„temperatam ♂lum, ſive ♂tis 🜿ſatam,
„ſive pomorum leviter ♂lem, abſtinendo
„a potentioribus."

§. XXVII.

VI. TONICA *roborantia* denique; cum fere omnibus hactenus memoratis remediis prudenti manu addenda ſint, ut mucifera vaſa priſtinum ſuum tonum recuperent pedetentim; in fine morbi jam fere ſola, & uberiori copia ſunt præbenda, ut conciliato ſolidis conſtanti robore morbi recidiva prohibeatur. Adſtringentibus autem, quamdiu fluxus ex toto ſublatus non fuerit; prorſus eſt abſtinendum, ne ſuppreſſus ab iis improvide fluxus graviora accerſat mala (*b*); imo ne

(*a*) L. c. §. 22. p. 272.

(*b*) Vide §. 19.

ne in fine quidem illis fatis fidendum, nifi vaforum laxitas roborantibus folis non auferenda inevitabilem eorum ufum expofcat. Roborantia STAHLIANIS hic ufitatiffima funt (*a*): effent. gentianæ rubræ, helenii, pimpinellæ albæ, vincetoxici, & (*b*) „in ferpi„ginofis hæmorrhoidalibus efflorescentiis „laudamus MRam ex TRa ♁ii ♀„fata, & effentia fuccini, aut ex effentia „vincetoxici, fucc., & pimpin. alb." inquit ALBERTI. Priora ad fluxum ipfum laudata etfi fuo non careant fructu, pretioque; tamen SELIGMANNO (*c*) tefte „omnibus . . . „palmam praeripit lignum Campechenfe, „quo Ill. . . RICHTER optimo cum eventu „in hoc morbo utitur. Praefcribi folet forma „decocti . . . fcilicet ℥ß ad integram co„quatur cum ▽ae ℥xvj ad remanentiam „℥viij."

CAPUT

(*a*) ALBERTI. l. c.

(*b*) Ibidem.

(*c*) L. c. p. 13.

CAPUT III.

CHIRURGIA.

§. XXVIII.

I. Sanguinis *missio* hic easdem prorsus habet, quas in haemorrhoidibus rubris, indicationes, cautelas, vasorum selectum, &c. Vel maxime autem scopo prophylactico ad fluxum rubrum promovendum valent; quippe quo oborto haemorrhoides albae desinere consueverunt. Hinc ALBERTI (*a*) „abstinen-„dum . . . est (ait) in cura harum haemo-„rrhoidum a curatoria, & confusa sanguinis „missione, tanto magis vero e superioribus „corporis regionibus." Contra vero jubet prophylactice agendum esse, ut fluxus ruber provocetur (*b*) „partim per universalem „sanguinis depletionem cum Vae Se in pede „administranda, & justis temporibus repe-„tenda, moderata quantitate celebranda; par-„tim per specialem, & particularem sangui-„nis subtractionem in locis haemorrhoidali-„bus per hirudinum applicationem obtinen-„dam." Ubi vero ruber haemorrhoidum fluxus

(*a*) L. c. §. 20. p. 270.

(*b*) Ibidem §. 21. p. 271.

fluxus praegressus immodicus albas, mucosas, serosasve haemorrhoides invexit; indicium est, has nimiae jam sanguinis tenuitati, vasorumque laxitati deberi; atque tunc omnis missio sanguinis, utpote utrumque vitium auctura, est prorsus devitanda. Sensit ejus nocumentum aeger, cujus R. I. FORTIS (*a*) historiam dedit. Porro ad serpiginosas illas ani variculas externas abigendas testatur STAHLIUS (*b*) unicum esse praesidium in prophylacticis phlebotomiis tempestive institutis; quando quidem illa serpigo a sanguine in vasis hæmorrhoidalibus externis congesto, indeque erumpere nequeunte ortum trahat. Namque (*c*) „aliquo-„ties annotavit quod personis Vae Sni alias „assuetis cum eam temere omisissent, in „ipso loco alias factæ incisionis leves serpi-„gines superficiales coortæ fuerint."

§. XXIX.

II. ENEMATA ad alvum ut plurimum hocce in morbo obstructam referandam, tenesmumque acerrimum (*d*) leniendum, ac tor-

(*a*) Vide §. 4. No. 4.

(*b*) Colleg. cas. magn. Casu 16. p. 199. sqq.

(*c*) Diss. cit. l. c. p. 11.

(*d*) Vide §. 6.

tormina ſopienda, ſpasmos pacandos, & demum tonum vaſorum amiſſum reparandum, longe eſſe utiliſſima nemo non videt; ſimul vero intelligit pro varietate harum indicationum variis quoque enematibus opus eſſe. Hinc ALBERTI (*a*) „tam in feminis; (inquit) „quam in viris (tanto magis, quando multa „flatulentia concurrit) conveniunt clyſteres „lenientes, & moderate roborantes, qui „inteſtina ita præparant, quo legitimo humo„rum ingreſſui pateant, atque proprius ſan„guis congeri, & ad ultimam perruptionem „promoveri queat; cavendo ne ſtimulantia „iis conjungantur.“

§. XXX.

III. FRICTIO *abdominis*, *ſpinæ dorſi* &c. blanda, crebra, pannis aſperis, aromatum fumo imbutis, vaſa atona, & diſtenta roborat, ſtaſes hæmorrhoidales loco movet, attenuat, ſicque vel fluxum rubrum hic adeo ſalutarem promovet, vel citra hunc etiam hæmorrhoides albas diſſipat.

§. XXXI.

IV. TOPICA quoque hic magni ſaepe ſunt uſus, dum ano admota vel ſerpiginem illam

---

(*a*) L. c. §. 21. p. 272.

illam pruriginosam, & ardentem sanant, vel tenesmum leniunt, vel fluxum ipsum album restitantem, ægreve succedentem promovendo molimina illius abolent. Hinc varia forma adhibentur. At omnis ab illis temeritas absit; namque monente ALBERTIO (*a*) „nocent externa repellentia, refrigerantia, „adstringentia, incrassantia, acriora septica; „suspecta ☿lia, ♄rata, unguinosa, pinquia, „& simul facile rancescentia“ &c.

1. *Litus* pro molesta illa, ac dolorifica serpigine ani demulcenda, leniendaque tutissimus est, si suadente ALBERTIO (*b*) hunc in finem adhibetur „oleum ovorum cum tantillo ceræ remixtum, & pro efficaciori ab„stersione addi potest exigua portio olei „empyreumatici: vel licet pauxillum un„quenti de linaria miscere cum oleo ovorum, „& ad usus suos applicare, sicuti oleum „flor. verbasci cum oleo ovorum mixtum, „aut oleum ovorum cum pauca quantitate „camph., & oleo lil. alb. sociatum pro ab„stergendis, & consolidandis illis pustulis, „atque discutiendis humorum affluxibus qua„drat.“ Discussæ id genus variculæ oleo hyperici cum thure, ac mastiche illito quam

gravia

(*a*) Ibid. §. 20. p. 271.

(*b*) Ibid. §. 22. p. 273.

gravia mala STAHLII (*a*) viro causarint, jam superius vidimus.

2. *Vapores* quoque emollientes ano admissi indifficulter succedente mucoso fluxu, graviaque causante symptomata sunt ad eundem facilitandum perquam efficaces. F. C. KREBS (*b*) nactus est curandum virum 34 annorum, cholericum, lautæ, sedentariæque vitæ, ab aliquot jam annis colicæ interdum obnoxium, quæ præviis levibus ad cardiam molestiis, ventrisque tensionibus ingruens vomitu semper, & diarrhœa stipabatur. Vomitus quidem semper aliquid levaminis afferebat; malum tamen nonnisi aliquo post tempore penitus conquiescebat. Cum vere A. 1783 colica solito sæpius recursabat, ægerque ex hoc tempore quovis mane habebat jam plus jam minus turgidulam. Junio mense dolor colicus rediit vix ferendus cum vomitibus, ac dejectionibus innumeris, fotus e chamomilla, tepida pediluvia, infusum chamomillæ cum essent: castorei malum leniverunt, non sustulerunt. Postridie perseverante dolore, cum lingua sordida, nauseis, ac pravis ructibus datum emeticum excussit multum lenti muci, ructus

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Medic. Beobacht. 1. Band. 4. Heft 3. Beobachtung. §. 4. p. 18. sqq.

ctus aliquamdiu sustulit, doloresque rarius repetentes, & versus os sacrum anumque magis devoluti hæmorrhoidum suspicionem præbuere. Tubercula nulla aderant, nec hactenus æger in alvi egestione sanguinem reperit; sed interdum lentum mucum, quo tempore etiam puncturas in ano perpetiebatur. Muci excretionem promovit potus aquæ amaræ moderatus; verum cum constinuatus ejus usus alvum immodice cieret cum insigni debilitate, ab ulteriori illius potu desistendum fuit. Dolores ventrem, sacrumque os jam penitus reliquere; sed molesti ructus cum nauseis reversi sunt, queis anorexia se junxit, & stomachum levissimi etiam cibi lædebant. Quod cum ab ejus imbecillitate ortum videretur, exhibitum elixir ex amaris extractis, quassia, ℞a rhei, pauxilloque L. L., tum refractæ doses simul rhei ad tonum intestinorum reparandum, ac proclivitatem in diarrhœam ab aqua amara superstitem abolendam. Utrumque sensim obtentum est. Post aliquot dies tumor utroque super genu obortus, primum vix conspicuus, dein celeriter crescens, ita ut intra biduum femora a genibus ad coxas usque magnopere tumuerint. Artus inferiores erant secundum naturam,ægerque nil nisi de pressione dextro in hypochondrio querebatur. Data ptisana sanguinem depurans, & aperitiva cum ℥e e rheo, crem. ♁ri, & millepedibus: incassum; tumore in totos artus inferiores non

sine

ſine ventris tenſione ſe diffundente, idque intra aliquot dies tam conſpicue, ut ægri vitæ metueretur. Spiratio facta laborioſa, venterque in dies elatior ab ictu reſonabat. Idcirco dari cœptæ pilulæ LUDOLPH., continuatum ſprius dictum elixir, & ptiſanæ adjectæ juniperi baccæ. Tam irritabilia fuere inteſtina, ut parva pilularum doſis cauſarit borborygmos, & aliquot aquoſas ſedes, huic occurrebatur ſenſim aliquot guttis laudani vel cum elixirio, vel ex aqua poſt ſumtas pilulas exhibitis: tum vero ea fuit pilularum energia, ut præter duas quotidie dejectiones lotium copioſe moverint. Tumor abhinc in dies ſubſidebat, ſpiratio fiebat liberior, & intra 8 dies æger jam equitare valebat cum evidenti utilitate. Reliquias tumoris pedum abſtulerunt ſacculi calidi e lupulo, & ultimo faſciatio. Finem curationi impoſuit ▽a Selterana, & elixir prius dictum. Poſt 5 circiter hebdomades redierunt omnia priſtinæ colicæ præludia, dolorque circa os ſacrum; ſed ſub idoneo diætetico regimine vapor e fl. chamomillæ, ac ſeminib. lini in aqua coctis ope ſellæ perforatæ ano admiſſus fluxum hæmorrhoidum mucoſarum provocavit cum omnium ſymptomatum remiſſione: unde recidiva colicæ averruncata.

§. XXXII.

§. XXXII.

V. APERTURA *varicum* sero, mucove turgentium, vel ferro vel admotis hirudinibus facta e vestigio saepe omnia symptomata summovet. Sic I. G. GREISELII (*a*) „viro . . . 49 annorum perpetuo valetudi„nario post purgationem Majalem hæmo„rrhoides ut aperiri curaret, consultum fuit: „quibus apertis exivit materia instar sper„matis ranarum ad ℔ x, cum jactura ta„men virium. Convaluit ab hoc momento, „liberatusque fuit a suo diuturno morbo, & „millenis aliis accidentibus.“ Et P. SORBAIT (*b*) „vidimus (ait) ex haemorrhoidibus „externis per sanguisugas duas fere mensu„ras materiae cujusdam instar spermatis ra„narum fluxisse, & patientem a longissimis „malis, flatibus scilicet, continuis dolori„bus, aliisque symptomatibus liberatum „fuisse.“

CAPUT

(*a*) Misc. nat. cur. dec. I. ann. I. Obs. 75.

(*b*) Medic. pract. Tr. I. Cap. 68. p. 420.

CAPUT IV.

DIAETA.

§. XXXIII.

I. ALIMENTA quod attinet, inculcatur a M. ALBERTIO (*a*) in albis praesertim haemorrhoidibus „abſtinentia ab alimentis, & potulentis multum ſpirituoſis, & aromaticis, „imprimis ſi ſubjecta ſpiſſiorem ſanguinem „habent, ſedentaria vita fruuntur, & parcius „reliquum potum diluentem conjungunt.“ Vitanda quoque omnia dyſpepta, ac flatulenta. Contra vero potus eſto diluens, aperiens, humectans; cibus mollis, humectans, aperiens album lubricans, verbo: alimenta ſunto medicamentis analoga.

§. XXXIV.

II. AFFECTUS *animi* graviores ſolicite vitandi, imprimis qui ſanguinem vel magnopere rarefaciunt, & commovent, ut ira; vel lentiorem, ac ſpiſſiorem efficiunt, ac motum ſimul efficiunt languidiorem, ut diuturnus mœror; & qui vehementes concitant

---

(*b*) L. c. §. 21. p. 272.

tant ſpasmos, ut gravis terror: contra ea hilaritas, gaudium, ſpes, hic ſunt ſaluberrima.

§. XXXV.

III. MOTUS *corporis* denique moderatus, & aſſiduus humorum lentorem ab otio praeſertim natum ſubigit, motum humorum languidum accelerat, circuitumque illorum reddit liberum, & aequabilem, quo morbus haemorrhoidalis vel ex toto aboletur, vel regularis, & ſalubris efficitur.

HISTO-

HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM VESICAE.

PARS I. PATHOLOGICA.

CAPUT I. DEFINITIO.

§. I.

Haemorrhoides *vesicae* sunt spontaneum vel sanguinis, vel muci ex vasis haemorrhoidalibus vesicae urinariae profluvium aut praesens, aut imminens. Est haec altera motuum haemorrhoidalium ferme per propria vasa anomalia haud minori sagacitate rite cognoscenda, quam curanda. Dictum enim in superioribus (*a*) fuit, vesicam urinariam nullos

(*a*) Vide Tom. I. §. 5. b).

nullos quidem ramos ab ipſis vaſis haemorrhoidalibus adipisci; accipere tamen arterias a pudenda externa, communem habente originem cum trunco haemorrhoidalis externae ex pudenda hypogaſtrica interna; cujus rami veſicae, ejusque collo proſpiciunt: unde ſanguis in ramos haemorrhoidalis externae non receptus facile in proximae pudendae externae ramos converſus veſicam laceſſit. In nonnullis autem corporibus etiam ipſorum haemorrhoidalium vaſorum aliquae propagines ad veſicam abeunt. In Annalibus Vratislavienſium (*a*) refertur ab injecta in venam portae materia ceracea intumuiſſe ſimul ramus venae haemorrhoidalis internae una cum vena ex illo ad collum veſicae circa ureterum inſertionem producta. Quale quid & apud VERHEYNIUM (*b*), & C. BAUHINUM (*c*), aliosque anatomicos reperire eſt.

CAPUT

(*a*) Tent. 12. A. 1720. Maji d. 2. art. 3. §. 1. p. 516. ſq.

(*b*) Anat. C. H. Tract. 2. Cap. 10.

(*c*) Anat. L. 1. C. 20.

CAPUT II.

G E N E R A.

§. II.

GENERA *hæmorrhoidum vesicæ* præprimis duo sunt, videlicet:

1. *Cœcæ*, quæ in solo vasorum vesicæ p. n. infarctu, vel varicibus etiam consistunt citra fluxum. Uterque hic status ægre cognoscitur: quandoquidem visum, tactumque effugit, & pathognomico caret signo, nec nisi ex accidente quandoque detegitur, ut in VAN DER HAARII (*a*) ægro per catheteris applicationem.

2. *Fluentes*, eæque

a) *Sanguineæ*, seu *hæmaturia hæmorrhoidalis* veteribus jam non ignota, de qua C. AURELIANUS (*b*) „solent præterea (inquit), „sicut in podice, vel feminarum sinu, aut „matricis collo, etiam in vesica hæmorrhoi-„des

(*a*) Vide §. 26. a).

(*b*) Morbor. chronic. L. 5. C. 4. p. m. 574.

„des generari, quæ fluorem ſanguinis præ-„ſtant, quibusdam intervallis variatum, quod „oportet apprehendere prudentem; cum non „coacervata primo fuerit effuſio, ſed au-„gmentis quibusdam promota, interjectis de-„fectionibus, ac ſæpe retento ſanguine do-„loris pubetenus admonitione ceſſante cum „tenſione inguinum, & gravedine clunium, „vel renum conſenſu; & cum ſanguis eru-„perit ſupra dictorum relatione (relevatione) „ſequente; ſiquidem aliquando inflatæ, ac „tumentes hæmorrhoides difficultatem, vel „abſtinentiam faciunt mictus, quam Græci „dyſuriam vocant, vel uriam (iſchuriam).“ Veterum doctrinam de veſicæ hæmorrhoidibus inſequentia quoque tempora ſuis obſervatis confirmarunt. Unum hic interea teſtem P. HOECHSTETTERUM (*a*) nominaſſe ſat eſto, ſcribentem: „fundit namque ſæpius hæc hæ-„morrhois ſanguinem in veſicam, ut absque „vitio renum mingatur, quod in nobili quo-„dam licuit videre, & non infimæ famae „medicus de ſe hoc mihi recenſuit“ Plura deinceps aevi noſtri ejusmodi obſervata paſſim in medium afferenda rei veritatem abunde commonſtrabunt.

b) *Mucoſæ*, dum ſanguinis loco mucus cum urina excernitur. Veteribus, quod ſciam

---

(*a*) Obſ. med. Dec. 1. Caſ. 2. Schol. p. 8.

sciam, affectio haec prorsus ignota fuit: neque vero hodie etiam tam pervulgata est illius idea, ut omnibus innotuerit; quandoquidem non obscuri nominis viri eam cum aliis confuderint. Quid enim aliud est SAUVAGESII (*a*) *pyuria viscida*? in qua tamen haemorrhoidum ille ne verbo quidem meminit. Quam parum etiam saepe in Belgio noscatur malum, satis id testatur I. VAN DER HAAR (*b*); & I. C. A. THEDEN (*c*) haud ita dudum abhinc est conquestus, morbum hunc a gonorrhœa saepenumero non discerni, ut alios praeteream. Exempla haemorrhoidum vesicae mucosarum literis qui prodiderint, oppido pauci sunt, quos inter DETHARDING (*d*) HENCKEL (*e*) PEZOLD (*f*) HOFFMANNUS (*g*).

CAPUT

(*a*) Nosol. meth. cl. 9. ord. 3. Sect. 28. No. 5.

(*b*) Samml. zum Gebrauche pract. Aerzte 2. Band 2. St. p. 47. sqq.

(*c*) Neue Bemerk. u. Erfahr. zur Bereicherung der Wundarzn. 2. Th. 26. Cap. p. 214. sqq.

(*d*) Vide §. 18. B. No. 1. 4. & §.

(*e*) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(*f*) Vide §. 13.

(*g*) Vide §. 19.

CAPUT III.

PROEGUMENAE CAUSAE.

§. III.

1. Sexus *masculus*; enim vero ex 31 aegris haemorrhoides veſicae qua rubras, qua albas paſſis, quos coram habeo, nonniſi unicam STORCHII (*a*) mendicam video haematuria haemorrhoidali laboraſſe. Nec ratio deeſt: Cum enim univerſim haemorrhoidali morbo viri magis; quam feminae ſint obnoxii, ſanguine in his per uteri vaſa inveniente exitum; haemorrhoidibus veſicae tanto illae etiam rarius affliguntur, quod apud ipſas inteſtinum rectum inter, ac veſicam uterus interjaceat: quo fit, ut huic etiam rami aliqui haemorrhoidalium vaſorum impendantur, atque eo pauciores, ac vix aliqui ad veſicam perveniant, ſimul etiam ab origine horum vaſorum remotiorem. VAN DER HAAR (*b*) tamen feminas varis, aut gutta roſacea fœdatas mucoſis veſicae haemorrhoidibus obnoxias eſſe aſſerit.

§. IV.

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) L. c. p. 53.

§. IV.

2. AETAS *adulta*; cujus nempe sunt proprius morbus haemorrhoides generatim. (*a*) Interea tamen quemadmodum haud ita raro evenit, ut junioribus quoque rubrae ex ano fluant, ob rationes singulares; ita etiam quandoque haematuria haemorrhoidalis ex interturbatis ani haemorrhoidibus accidere est observata, ut in MATERNII (*b*) puero, ac PEZOLDI (*c*) figulo, quorum hic annos 26, ille 13 natus erat. Albae autem haemorrhoides vesicae, quantum per observata constat, nunquam ante consistentem aetatem, aut huic proximam oboriuntur. THEDEN (*d*) negat homines ante 30 annum hoc malo perinde corripi; ac eos, qui hanc aetatem jam praetergressi sunt; nisi forte junioribus jam haemorrhoides cœcae molestae esse cœpissent SELIGMANN (*e*) vero rarius id ipsum ante 40 annum evenire censet: „ea „enim aetate „homines magis; quam alia „constitutioni pituitosae obnoxii sunt, & ge„neratim morbis a causa serosa magis: quam san-

---

(*a*) Vide Tom. I. §. 10.

(*b*) Vide §. 23.

(*c*) Vide §. 12. Nro. 3. a).

(*d*) L. c. p. 215.

(*e*) Diss. cit. Sect. 3. §. 10.

„ſanguinea afficiuntur." Denique G. C. DETHARDING (*a*) „ætas huic affectui obnoxia „(inquit) ſemper „fere eſt ſenilis, ut ante an„num 50um vix unquam obſervaverim." Ego inſpecto pro more meo ægrorum literis mandatorum, quorum de ætate conſtat, elencho reperio unum HOFFMANNI (*b*) ægrum 37 annorum, alterum quinquagenarium (*c*), ejusdemque ætatis virum HENCKELII (*d*), ſutorem PEZOLDI (*e*) unde ſexaginta annos natum, ſexagenarium DETHARDINGII (*f*) virum. Et vero mucoſos morbos in provectam magis; quam aliam cadere ætatem in confeſſo eſt.

§. V.

3. TEMPERIES *ſanguinea*, *cholerica*, *melancholica*, vel ex his mixta ſanguineo-cholerica, ſanguineo-melancholica, melancholico-cholerica; quippe quæ ad hæmorrhoi-

---

(*a*) Diſſ. de hæmorrhoidib. veſicæ mucoſis Schol. ad §. 5. (4to Roſtock 1754. Reſp. F. F. KNAUDT.) in HALLERI. Diſp. med. pet T. 7. No 269. p. 783.

(*b*) Vide §. 19.

(*c*) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(*d*) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(*e*) Vide §. 13.

(*f*) Vide §. 18. B. Nro. 1.

rrhoidales affectiones maxime ſint procli-
ves (*a*).

§. VI.

4. LAXITAS *vaſorum veſicæ* (aut p. n. illorum vel amplitudo, vel dilatabilitas nativa) cum diatheſi mucoſa ſanguinis. Laxitas vel mucoſitatem, vel iſta illam facile producit; alterutrius autem geneſi favet temperies ante (*b*) dicta, quam ætas provectior cito amplectitur, præprimis, ubi procatarcticæ cauſæ acceſſerint.

§. VII.

5. GENTILITIA *diſpoſitio* cum ad hæmorrhoides contrahendas permultum conferat (*c*): ſatis liquet, illam, vel quatenus ad ani tantum hæmorrhoides a majoribus accepta ex harum interceptione hæmorrhoides veſicæ indirecte producit, vel quatenus ad veſicæ hæmorrhoides directe connata eſt (utut exemplo adhuc deſtituar), e cenſu prœgumenarum cauſarum expungi neutiquam poſſe.

CAPUT

(*a*) Vide Tom. I. §. 12.

(*b*) Vide §. præced.

(*c*) Vide Tom. I. §. 15.

CAPUT IV.

PROCATARCTICAE CAUSAE.

§. VIII.

1. INGESTA varia vel fluxum hæmorrhoidum ex ano turbantia; vel humores uberius ad vasa vesicæ determinantia, imprimis diuretica, & aphrodysiaca, queis HENCKELII (*a*) vir ad excessum usque est abusus. GOHLII (*b*) autem homo turbatis vini potu, & neglecta Væ Se cœcis ani hæmorrhoidibus cruentum in mictum prolapsus est.

§. IX.

2. VENUS *immoderata* humores ad genitalia, & vesicam uberius alliciens; observavit enim THEDEN (*c*) mucosas vesicæ hæmorrhoides ut plurimum iis obtingere, qui exlegem, ac vel maxime libidinibus non exsatiandam vitam transigunt, velut HENCKELII (*d*) viro accidit.

§.

(*a*) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(*b*) Vide §. 19.

(*c*) L. c. p. 217.

(*d*) Vide §. 18. B. Nro. 2.

§. X.

3. HAEMORRHOIDES *ani anomalæ*, dum nimirum ſanguinis in hæmorrhoidalia ani vaſa niſus vel ſponte naturæ ab his ad veſicæ deflectit vaſa, vel exceſſu ab ægris in 6 rebus non naturalibus commiſſo ab inteſtino recto ad veſicam regurgitare cogitur. Atque hæc eſt princeps hæmorrhoidum veſicæ cauſa, de qua etiam DETHARDING (*a*) mucoſæ (inquit) hæmorrhoides veſicæ „vix unquam ſe exſere„re ſolent, niſi motus hæmorrhoidales præ„ceſſerint, ſive ſanguinis ſinceri, ſive muci „ſaltem excluſio contigerit, ſive in ſolis, ſed „irritis naturæ conaminibus huc reſpicienti„bus ſubſtiterint. Sæpius tamen ab hæmo„rrhoidibus externis cœcis, quam internis „ſuppreſſis hanc evacuationem eſſe fuit de„prehenſum, cujus ætiologia in immediata „vaſorum colli veſicæ cum hæmorrhoidalibus „externis connexione eſt repoſita.“ Hæc autem, utut de ſolis mucoſis dicta, de rubris perinde ſunt accipienda. F. HOFFM. (*b*) de mictu cruento agens „contingit hoc (inquit) „maxime per translationem, ſive, quæ Græ„cis dicitur, meteſtaſin excernendi ſanguinis „per menſes, aut hæmorrhoides, iis vel ceſ„ſantibus, vel obſtructis, aut ſuppreſſis. Vi„dimus

(*a*) Diſſ. cit. l. c. p. 782.

(*b*) Med. rat. Syſt. T. 4. P. 2. S. 1. C. 6. §. 7.

„dimus nos talem criticam mictionem libera-
„liorem in viris . . . plethoricis juvenilis,
„vel etiam senilis ætatis suppresso, vel etiam
„penitus cessante hæmorrhoidali fluxu" &c.
Et paulo post (*a*) „præterea non semel (sub-
„dit) sed aliquoties notavimus in senibus
„deficiente fluxu hæmorrhoidali, item in vi-
„ris ætatis consistentis hæmorrhoidibus cœcis,
„& tumentibus si affecti fuerint; a motu cor-
„poris, & animi fortiori sanguinis portionem
„non exiguam bruno colore instar decocti
„caffee tincti citra urinæ difficultatem cum mi-
„ctu prodiisse; qui procul omni dubio ex
„vasis vesicæ sanguineis circa sphincterem ejus
„tumentibus, & apertis profectus fuit. Venæ
„enim hæmorrhoidales externæ communicant
„cum vesica, & ramos etiam ad eam spar-
„gunt; minime vero (ut nonnullorum fert
„opinio) de internis id putandum, quarum
„ramos ad vesicam excurrentes anatomicus
„hucusque vidit nullus." G. H. BEHRII (*b*)
consiliarius 65 annorum anno ætatis 61 va-
lidos lumborum, dorsique dolores nactus est,
hactenusque fere assiduum ani pruritum pa-
tiebatur, nonnunquam vero etiam in brachiis,
præsertim in lecto, diuque jam neglecta Væ
Se demum urinam reddebat cum sabulo, mul-
toque muco, & aliquoties etiam sanguinem
sinee-

(*a*) Ibidem §. 8.

(*b*) Medic. Consultat. Consil. 11. p. 70. sqq.

ſincerum, vel filamenta rubra cum lotio reddidit, haud dubie ob hæmorrhoides exitum per anum non invenientes. Simile quid & in STAHLII (*a*) gonagrico eſt obſervatum. Porro a fluxu hæmorrhoidum non rite ſuccedente mictum cruentum nactus eſt cum GRASSII (*b*) mercator; tum HOFFMANNI (*c*) vir. Id ipſum etiam a ſuppreſſione fluxus dicti accidit viro cuidam GOHLII (*d*) & alteri HOFFMANNI (*e*), nec non REINESII (*f*) Paſtori, ac ROLFINGII (*g*) ægro. Neque ſponte etiam ſubſiſtens fluxus parcere ſemper ſolet; quippe VAN DER MONDE (*h*) ſiſtit ægrum, cui cum hæmorrhoides ſtatis temporibus per aliquot annos fluxiſſent; emanenti tandem fluxui ſucceſſit mictio copioſi ſanguinis cum lotio, at ſine ulla vel mejendi moleſtia, vel debilitate. Idem ex eadem Cauſa malum nacti ſunt BECKERI (*i*) ſenex,

---

(*a*) Vide §. 19.

(*b*) Vide §. 23.

(*c*) Vide §. 18. B.-Nro. 4.

(*d*) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(*e*) Vide §. 19.

(*f*) Vide §.

(*g*) Vide §. 20.

(*h*) T. i. p. 168.

(i) Vide §. 17.

senex, & NESTERI (*a*) vir, ac mendicabulum STORCHII (*b*): quid quod vel ipsæ etiam cœcæ ani hæmorrhoides interceptæ hæmaturiam attulerunt? ab iis sane vini potu interturbatis GOHLII (*c*) vir; ab iisdem terrore discussis JOERDENSII (*d*) homo - cruentum in mictum inciderunt. Eadem porro omnia albas quoque vesicæ hæmorrhoides invexisse sunt observata. Sic a subsistente hæmorrhoidum solenni fluxu mucosas vesicæ hæmorrhoides contraxere DETHARDINGII (*e*) senex, ac HENCKELII (*f*) homo; a cœcis hæmorrhoidibus non reversis duo alii DETHARDINGII (*g*) ægri malum idem nacti sunt; & a turbatis Væ Se in brachio facta cœcis itidem hæmorrhoidibus eædem mucosæ vesicæ in PEZOLDI (*h*) sutore sunt consecutæ.

CAPUT

(*a*) Ibidem.

(*b*) Vide §. 19.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Vide §. 18. b) Nro. 1.

(*e*) Ibidem.

(*f*) Ibidem Nro. 3.

(*g*) Ibid. Nro. 4. & §. 23.

(*h*) Vide §. 13.

CAPUT V.

SYMPTOMATA.

§. XI.

Quantum ad hujus morbi ſymptomata attinet, nulla ſubinde adſunt, ubi fluxus faciles habet exitus; quod etſi in rubro ſæpius locum habeat; tamen in albo quoque interdum utut rarius obtinet, de quo DETHARDING (*a*) „aliquando (inquit) clandeſtine procedit nullas moleſtias ſecum ferens; raro autem contingit hoc morbo correptis felicitas iſta, „quin varia experiantur ſymptomata plus minus acuta." Quod ipſum etiam de hæmaturia valet; niſi quod in hac, ut dictum, ſæpius illa felicitas contingat. Ceterum ſymptomata, queis hæmorrhoides veſicæ ſtipari ſolent, duplicis ſunt generis; alia cuivis affectioni hæmorrhoidali communia, a niſu ſanguinis in hæmorrhoidalia vaſa pendentia, & prolixe alibi (*b*) jam data, cujusmodi etiam perpeſſi ſunt ægri BEHRII (*c*), HENCKELII (*a*)

(*a*) L. c. p. 783.

(*b*) Vide Tom. I. §. 31. ſqq.

(*c*) Vide §. præced.

(*a*) ac MATERNII (*b*); alia vero affectæ ipsi vesicæ ab infarctis ejus vasis, lacessitisque ibi nervis propria sunt, & ad obtinendam anomaliæ hujus hæmorrhoidalis diagnosin scitu maxime necessaria. De his tantummodo in præsenti sermo erit. Sunt autem

§. XII.

I. FLUXUS *phænomena* ipsa varia, nempe

1. *Humor* excretus, qui est vel sanguis vel mucus.

a) *Sanguis*, qui excernitur, aut fluidus est, aut coactus; prior porro vel sincerus rutilus, vel serosus, iste ut plurimum sub finem; ille sub initium redditur. HELWICHII (*c*) senex fluidum mejebat sanguinem, purum initio, dein loturæ carnium similem. Grumosum autem ab indito cathetere GABELCHOVERI (*d*) febricitans excrevit.

b) *Mucus* vero hæmorrhoidalis quonam sit præditus colore, odore, consistentia & ducti-

---

(*a*) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(*b*) Vide §. 23.

(*c*) Vide §. 18. B. Nro. 2.

(*d*) Ibidem Nro. 1.

ductilitate, operæ prætium eſt advertere animum, in quo

α. *Odor* primum ſi exploretur „ut plurimum nullum exhibet, inquit DETHARDING „(*a*) & qui naribus objicitur, urinæ magis „tribuendus; aſt in cacochymicis, & ſcorbuticis imprimis ætate provectis nonnunquam „ſpecifice acris, & ſalſuginoſus quaſi deprehenditur, ut niſi matulæ ſæpius repurgentur, vel mutentur; totum conclave ægroti cum faſtidio adſtantium repleat; ad putridum tamen, vel purulentum nunquam „accedit.“ Ejusdem porro muci eſt

β. „Color . . . ut plurimum mucilagini „ſeminis cydoniorum, vel pſyllii non abſimilis; interdum magis obſcurus imo bruneus, „& quando excluſio multis moleſtiis ſtipata: „ſanguinolentus exiſtit; nonnunquam ſtriæ „ſanguineæ muco intermixtæ deprehunduntur“ (*b*), videlicet ut in mucoſis ani hæmorrhoidibus.

γ. *Conſiſtentia* vero hujus muci varia, ac mira interdum habet adjuncta, namque DETHARDINGIO (*c*) notante „mucilago hæc „quan-

---

(*a*) L. c. p. 782.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Ibidem.

„quando cum urina evacuatur, huic eſt in-„termixta; ſimul ac autem in matula refrixe-„rit, particulæ ejus gelatinoſæ ſibi magis co-„hærentes, & ſpecifice graviores redditæ pe-„detentim fundum petunt, ut ab urina facile „dignosci poſſint: interdum tamen tantam „ejus tenacitatem deprehendere licuit, ut „miscelam cum lotio calido intimiorem recu-„ſaverit, & poſt hujus excluſionem nonniſi „moleſte per urethram exprimi potuerit.“ Ge-latinoſum id genus ſedimentum in quinqua-genarii lotio apud HOFFMANNUM (*a*) præſto erat, cui filamenta ſæpius velut abraſæ tuni-cæ permixta dicuntur fuiſſe; mihi potius te-nuiſſimi videntur fuiſſe polypi mucoſi, quales grandiores etiam cum copioſo muco, teretes, & albicantes in fundo matulæ PEZOLDUS (*b*) apud ſutorem deprehendit, & „cujusmodi „corpora teretia inſtar lumbricorum ſanguine „leviter tincta in quodam nobili varicibus „veſicæ non ſine maximo cruciatu laborante cum urina emiſſa poſtea obſervavit“ (*c*).

δ. *Ductilitas* denique muco huic tanta plerumque eſt, ut in longa ſeſe fila duci pa-tiatur, quemadmodum in PEZOLDI (*d*) ſu-tore,

(*a*) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(*b*) Vide §. 13.

(*c*) Obſ. med. chirurg. 29. p. 55.

(*d*) Vide §. 13.

tore, & HENCKELII (*a*) ægro, in quo a glande penis ad matulæ usque fundum cubitorum longitudine ſe extendebat.

2. *Copia* porro ſanguinis juxta, ac muci magnopere variat. Enimvero

a) *Sanguis* haud ſecius, ac in fluxu ex ano jam modicus, jam uberior, jam plurimus erumpit. In GOHLII (*b*) viro leviſſimum quid illius lotio inerat; contra ea GRASSII (*c*) mercator quotidie ultra ℔ij, & HELWICHII (*d*) ſenex, ac REINESII (*e*) Paſtor plenas illius matulas excernebant; in STORCHII (*f*) autem mendica ſanguinis copia urinæ copiam æquaverat.

b) *Mucus* vero non eandem hic ſequitur cum albis ani hæmorrhoidibus proportionem; cum enim in hisce raro unquam uberior illius vis reddatur; in mucoſis veſicæ hæmorrhoidibus ad non mediocrem quandoque co-

(*a*) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(*b*) Ibid. Nro. 4.

(*c*) Vide §. 23.

(*d*) Vide §. 18. B. Nro. 2.

(*e*) Vide §. 27.

(*f*) Vide §. 19.

copiam colligitur: „in aliis enim vix unciam, „in aliis libras fere attingit“ inquit SELIGMANN (*a*). In HENCKELII (*b*) homine una mictione ℥ij. ℥iij. illius obtinebantur; ad libras tamen reddi nondum comperi: seduxisse hac in re nonnullos videtur DETHARDING, dum hæmorrhoides vesicæ mucosas confudit cum diabete chyloso, ubi ingens chyli vis cum lotio ejicitur (*c*).

2. *Tempora* denique excretionis hæmorrhoidalis e vesica fere in totum congruunt cum fluxibus hæmorrhoidalibus alvinis. Mictus

a) *Cruentus* ut plurimum periodice instar fluxus hæmorrhoidum ex ano affligit, ita ut adhibitis remediis cessans percuratus jam videatur, donec denuo reversus spem frustretur. Sic HEURNIUS (*d*) „vidit, ægros, qui „cum hæmorrhoidibus tentari solebant, cum „urina sanguinem effundebant certis spatiis „sine noxa.“ Idem etiam refert H. SAXONIA (*e*) de nobili Patavino, & REINESIUS (*f*) de

(*a*) L. c. §. 8. p. 20.
(*b*) Vide §. 18. B. Nro. 3.
(*c*) Vide §. 16. B. Nro. 3.
(*d*) Comment. in HIPPOCR. Lib. 6. aph. 10.
(*e*) Vide §. 12. Nro. 4.
(*f*) Vide §. 27.

de suo Pastore. C. PEZOLDUS (*a*) figuli meminit pallidi, qui ab ineunte pueritia ad 26um ætatis annum, quo obiit; quovis mense sanguinem mejebat, quod ipsum fere omni mense etiam in HOFFMANNI (*b*) quadragenario est observatum. Variis ex intervallis hunc mictum perpessi sunt ægri BECKERI (*c*) ac NESTERI (*d*).

b) *Mucosus* autem, albarum ani hæmorrhoidum instar, per initia ex intervallis affligit; sensim vero habitualis factus evadit assiduus. Hinc DETHARDING (*e*) „statas (inquit) raro servat periodos; sed irregulari „typo incedere solet: in quibusdam sine in„termissione continuat, plurimam tamen par„tem sua admittit temporum intervalla. Haud „itidem sub una quaque urinæ exclusione ob„servatur, quin hæc quandoque limpida exi„stat, tempore tamen matutino, sommo no„cturno exantlato, præsertim visui sese exhi„bere solet.“ Sic unus (*f*) illius ægrorum fluxum hunc a principio ex intervallis patiebatur,

(*a*) Obs. med. chirurg. 35.

(*b*) Vide §. 19.

(*c*) Vide §. 17.

(*d*) Ibidem.

(*e*) L. c. p. 783.

(*f*) Vide §. 18. B. Nro. 4.

batur, donec ſenſim continuus evaſiſſet, alterum (*a*) quoque aſſiduo afflixit. HENCKELII (*b*) perinde ab homine bis quotidie (uno tamen vel altero ſubinde die intercurrente vacuo), idque horis non matutinis, ut in HOFFMANNI (*c*) quinquagenario; ſed meridianis, ac veſpertinis mucus cum lotio reddebatur; alteri autem HOFFMANNI (*d*) viro mucoſæ excretiones 8va vel 10ma quaque hebdomade recurrebant.

4. *Modus* denique hujus excretionis varius eſſe poteſt, quo lotium cum ſanguine, vel muco ex veſica exigitur. Sæpenumero enim accidit, ut primis vicibus ſolus ſanguis ſine ulla urina mingatur, ut in GABELCHOVERI (*e*) febricitante, HENCKELII (*f*) ſene ac NESTERI (*g*) ægro, pluribusque aliis: quandoque cruor lotio permiſtus redditur, velut in GOHLII (*h*), & GRASSII (i) ægris: ali-

(*a*) Ibid. Nro. 1.
(*b*) Ibid. Nro. 3.
(*c*) Vide §. 18. B. Nro. 4.
(*d*) Vide §. 19.
(*e*) Vide §. 18. B. Nro. 1.
(*f*) Ibid. Nro. 2.
(*g*) Vide §. 17.
(*h*) Vide §. 18. B. Nro. 4.
(*i*) Vide §. 23.

aliquando autem eodem ſub mictu ſanguis primum erumpit, quem deinde lotium conſequitur. Sic H. SAXONIAE (*a*) nobilis Patavinus per 5 annos ex intervallo copioſum ſanguinem ſponte, ſubitoque ante urinam mejebat; quod ipſum REINESIUS (*b*) de ſuo Paſtore narrat. Videntur nempe varices hæmorrhoidales ſub veſicæ a fundo verſus orificium contractione ab lotio deorſum preſſo crepantes ſuum prima vice ſanguinem eructare, quo demum ſubſiſtente urinæ primum exitus conceditur. Subinde varices dictæ ipſum orificium veſicæ obſident; atque tunc eo promtius ante lotium erumpit ſanguis: id quod VAN DER HAARII (*c*) caſus abunde commonſtrat. De muco autem nil dum ſimile ab obſervatoribus eſt connotatum.

§. XIII.

II. DOLOR tenſivus, aut preſſorius in veſica, partibusque ei connexis haud raro percipitur, in his ante mictum; in illa præſertim ſub ipſa mictione. Doloris hujus cauſa multifaria eſſe poteſt, nempe vaſorum hæmorrhoidalium infarctus, & vel maxime veſicæ ſpa-

---

(*a*) Pract. L. 3. C. 40,

(*b*) Vide §. 27.

(*c*) Vide §. 26. a).

ſpaſmus, de quo inter ſymptomata mucoſarum veſicæ hæmorrhoidum agens DETHARDING (*a*) „hæc inter (ait) præcipuum eſſe ſolet ſpasmodica collum inprimis veſicæ, & „ſphincterem tangens conſtrictio ingentibus „ſubinde doloribus conjuncta, & non raro „per urethram ſe diffundens. Sub his circumſtantiis parva ſatis muci quantitas profluere „ſolet, dum orificia vaſorum coarctantur, & „criſpaturam quaſi induunt." Interea tamen non albis modo; verum rubris etiam veſicæ in hæmorrhoidibus dolor e veſicæ collo in urethram ſe diffundit, ſiquidem ad penem usque NESTERI (*b*) in viro hæmaturiam paſſo ſe extenderat. Nonnullis dolor ab ano ortus per perinæum ad veſicæ usque collum, imo ad penis usque glandem propagatur, idque in rubris non minus, ac mucoſis veſicæ hæmorrhoidibus; mercator enim GRASSII (*c*) hæmaturiam paſſus, quoties ad matulam cogebatur, ſenſum prius calidi humoris cum dolore, ac teneſmo a recto per perinæum, & collum veſicæ, ac urethram uſque ad glandem penis penetrantis percipiebat. Ejusdem modi autem dolorem in mucoſo quoque morbo obtinere notat SELIGMANN, cujus ſolius ope a go-

---

(*a*) L. c. p. 783.

(*b*) Vide §. 17.

(*c*) Vide §. 23.

gonorrhœa diſcerni poſſit (*a*): „præſertim „vero adeſt (inquit ille) dolor lumborum „ad anum tendens, dolor lancinans cum ſen- „ſu ardoris, & tenſionis ab inteſtino recto „per perinæum ad ſphincterem veſicæ vergens, „ibique quaſi moram trahens, ſenſus preſſio- „nis, ponderisque in perinæo, id quod (ut „exercitatiſſimus hujus urbis in arte medicus „me certiorem fecit) fere ſignum pathognomi- „cum conſtituit ad hunc morbum a gono- „rrhœa diſtinquendum.“ STORCHII (*b*) autem mendica hæmaturiam nacta dolorem circa ſolam veſicam experiebatur; atque hic idem in mucoſo quoque ſtatu obſervatur, qui licet non acutus, ſed preſſorius tantum ſit; uſque adeo tamen gravis eſſe aliquando conſuevit, ut ægri illi ferendo non ſint. Luculentum hujus rei exemplum narrat C. PEZOLDUS (*c*): Sutor 59 annorum, melancholico cholericus, macer, poſt juventutem boreali in frigore cibis ſalſis, craſſis, ac viſcidis ſuſtentatam, in qua ſubinde in conſortiis immodice bibens frequentes patiebatur cephalalgias, ac narium hæmorrhagias, phlebotomiis tamen cedentes, & arcendas, deinceps vitam ſedentariam, parciſſimique potus, cum cibis acribus, dyſpe-

ptis,

(*a*) L. c. §. 7. p. 19. ſq.

(*b*) Vide §. 19.

(*c*) Obſ. med. chirurg. 28. & 29.

ptis, ac lentis, flatulentisque iniens, & ad iram, mæstitiamque pronus, cum alvi quoque insuper obstructioni obnoxius fieri cœpisset; cœcas hæmorrhoides adeptus est, eo cum commodo, quod ex hoc tempore cephalalgiæ, nariumque hæmorrhagiæ desierint. Quapropter inutiles jam fore Væ Ses ratus, eas triennio neglexit, licet crebri circa ver, & autumnum capitis, pectorisque catarrhi, velut molimina pristinarum affectionum, recursarint. A. 1700 mensibus Sept., & Octobr. gravi iterum, longaque tussi corripitur, donec phlegmatorrhagia narium secuta eam levasset, ac magis etiam sumta abhinc post præmissum purgans diapnoica, & pectoralia; levis tamen adhuc tussicula superstes metum phthiseos a medico, nescio quo, incussum fovebat, usque dum 14a Octobr. noctu modicum sanguinis floridi æger tussiendo ejecit non sine artuum lassitudine, pedum, & crurum frigore, faciei contra æstu, ac rubore, triduique alvi obstructione, quam cum reticuisset sutor, imperata Væ Se tantum ei metum injecit, ut in eclysin laberetur. Sub hac soluta alvus cum stricturæ ventris levamine. Secta dein brachii vena, pediluvia tepida adhibita, datique ℥es ex corall. r., lap. 69, cinnab. nec non conserv. ros., quibus gravius urgente tussi sem. hyosc. albi parca dosi junctum, additæ & congruæ potiunculæ. His 20ma Octobr. hæmoptoe prorsus desiit, ac non multo post etiam tussis. Verum nec frigore artuum inferiorum, nec cibis crassis, lentis, cru-

crudisque dehinc vitatis Martio A. 1703 in bubones primum, tum 19na April. in tridui incidit iſchuriam cum dolore, ac duritie circa veſicam. Pharmacopœus calculum adeſſe ratus dat purgans, & ℞am ♀ri, a queis lotium motum tam viſcoſum, ut in fila duci potuerit, ſubſidentibus una in fundo vitri citra ſabulum corporibus albicantibus, lumbricos conſpicuæ magnitudinis æmulantibus. Facies ſutoris e flavo virescens, & ſæpius jam hæmorrhoides cœcæ prius toleratæ ſatis docuere, mucoſam hanc urinam ad mucoſas veſicæ hæmorrhoides pertinere, quas 2da Maji, libera prius lotii excretione reddita, conſecutæ ſunt cœcæ ani hæmorrhoides conſpicuæ. At cum homo ab eſu caſei, aliorumque lentorum, ac dyſpeptorum non abſtinuiſſet, iterque A. 1707 Aprili ventoſo, ac frigido ſuper navi ſuſcepiſſet, a perfrigeratione incidit rurſus in iſchuriam, & alvi obſtructionem. Inſeſſibus, enematibusque urina mota quidem, at pallida, & aquoſa cum longis filamentis mucoſis ſemper adhuc, ut prius, procedebat, donec ſemeſtri ante obitum involuntarie, ſemperque preſſorio cum dolore ſtillaſſet. Nam Auguſto A. 1711 poſt diuturnam dyſorexiam corripiebatur magna virium proſtratione, debili pulſu, ſingultu, pedumque tumore, urina preſſivo illo cum dolore ſtillante, glutinoſa, ac viscida, queis in fine morbi fuscæ, cruentæque dejectiones ſe junxere. Hæc ſymptomata die 10 morbi mors finivit, ægro in agone de ſolo illo preſſorio, non acuto dolore

lore

lore conquerente, poscenteque noviſſime, ut cuneus ille premens auferatur. In cadavere veſica diſciſſa anguſtior, craſſiorque reperta; in ejus cavo ne granulum quidem ſabuli, nedum calculus inventus; at circa collum interius utrinque tumor durus detectus, in quo diſciſſo ſimilis glutinoſa materia, qualis cum lotio excernebatur, eſt inventa.

§. XIV.

III. MICTURITIO, *dyſuria*, *iſchuria*, tam rubris, quam mucoſis veſicæ hæmorrhoidibus ſolennes, quippe quas vel vaſorum infarctus, varicesve, vel ſanguis, mucusve in cavum veſicæ effuſus, ac præſertim per moram coactus cauſant, videlicet nervos irritando, & viam pro exitu arctando, orificiumque veſicæ obturando. Sic *micturitio* crebra moleſta fuit ægris DETHARDINGII (*a*), & HOFFMANNI (*b*) quorum ambo mucoſas veſicæ hæmorrhoides perpeſſi ſunt; *dyſuria* porro accidit GRASSII (*c*) mercatori, & HENCKELII (*d*) homini, ac SCHMUCKERI (*e*) miniſtro ſtatuum,

(*a*) Vide §. 18. B. Nro. 4.

(*b*) Vide §. 19.

(*c*) Vide §. 23.

(*d*) Vide §. 18. Nro. 3.

(*e*) Vide Tom. II. §. 115. Nro. 3.

rum, nec non viro NESTERI (*a*); *ischuria* denique laborarunt, & quidem a grumoso sanguine vesicæ orificium obturante, ægri GABELCHOVERI (*b*), ac JOERDENSII (*c*); a muco, & polypis PEZOLDI (*d*) sutor; a varicibus denique orificium vesicæ obsidentibus VAN DER HAARII (*e*) vir. Interea tamen in rubris hæmorrhoidibus vesicæ sæpe nulla sensibilis moleſtia in mejendo ægros fatigat, quemadmodum in ægro apud VAN DER MONDE (*f*) obtinuit, plurimisque aliis obtinet.

CAPUT VI.

DIAGNOSIS.

§. XV.

I. ABSOLUTA. *diagnosis* utrarumque vesicæ hæmorrhoidum obtinetur, si

1. *Cau-*

(*a*) Vide §. 17.

(*b*) Vide §. 18. B. Nro. 1.

(*c*) Ibidem.

(*d*) Vide §. præced.

(*e*) Vide §. 26. a).

(*f*) Vide §. 10.

1. *Causæ* illarum præviæ rite fuerint perveſtigatæ, cognitæque (*a*); ſi porro

2. *Symptomata* hæmorrhoidum tum communia (*b*) adfuerint; tum hæmorrhoidibus veſicæ propria (*c*); ſi denique

3. *Causæ*, *&* *ſymptomata* morborum aliorum analogorum characteriſtica abfuerint.

§. XVI.

II. RELATIVA autem habetur, dum abſoluta hæmorrhoidum veſicæ diagnoſis confertur cum ſingularum ſeorſim hiſce affinium morborum diagnoſi: præcipui autem, cum queis confundi hæmorrhoides veſicæ poſſent, morbi ſunt, qui ſequenti in ſerie continentur, & quidem

A. *Hæmorrhagiæ* viarum urophorarum.

1. *Hæmaturia renalis.* Verum in hac præter defectum ſymptomatum hæmorrhoidalium tam communium, quam hæmorrhoidibus veſicæ propriorum ſanguis quoque excretus

(*a*) Vide §. 3. ſqq.

(*b*) Vide §. 11.

(*c*) Vide §. 12. ſqq.

tus & fluidior eſt, & lotio intimius mixtus, id eſt tardius matulæ fundum petens.

2. *Stymatoſis*, at in hac ſanguis non ex veſica; ſed urethra erumpit, ſine lotio, & ſine mejendi niſu, imo ſine voluntatis imperio.

B. *Sedimenta alba* urinarum varia facile hæmorrhoides albas quandoque mentiri poſſunt, ita ut pro muco hæmorrhoidali ea quis haberet; ſed inter utraque diſcrimen produnt excreti dotes nativæ (ut odor, ſapor, ductilitas, &c.), copia, tum ſymptomata vel propria, vel aliena, denique cauſæ prægreſſæ. Hinc

1. *Mucus* non hæmorrhoidalis cum lotio excretus pro varietate cauſæ illum præbentis varie quoque ab hæmorrhoidali dignoſcitur. Solide hac in materia SELIGMANNUS (*a*) verſatus eſt, varietates hujus muci rite diſtinquens. Sic ſi proventus muci ſit:

a) *Spasmodicus*, docent id

α. Cauſæ prægreſſæ v. g. diuretica acria aſſumta vel applicata, præſertim cantharides.

β. Sym-

(*a*) L. c. Sect. 3. §. 9.

β. Symptomata hæmorrhoidalem ſtatum prodentia nulla.

γ. Muci excretio nec copia, nec tempore cum hæmorrhoidali ſtatu congruens.

b) *Calculoſus*, hoc produnt

α. Symptomata hæmorrhoidalia abſentia ex toto; niſi forte ſtatus calculoſus fuerit cum hæmorrhoidali (ut fit) complicatus: atque tunc lucem affundit

β. Calculi præſentis detecti per ſua criteria cognitio, ac præſertim

γ. Mucus calculoſorum fœtidus, & a ſabulo ſibi admiſto opacior hæmorrhoidali, quod muci libero in aere exſiccatione in forma calcis albæ obtinetur, ut capto hujus rei tentamine A. HAEN (*a*), & I. A. MURRAY (*b*) viderunt.

c) *Gonorrhoicus*, illi cognoſcendo ſufficiunt eadem, quæ ante de ſtymatoſi dicta ſunt; & dum lotio etiam ſub mictu ſeſe miſcet; huic in forma filamentorum exilium innatat,

(*a*) Rat. med. P. 5. C. 5. §. 6.

(*b*) Comment. de arbuto uva urſi. Sect. 3. §. 6. p. 47.

natat, dum hæmorrhoidalis mucus in grandiorem collectus maſſam fundum vaſis urinalis petit, nihil ut dicam de cauſis gonorrhœæ benignæ prægreſſis manifeſtis (quæ ut plurimum ſunt; onania diu, crebroque exercita, gonorrhœa virulenta prægreſſa, arthritis anomala, &c.), & abſentia ſtatus hæmorrhoidalis

2. Pus autem ex ulceribus, renum, ureterum, veſicæ, &c. cum urina emictum ab hæmorrhoidali muco discernunt complura; nam

α. Status hæmorrhoidalis plerumque abeſt; niſi forte hic ipſe ulcera veſicæ, & ani cauſaſſet, vel ſe iis complicaſſet. Porro

β. Pus & paucius eſt muco dicto, & opacius, & prunis injectum peſſime fœtet.

γ. Cauſæ quoque ulcerum prægreſſæ, atque ſolennia eorundem ſymptomata præſentia non parum ambiguitati tollendæ lucis afferent.

3. *Chylus* in diabete vero urinæ junctus perinde ab hæmorrhoidali muco multum diſſidet, a quo illum imprimis diſtinquunt (*a*).

α.

(*a*) Conferatur meus commentarius de diabete §. 46. p. 89.

α. Copia longe major, quam qua mucus hæmorrhoidalis excerni solet; tum

β. Tempora excretionis stata quotidie post chyli confecti in sanguinem trajectum.

γ. Dotes omnes chyli; color proinde griseus, dulcis sapor, ductilitas in fila nulla, at maxima cum lotio miscibilitas, tardissimusque ab eodem secessus, &c. ac denique

δ. Macies cita; quam hæmorrhoides vesicæ mucosæ longe tardius inducunt. Mirum est, potuisse a DETHARDINGIO (a) hos duos morbos confundi!

4. *Creta* denique, aut calx arthritica cum lotio reddita a muco hæmorrhoidali optime per experimenta chemica instituta discernitur.

CAPUT

(a) L. c. Schol. ad §. 4.

CAPUT VII.

PROGNOSIS.

§. XVII.

I. CURABILITAS ceteris paribus major eſt in rubris; quam albis hæmorrhoidibus veſicæ; perinde nimirum, ac in duplici hoc fluxu ex ano obtinet. In albis enim veſicæ hæmorrhoidibus, ut recte SELIGMANN (*a*) animadvertit „ubi recens adhuc eſt malum, & hæmo„rrhoides ex ano rite antea fluxerunt, eæque „nec diu ſuppreſſæ fuerunt; ætasque, & vi„res bene adhuc vigent, medelam omnino „non reſpuit; quin vel radicitus forte diſpo„ſitio hæmorrhoidalis auferri poteſt, vel ſal„tem non ægre ad ſedem naturalem revocan„tur: ubi vero jam altius egit radices, & in „conſuetudinem quaſi erronea hæc excretio „jam venit; ubi hæmorrhoides nunquam an„tea legitimum obſervarunt decurſum, aut „diu jam ſuppreſſæ fuerunt; ubi vires naturæ „in chronicis alias morbis ſummum curæ per„ficientes male opem ferunt; tunc malum „plerumque doctam ſuperat artem: difficili„mum enim eſt, negotium hæmorrhoidale re„lu-

(*a*) L. c. §. 12. p. 26.

„luctante natura in ordinem iterum revocare, „nihilque ad summum jam medico superest, „quam excretiones modum excedentes tem„perare, symptomataque urgentia lenire. Id ipsum in ani quoque mucosis hæmorrhoidibus verum esse vidimus. Quin imo hæc eadem albarum hæmorrhoidum vesicæ prognosis rubris etiam per omnia convenit; quam enim ardua sæpe sit res, id genus hæmaturiam hæmorrhoidalem persanare, uno, alterove allato casu juvabit ostendisse. I. M. NESTERI (*a*) familiaris vir 53 circiter annorum, sanguineo-melancholicus, obesus, in malum hypochondriacum pronus, a plurimis retro annis moderatum, ac periodicum hæmorrhoidum fluxum summa cum euphoria passus, isto ultra 3 annos non reverso, ante biennium in autumno corripiebatur horrore, & æstu febrili cum inflammatorio tonsillarum tumore. Demtæ ex læva mediana circiter ℥v sanguinis cum levamine. Sequenti autem nocte eminxit ultra ℔j sanguinis puri sine ulla vel gravitate, vel tensione, vel dolore circa jecur, renes, ureteres, vel pubem; per 3 dies insequentes reddebat lotium carnium loturæ simile, cum acutissimis in pene doloribus; interdum urina guttatim cum tenesmo reddebatur. Post varia lythontriptica cum internis, externisque emollientibus, quod calculus adesse crederetur, in-

(*a*) Misc. nat. cur. dec. 1. ann. 8. Obs. 23.

incassum adhibita demum cum summo cruciatu, & ardore ima in pube, ac circa penem varios magnos, & oblongos instar jecoris lucii piscis grumos sanguinis mictu ejaculabatur, queis excretis dolor ocyus desiit, & urina postea clara, citrina, diaphana, sine ullo cruore evadente æger ex integro convaluit, ratus se deinceps mali fore immunem. At post bimestre dolorificus mictus rediit, & abhinc ex intervallo 2, vel 3 mensium, aut longiori etiam recursabat: sanguis primum floridus, & sine lotio, ac sine lumborum dolore prodiens mox in grumos abibat; hunc sequebatur niger cum copioso lotio, dysuria, ac tenesmo, nec vel fluxus, vel dolor prius conquiescebant; quam congrumato in vesica sanguine frustulatim excreto. Incredibilis fere sanguinis copia ita exonerata est. Frustra varia sanguinem cohibentia, & consolidantia data, inter quæ decoctum contra hæmaturiam MYNS.; troch. de carab., imprimis ℞a 🜂 ⊕lis MICHAEL. Ad sanguinem autem coactum resolvendum datum decoctum rad. rub. tinct., asparag., cum syr. de alth. FERN., oxym. squillit., ol. amygd. dulc. rec. expr., lap. 69; &c. Ad sanguinis æstum, & acre corrigendum exhibitum apozema e decocto malv., portul., plantag., nymph., burs. pastor., sem. 4 frig. maj.; c. syrupo portul., violar., tragacant., & troch. GORDON &c. V. S. prophylactice, ac therapeutice in dextro brachio facta; sed quo sæpius hæc facta, eo copiosior fiebat hæmaturia. Nec utilius admotæ ano hirudines:

Idcirco morbus contumax relicta omni medicatione sibi relictus ex intervallis porro redibat. Appellenti fluxui præludebat omnium artuum lassitudo, & gravitas cum melancholia; eoque cessante æger hilaris factus integerrima fruebatur sanitate. Ejusdem erat contumaciæ mictus id genus cruentus in observatione H. L. BEKERI. apud C. C. ENGEL (*a*): nempe Senator 70 annorum sanguineo-cholericus, laute vivens, veneris in juventute appetens, 24to ætatis anno a crebra, fortique equitatione scrotalem herniam nactus, 33. anno uxore ducta, ante 20, & amplius annos adeptus est hæmorrhoidum fluxum minus regularem, quo sponte iterum cessante ante 6 circiter abhinc annos incidit in hæmaturiam primum indolentem, arti tamen diu rebellem, & aliquoties reversam, quandoque sat diu, imo semestre etiam durantem, donec desiit. At post modo iterum sæpius ad leves vel corporis, vel animi motus recursare cœpit, utut transitoria. Urina tunc sat copiosa, facileque missa, floride rubra, lintea rubedine tingens, deposito autem sensim sedimento rubello clarescebat. Subinde levis stranguria, vel ardor urinæ se junxit, subinde flatus vexabant, neque raro æstus internus, fugax, somnum tamen turbans. Hac quoque vice

(*a*) Specim. med. & Sylloge epist. Nro. 1. p. 113. sqq.

viee omnia remediis cessere, graviora aliquanto post reditura. Et vero media anni insequentis hyeme prehendabatur æger catarrhali febre cum tussi, nova hæmaturia, & crebra noctu imprimis micturitione, ac sub mictu urethræ ardore, alvoque per intervalla obstructa, omnia semper symptomata exasperante. Urina nocturna ex atro rubebat a sanguine; per vices etiam grumi sanguinis excreti. Aliquanto inde post orto tenesmo singulis dejectionibus mucum paucum instar ranarum spermatis egerebat. Postmodo etiam cœcæ hæmorrhoides obortæ in ano, sed intra paucos dies idoneis remediis mitigatæ. Hæmaturia demum quovis mense redibat. Flatus in ipsum subinde penem acerbissimo cum dolore irruebant. Interdum in lævi pedis digitis dolor arthriticus enatus, & manuum articuli paulo rigidiores visi. Post innumera efficacissima remedia incassum adhibita, nec nisi breve semper levamen afferentia, demum omnibus his miseriis finem mors attulit. STORCHII (*a*) quoque in mendica morbus se se curari non sivit, sibique fuit relinquendus.

§. XVIII.

(*a*) Vide §. 19.

§. XVIII.

II. EFFECTUS hujus ægritudinis duplicis ſunt generis: boni alii, ac ſalutares; alii pravi, ac plerumque funeſti.

A. *Boni* ſunt: ſpectata ipſa humoris ad vaſa, & cavum veſicæ confluentis vacuatione, qua facta ſymptomata illam antecedentia tolli vel pro tempore, vel in perpetuum, ſi nempe nullus amplius novus illuc affluxus humorum contingat (id quod oppido rarum!) ſolent. Pro tempore tantum ſymptomata levabantur in mercatore GRASSII (*a*), & homine HENCKELII (*b*), donec novus vaſorum infarctus enatus priſtina hæc mala revocaverat. Quemadmodum autem hæmorrhoides ani mucoſæ ſemel, bisve tantum apparentes evacuata omni materia ad vaſa recti congeſta non amplius abhinc rediere quibusdam in ægris, velut in amico STORCHII, (*c*); ita etiam in veſicæ id hæmorrhoidibus mucoſis evenire poſſe haud improbabile eſt, ac forte hoc ipſum eſt, quod G. BAGLIVUS (*d*) aliquando obſervavit, nempe

(*a*) Vide §. 23.

(*b*) Vide §. 18. B. Nro. 3.

(*c*) Vide hiſtor. hæmorrhoid. albar. §. 4. No. 2.

(*d*) Prax. med. L. 1. Cap. 9. de calc., & podag. p. m. 117.

pe „arthriticus quidam Romæ excrevit urinam „crassam, & copiosam, quæ paulo post in „consistentiam gelatinæ coagulata fuit, & ita „liber evasit arthritide.“ Si arthritis illa anomalis hæmorrhoidum motibus ortum debebat (*a*), & urina postmodo gelatinosa mucosæ reipsa indolis fuit; quid vetat credere, hanc excretionem arthritidi illi hæmorrhoidali criticam perinde ex hæmorrhoidalibus vesicæ vasis contigisse? neque aliorsum etiam spectare existimo catarrhum illum vesicæ ab I. LIEUTAUD (*b*) ita dictum, & observatum in juvene, qui vix ex ephebis excedens superata 14 dierum febre rheumatico-arthritica post 7 inde dies in aliam incidit febrem ab horrore exorsam. Hac vigente dolorem in epigastrio natum continuo sequebatur stranguria. Lotium erat turbidum; sed procedente morbo ponebat uberrimum sedimentum subalbicans, mucosum copia ejus in dies adeo crescente, ut demum $\frac{1}{4}$ lotii excesserit. Febris typo catarrhalium serotinis horis recrudescens circa 14 diem conquievit, lotio in bimestri pene adhuc deinceps procedente crassissimo, non sine virium, carniumque jactura, ut marasmus metueretur, donec sub solo congruo regimine sine ullis re-

---

(*a*) Vide Tom. I. §. 53. III. A. Nro. 2. l.) &c. §. 33. c. a.

(*b*) Synops. univers. prax. med. P. 1. L. 1. S. 4. Cap. de catarrho vesicæ. p. m. 272. sq.

remediis sponte demum excretio hæc p. n. desiisset. At mehercle hæc rara sunt!

B. *Mali* vero effectus pendent potissimum ab infarctu vasorum in collo vesicæ sensim magis, magisque invalescente, ac habituali demum effecto, humorumque in iis stagnantium, ac vel maxime muci degeneratione, unde spasmi vesicæ, ac tumores, extravasationes humoris in ejus cavum, micturitio assidua, ac dolores, lotiique excernendi vel difficultas, vel impotentia &c. Ex his vero pessima quæque, videlicet

1. *Ischuria* plerumque funesta, vel ob diuturnitatem, vel frequentiam. Ita DETHARDING (*a*) narrat sibi „obtigisse casum in ægroto „sexagenario, qui olim hæmorrhoides cum „euphoria expertus abhinc ex vita sedentaria, „& mœrore gravi ultra annum nil harum præ„ter molestam pressionem quandam circa os „sacrum, & vesicam cum leni stranguria sen„serat. Hic prævio dolore obtuso circa con„finia vesicæ urinariæ tandem cum lotio emit„tebat mucum gelatinosum urina albidiorem, „& post quietem fundum petentem: quod „vero ab hac exclusione se aliquo modo le„vatum percipiebat, illam sibi salutarem ra„tus monita, & remedia . . . proposita asper-

„na-

(*a*) Diss. cit. Schol. ad §. 7. p. 787.

„nabatur ſtrenue: donec gliſcente pedetentim „malo, accedente veſicæ ſpaſmo, ſtranguria, „& intercurſantibus motibus febrilibus opem „medicam efflagitaret. Nec irrita eadem vi-„debatur; debitis etenim adhibitis auxiliis e „fonte chirurgico, pharmaceutico, & diæte-„tico petitis hæmorrhoides denuo apparebant „cum ſenſibili muci ex veſica profluentis, & „ſymptomatum eundem comitantium imminu-„tione; huc vero negotium redigi non pote-„rat, ut plane ceſſaverit, ut potius ſilentibus „per intervalla hæmorrhoidibus manifeſto „recruduerit proventus mucoſitatis. Tan-„dem æger diuturnitatis morbi pertæſus am-„plectendo curationes empyricas iſchuria, & „caro ſuccubuit.“ Id ipſum etiam in rubris veſicæ hæmorrhoidibus vel ab infarctis ad orificium ejus vaſis, præſertim varicoſis factis, vel a ſanguinis grumis orificio incuneatis W. GABELCHOWERI (*a*) vir 76 annorum, ſedentarius, ex ſubſiſtente hæmorrhoidum internarum fluxu, quem ſæpius expertus fuit, incidit in graviſſimam febrem cum 5 dierum iſchuria, virium proſtratione, crebris rigoribus, ſiti non ſedanda, æſtu, & ardore alvino, fecumque fœtidarum, nigrarum, & cruentarum dejectionibus, lateris dolore, ac ſputo, vomituque cruentis. Indito veſicæ blande cathetere, pro lotio erupit ſanguis floridus

(*a*) Curat. & Obſ. med. Cent. 6. cur. 50. p. 116.

dus, coactus in grumos, tanta fere copia, quæ brachio demi solet. Ab adhibita medela cum nulla coctionis apparerent signa, nocte ante 11um diem supervenit dyspnœa, oculorum mador, & caligo, tremor, insultus anticipatio, duratio, & vehementia prioribus paroxysmis major, pulsu facto inæquabili, inordinato, ac minimo. Tandem prodit urina copiosa, nigra, & cruenta, alvusque fere lotio similis egesta: urgebat inexpugnabilis tenesmus. Viribus exhaustis aeger 5a vespertina 11mo morbi die periit, qui pernici equitatione in dissitum praedium haemorrhoides tum fluentes attritu ephippii (oborta forte inde inflammatione) cohibuit, atque inde in fatalem hanc prolapsus est febrem, sanguine haemorrhoidali in vesicam converso. Porro C. F. JOERDENS. (*a*) meminit cholerici 48 annorum, qui post maxima in juventute diaetae vitia multos annos podagricus & calculosus fuit, & subinde haemorrhoides ani, varices indolentes, citra ullum unquam fluxum, nactus est. Is dum ante 6 annos magno incendio exstinguendo, suisque rebus salvandis laborem impenderet, repente copiam sanguinis eminxit, hicque mictus abhinc subinde, praesertim praegressis haemorrhoidum cœcarum vestigiis; revertebatur. Cum vero hanc hæmaturiam una,

(*a*) Act. nat. cur. Vol. 5. Obs. 107.

una, alterave vice dolores etiam nephritici comitarentur; simulque minores calculi excernerentur; alii ab horum læsione, alii contra a ruptura vasis rubri sub incendii labore hæmaturiam repetebant. Sed cum illa dein sæpissime rediret a levissima sanguinis ebullitione, vel iracundia, vel podagrico, nephriticove malo, viresque minueret; consultus auctor expensa re nil nisi anomaliam esse hæmorrhoidalem ratus, Væ Ses æquinoctiales & alias etiam consulebat, apparentibus autem tuberculis ani hirudines admovendas, ut sic nisum sanguinis a vesica ad anum traduceret, non neglectis & aliis pro re nata remediis. Verum nil aliud hinc obtentum; quam quod hæmaturia biennio, quoties rediit, fuerit perquam moderata. Hujus pertæsus æger alterius medici poposcit auxilium; sed ab hujus remediis hæmaturia immodica evasit, vix moderanda, nedum cohibenda. Sanguis in vesica coactus causabat ischuriam subinde ultra 24 vel 48 horas durantem summis semper cum doloribus. Sæpe coagula puri sanguinis urethræ impacta æger obtusiore stilo frustatim comminuere ad facilitandam eorum expulsionem cogebatur. Frequentiora his etiam fuere concrementa pituitosa ac ferme innumera, polypis cordis, ac majorum vasorum simillima, quæ nonnisi cum lotio copiosiori impetuosius excernendo foras propelli poterant. Ex plurimis incassum adhibitis optime profuit equisetum, quo & hæmaturia ad tempus cohibebatur, & polyposa illa concrementa

eva-

evanuere. Verum tamen æger ſenſim ſuperioribus membris contabescebat, pedibus tantum œdemate tumentibus; febricula lenta, profuſique ſudores maciem auxere, donec demum exhauſto corpore, ac viribus æger vivere deſiit.

2. *Cyſtitis* plerumque etiam funeſta, a ſanguine veſicæ vaſa uberius farciente cum inflammatorio ſtimulo. Hujus quidem perniciem effugit GRASSII (*a*) mercator; non item C. HELWICHII (*b*) vir prope ſeptuagenarius ſanguineo - cholericus, venis amplis, turgidisque præditus, vitæ ſedentariæ, & craſſis cibis a pueritia deditus, qui a multis abhinc ſemel, iterumque hæmorrhoidum fluxum nactus, iſto ſubſiſtente in podagram, & ex hac emanente in atrocem aliquot hebdomadarum dyſenteriam incidit, ac tandem ante 3 annos ſanguinem mejere cœpit, copioſum, purum, & craſſum, & ſine ullo dolore, vel tenſione, vel pondere circa renes, ureteres, veſicam, & ſine ullis aut calculi, aut labis in viſcere indiciis. Dein per aliquot dies loturam carnium eminxit. Ante 2 annos aliquoties iterum periodis menſtruis hæmaturia recurſabat. A. 1701 tempore verno id ipſum per plures, quam ante, menſes evenerat. Cum renes ulceroſi eſſe crederentur, data balſamica; at ſine levamine.

(*a*) Vide §. 23.

(*b*) Miſc. nat. cur. dec. 3. ann. 9. Obſ. 119. p. 219.

vamine. Hæmaturia facta profusa, & assidua, ægro plenas matulas emingente sanguinis meri, crassique sine ulla urina, consultus auctor edocuit, illum non a calculo, sed hæmorrhoidibus esse: his proinde jussit admoveri hirudines, maneque bibi calidum decoctum equiseti, & succum urticæ ter de die cum jusculis sumi, ac vesperi præbendum esse ℥is nitrosi ℈j ex decocto voluit. His intra 8 dies cohibita hæmaturia. Verum lapso vix mense, reversæ angustiæ præcordiorum, dolor in pube, ac radice penis, dysuria, tenesmus. Ad nova hæc molimina hæmorrhoidum vesicæ dissipanda imperantur denuo hirudines, & pristina remedia; quæ cum renuisset æger, hæmaturia impetuose erupit. Consulti abhinc alii medici. Phlebotomia pedis fluxum auxit. Ab adstringentibus varie, multumque adhibitis nil opis; sed pes lævus insigni tumore duro, & rubente inflatus est, unusque testium distendi, ac laxius propendere cœpit. Tumido in pede fonticulus excitatus gangrænæ periculum minabatur, auspicato tamen propulsatum. Demum & acidulas frigidissimas haurire æger cœpit, unde in ischuriam incidit. Revocatus quidem remediis cum sanguinis, cum lotii fluxus; at dolor inflammatorius in collo vesicæ mansit ad omnia remedia contumax cum pulsu febribus inflammatoriis solenni, qui prius ne in pessimo quidem morbi statu febrilis est repertus. Obiit æger eodem anno 25 Decembr. procul dubio e gangræna vesicæ inflammatæ.

3.

3. *Incrassatio, ulcus vesicæ.* Incrassationis exemplum præbuit TRZOIDI (*a*) sutor, ulceris autem lethalis I. F. HENCKELII (*b*) vir 50 annorum, carnosus, sanguineo - cholericus, athleticæ sanitatis, vino venerique usque adeo deditus, ut ad hanc conquisitis undique aphrodisiacis uteretur. Hic ante biennium post enormem crapulam, eique postridie succedentem diarrhœam vehementem correptus est uberrimo hæmorrhoidum fluxu, quem ad vesperam sponte cessantem rursus excepit diarrhœa, atque hanc etiam post biduum desinentem continuo secuta est colica spasmodica, dolore colum, & mesenterii centrum, regionemque dorsi ei oppositam affligente, qui sensim in artus, ac musculos inde propagatus ad anxietates quandoque, ac lipothymias usque increscebat, simulque coortæ turbulentæ alvi dejectiones, tenesmodes quotidie quidem numerosæ, jam tamen parciores, ac segniores; jam copiosiores, celerioresque. Urina rite procedens successive ponebat sedimentum flavescens, albicans, subtus glutinosum, quod igne probatum nil calculosi exhibuit, nilque doloris causavit. In orthostadia plerumque hactenus æger constitutus & itinera sat molesta subinde confecit, & vino, epulis, venerique per aphrodisiaca,

(*a*) Vide §. 13.

(*b*) Act. nat. cur. Vol. 4. Obs. 79.

disiaca, ut ante, vacabat: donec intra annum morbus evasisset gravissimus. Spasmus ille abdominis, alias tolerabilis, ac transitorius, nunc continuus, & adeo rigidus evasit, ut in pedes, manusque & circa scapulas insuper irruens anxietates non ferendas, & acerbissimos dolores crearit, ac 3 fere septimanas ita afflixerit. Hinc anorexia, vigiliæ, debilitas, macies, at sine febre. Alvus ante dicto modo varians fecibus, utut plerumque paucioribus, scybalosis, per intervalla tamen nimium lubricis, & oleo quasi inunctis, sedibus plus justo semper numerosioribus. Flatus indomiti jam incarcerati, pressorii, ac molestiores; jam borborygmodes ad spasmos, & lipothymias si non duplum, multum certe facientes. Ex hoc decubitu qua remediis qua tempore eluctatus quidem, sed ita, ut ne priorem quidem tolerabilem illam orthostadiam attigerit, manente nempe materiæ malignitate, ac spasmis per intervalla sævientibus, imo ingravescentibus, ut æger inde morosus evaserit. Ex dorso sentiebat nescio quid versus os sacrum de loco in locum progredi. Spasmi nulli fere parti, excepto capite, pepercere; jam enim brachium imprimis dextrum, jam dextram manum, ejusque præsertim minorem digitum, jam dorsum, jam scapulas, jam crura, & pedes, jam coxam, modo seorsim, modo simultanee lacessebant. Remittente dolore somnus, & appetentia semper redibant, imo hæc sæpe non satianda. Porro nocturnas pollutiones æger 3 vel 4 quovis

die

die patiebatur, & interdiu quoque vel tacta penis glande, enataque inde titillatione semen ocyus erumpebat. Multis, variisque sedulo adhibitis remediis obtineri non potuit, quo minus afflictio hæc per varias periodos reverteretur, semper gravior. Solo betulæ succo ex arbore sponte stillante urinæ ardor leniebatur nonnihil. Prima notabilior periodus a cessante subito sub finem Augusti vomitu definienda videbatur; quem contra major in dies alvinarum excretionum numerus, & fecis sensibiliter oleosæ lubricitas presso pede sequebatur. Sub initium Octobr. lotii materia glutinosa, cui hactenus ulcerosa (saltem ita credita) prævalebat, copiosius fluere cœpit, a glande penis ad matulæ fundum per cubitos se extendens, unicaque mictione ℥ij. iij. facile appendens, incredibili cum difficultate, & ardore; fluxus hic subinde unum, vel alterum diem intermittens plerumque stata servabat tempora, horas nempe meridianas, ac vespertinas, atque ubi paululum remisit, motu quodam in perinæo coactorio vellicante continenter fere vexabat. Ab hoc vero tempore spasmus abdominis, alias gravissimus, & assiduus, minuebatur, & alvinæ excretionis frequentia, ac lubricitas magnopere simul decrevit, manifesto indicio albas ani hæmorrhoides ad vesicam fuisse conversas. Verum insequentis anni initio hæmorrhoidales motus denuo ad anum sunt revoluti: unde urina tenuis, mucique expers, ac subinde penitus clara, excepto pauculo pure, pro-

procedebat, diuque ita pergebat, non ſine læta ſpe hæmorrhoidum ad regularem typum reducendarum. At vero inopinato iterum ſpaſmo meſenterii renato poſt aliquot dies hæmorrhoidalis mucus ad veſicam congeſtus per urethram egerebatur. Acceſſit denique acuta febris, ex qua æger deceſſit.

4. *Hectica* febris perfacile morbo huic, præprimis mucoſo, ſupervenire conſuevit. Accerſunt eam nimia vel ſanguinis, vel muci jactura, habitualis morbus aſſiduo dolore, vel micturitione ſomnum & appetentiam tollens, acrimonia muci veſicæ in vaſis ſtagnantis, ac demum veſicæ exulceratio &c. G. C. DETHARDING (*a*) refert „ſe noviſſe . . . vi„rum illuſtrem . . . hæmorrhoidibus cœcis quondam obnoxium, his vero deficientibus „ſpaſmum veſicæ cum excluſione muci expertum, „ſub principio per vices inſultantem, demum „habitualem ita redditum, ut continuus ad min„gendum ſtimulus ingenti dolore circa collum „veſicæ ſtipatus omnem consvetudinem cum „amicis interdixerit; hunc celeberrimos Ger„maniæ Medicos non ſine magnis ſumtibus in „conſilium vocandos curaſſe, & quantumvis a „nonnullis arcana, aliaque non contemnenda „cum voto, & promiſſione felicis ſucceſſus „obtinuerit remedia; tantum tamen abfuiſſe, „ut allevamentum cruciatuum, nedum per-

„fectam

(*a*) Diſſ. cit. §. 7. Schol. p. 788.

„fectam restitutionem senserit, ut potius in „dies fere ingravescente malo tandem in fe„brim hecticam inciderit, & improviso, ces„santibus omnibus doloribus, juncto rigore „per totum corpus se diffundente, sphaceli „teste, extremum vitæ spiritum ediderit.“ Non multum absimilis est, apud I. D. GOHLIUM (*a*) observatio de viro procero 58 annorum, narium hæmorrhagiis in juventute obnoxio, in adultiori autem ætate ordinatis Væ Sbus assueto, qui a cathartico quodam ordinario ante 12 annos sumto in hypercatharsin cum vomitibus, tenesmo, & copiosa hæmorrhoidum profusione, quæ in singulis deinde quotidianis egestionibus alvinis cum superveniente ani prolapsu in semestre contimuavit, lapsus est. Sopito abhinc fluxui hæmorrhoidum superfuit ani prolapsus immedicabilis, quavis in dejectione accidens. Per elapsum jam annum vacillare sanitas ejus videbatur, & præsertim versus hyemale solstitium & vires, & appetentia minuebatur, &, quæ diu hactenus ob levitatem contemserat, nunc ingravescebant, nempe dolores quasi colici cum symptomatis rheumatico-febrilibus, & insuetis urinæ phænomenis, quæ jam erat naturalis, jam p. n. rubra, aliquanto post sedimentum ponens atro-fuscum, leve, nec

(*a*) Act. med. Berol. dec. 2. vol. 1. Sect. 2. p. 61.

nec vaſi adhærens, quod facto rite examine nec ſabulum erat, nec arthritica calx. Comes his urinis erat rheumaticus dolor a femore in totum extenſus pedem, ſomnum turbans; multi flatus, obſcurus ſub umbilico dolor, anorexia diutina, ructuum amareſcentium difficilis anoterica excretio, febris latica cum æſtu interno, ſenſibilis corporis emaciatio, & hæmorrhagiæ narium ſymptomaticæ, a multis jam annis hactenus rariſſimæ alias. Cumque nulla vel calculi, vel affectæ veſicæ indicia his eſſent copulata, ſatis apparebat, ægritudinem ad internas pertinere hæmorrhoides, ac ſedimentum lotii ante deſcriptum nil niſi ſanguinem eſſe hæmorrhoidalem. Utut autem congrua medendi methodus nunc adhibita fuerit; morbus nihilominus non abolendus, aſſociata ſibi febre hectica, hominem æſtate confecit. Magnis quoque paſſibus ad hecticam, eundemque exitum properabat F. HOFFMANNI (*a*) vir ſanguineo - cholericus 50 annorum, qui a fluxu hæmorrhoidum ſolito parcius procedente cœpit cum ardore mejere urinam albam cum multis fibris velut abraſæ tunicæ, ac plurimo dein ſedimento albo gelatinoſo. Moleſtia ex levi, ac tranſitoria fiebat acrior, longiorque cum corporis, & præſertim pedum contabeſcentia, & languore. Hæc lotii excretio mane vel maxime accidit.

Ce-

(*a*) Conſult. & reſp. med. Cent. 2. Caſu 91.

Ceterum æger ſine omni dolore alio optime appetebat, placide item dormiens, at cum p. n. manuum in ſomno æſtu. Interdum fiebat anxius, & ob caſtimoniam teſticuli ſubinde, ſed non diu, vehementer dolebant, ac tumebant. Conſultus Auctor ſuaſit ▽æ Schwalbacenſis, vel ſpadanæ unam quotidie lagenam ſub debito regimine per 4 vel 3 hebdomades ſorbillandam. Pharmaca duo commendavit: Eſſent. caſcarillæ c. eſſent. Succini miſtam, & ſucc. ppt. cujus ℨj. cum olei ♀ri p. deliq. ℥ß. ſit impraegnata, ſiccataque, ad ʒß. m. & v. ſumendum. Vino ac cereviſiæ ſuaſit ſuffici decoctum e rad. ſarſap., ſcorzon., cichor., liquir., & ſem. foenic. Vetuit fortiorem vectionem equo, & rheda ob ſuccuſiones hic nocivas; Quo ſucceſſu, incertum.

§. XIX.

III. SUPPRESSIO *hæmorrhoidum veſicæ* varia alia, graviſſima ſæpe, mala accerſit, reverſo fluxu plerumque iterum deſinentia; alioquin haud raro morte ſola finienda. Præprimis autem hæc de hæmaturia valent; quandoquidem mucoſæ hæmorrhoides veſicæ non ita promte ſeſe ſupprimi patiuntur. Iſtas autem ab hæmaturia ceſſante natas F. HOFFM. (*a*) literis prodidit: nempe vir ſanguineus 37 an-

(*a*) Conſult. & reſp. med. Cent. 2. Caſu 88.

annorum, euſarcus, poſt male curatam in juventute gonorrhœam virulentam, anni proxime elapſi initio corripiebatur febre purpuracea, quæ a calidiſſimo regimine ingraveſcebat, purpura in dies copioſius erumpente: donec imperato temperatiori regimine poſt trimeſtre demum fere tempus æger convaluiſſet; ſuperſtite tamen urina ex atro rubente, ſedimentumque ponente ſimile 🜍ri ☉ ♁ii. Acidulis ergo uſus, cum inde proficeret, urina evadente naturali, eas tota æſtate hauſit, at immodice, quotidie nempe ad 16 imo 20 menſuras. Auguſto menſe repente gravi urinæ ardore, & creberrima micturitione prehenſus eſt, acceſſere atroces ventris, veſicæ, urethræ, & ani dolores, jam lancinantes, jam ardentes. Urina miſſa craſſa ponebat ſedimentum valde mucoſum cum internatantibus filamentis jam tenuioribus, jam craſſioribus, inſtar abraſæ cuticulæ non ſine ſuſpicione excoriationis, vel ulceris veſicæ, aut urethræ. Potis emulſis refrigerantibus, injectisque extus demulcentibus lacteis, & mucilaginoſis intra paucos dies omnia ſymptomata mitigabantur, micturitio inducias 8 horarum dabat, urina prodibat naturalis, & pauco tantum muco miſta. At non multo poſt rediit prius malum, doloris tamen, & ardoris expers, ac pauciori jam cum ſedimento; ſed ſub micturitione prodibat primum puris cochl. j., dein tenue lotium cum quibusdam filamentis. Hæc quoque recidiva remediis ceſſit, at non cum conſtantia; namque malum quavis 8 vel

10 hebdomade abhinc revertebatur; noviſſime etiam accedente ani teneſmo cum vehementibus torminibus, ac muci albi ſpiſſique egeſtione alvina, queis profligatis micturitio priſtina ſucceſſit, cum inſigni mejendi difficultate. Ceterum ſæpenumero cœcæ ani hæmorrhoides apparebant, nullatenus ne admotis quidem interdum hirudinibus ad fluxum perducendæ. Calculi ſigna penitus aberant. Ex hac hiſtoria ſatis liquet, urinam illam ex atro rubram fuiſſe cruentam, ſedimentumque 🜍ri ☉ ♁ii ſimile, nil niſi ſanguinem in minutiſſimos grumulos coactum fuiſſe, qualis in ante dicto GOHLII (*a*) ægro viſebatur: hæmaturiam porro hanc dein abiiſſe in mucoſum fluxum, &c. Non vulgare autem eſt, quod I. G. KLEIN (*b*) commemorat: „obſervavi„mus (ait) impotentiam virilem plurium an„norum ex moliminibus hæmorrhoidum ve„ſicæ, antehac ſuppreſſarum, revertente hoc „fluxu cum laude depulſam.“ I. STORCHII (*c*) femina cœlebs prope quinquagenaria, ſanguineo-melancholica, e ſpinæ dorſi curvitate vitioſe incedens, hinc ex ſtipe quidem, at non miſere vivens, deſinentibus non pri-

dem

(*a*) Vide §. præced. Nro. 4.

(*b*) Interpret. clin. tit. impotentia. p. m. 152.

(*c*) Von Krankh. der Weiber. 8. Band. Caſu 27. p. 125. ſqq. & Obſ. clin. anno. 6. p. 640.

dem catameniis, quæ ultimo anno uberrime fluxerant, nacta est copiosam leucorrhœam fere assiduam, a qua excoriante subinde vix ambulare quivit, cum non esset syphilitica, datum:

℞. Essent. lign. Sassafras.
— millefol.
— rosmarini āā ℥jß.
🜍æ ♁ii ℥j. M.

S. m. & a meridie gtt. 30; vesperi autem ♁is ossium sepiæ cuspidem cultri. Ab his leucorrhœa brevi desiit. Novembri anni insequentis ex lapsu per scalas lapideas contudit faciem, pectusque, unde sanguinem sputavit. Imperatus infusi arnicæ matutinus potus, a meridie vero, ac vesperi ♁is sequentis dosis

℞. ♁ corall. rubr. ℥j.
⊕ puriss. ℈j. M. div. in jv doses.

Anno sequenti sub initium febris hæmorrhoides abundantissimæ fluxere, iisque desinentibus superfuere ventris dolores, quos intra aliquot tempus usus TRæ rhei cum TRa ♀ri mitigavit. Initio Junii obortis denuo ventris, spinæque dorsi doloribus data dosis pil. purgant. BECH. aliquoties quidem alvum solvit; sed oborta alvi obstructione cum tenesmo; datum 4 Junii:

℞.

℞. Sal. Sedl. ℥ij.
   ♁. antiſpaſm. ℥j. M. div. in doſes 6.

S. m. & v. unam ex aqua. Julii 5a obortis torminibus, ac vomitu præſcriptum:

℞. TRæ rhei, & ♀ri. (*)

Poſtridie vero datus ♁ antiſpaſm., & rhei āā ℈j. cum levamine. Die 27a in allatæ urinæ fundo multus ſanguis ſubſidit, vexantibus nihilominus adhuc doloribus dorſi, & circa veſicam: idcirco rurſus præſcriptum:

℞. ♁ antiſpaſm. ℥ij.
   Corall. r. ℈ij. M. div. in 8 doſes.

Auguſti 23a hæmaturia adhuc pergebat; ſed cum hanc pro fluxu hæmorrhoidum ex ano magis ferret, nil niſi ♁es ex ⊕., & ♁ dati; vetitis quibusvis ſtipticis. Verum hæmaturia 17. Septembr. nondum ceſſante dati ♁es:

℞. ⊕ puriſſ. ℥iij.
   Corall. rubr. ℈ij. M. pro doſibus 11.

Octobris 26a, cum per aliquot dies clara urina procedente, vomitus obortus fuerit; ſiſten-

(*) Hic in MSpto deeſt quantitatis pharmaci deſignatio.

ſiſtendus erat TRa rhei. Novembr. 10. rediit hæmaturia, cum micturitione teneſmode: idcirco datæ pil. BECH. purgantes. A. 1732 Septembr. 7a pro mictu cruento, cujus jam ægra ultra annum expers fuit, hæmatemeſis ingruit, ſed mox deſiit ad uſum TRæ rhei cum arcano ♀ri. Die 13a querebatur adhuc ſubinde de ardore, & doloribus in ventre, queis oppoſita MRa refrigerans, & in prophylaxin die 25a eſſent. millefolii, & ſummitatum ejus infuſum quavis hebdomade bis hauriendum. Vixit adhuc 1742. At funeſtiora his videamus. I. D. GOHLII (*a*) medicus melancholico-cholericus, ex motu externarum hæmorrhoidum, quarum tuberculis hirudines aliquoties admovit cum levamine, calculoſus, ac deinceps hæmaturia aliquamdiu cum impedito hinc lotii fluxu laborans, demum poſt inſuetum vini Hungarici potum in laſſitudinem incidit, cum preſſorio frontis dolore; tum balbutiens, & frigoris ſenſu perculſus apoplexia correptus eſt, in hemiplegiam lateris lævi abeunte, ſub qua in lotio ſanguis, qui ei hactenus conſtanter inerat, nullus amplius conſpectus. Die 7mo ſupervenit ſingultus continuus, quem die 9no, ætatis anno 56, mors abrupit. Porro G. E. STAH-

(*a*) L. c. dec. 2. Vol. 1. Sect. 1. p. 29. Vol. 7. Sect. 1. p. 22.

STAHLII. apud F. HOFFMANNUM (*a*) „vir 62 „annorum gonagrico pathemate in ſiniſtro „genu ab aliquot retro annis per vices infe- „ſtatus, diætæ per plures annos vinoſæ, ha- „bitus corporis ſanguinei leviter phlegmatici „ex uſu largiore vini Thuringici, & inſuper „facto in rheda itinere tempore autumnali „corripitur iſchuria cum dolore ſiniſtri lumbi, „& coxæ ad os ſacrum gravativo, mingit ma- „gnam copiam ſanguinis partim floridi, par- „tim coagulati in magnos grumos. Poſt pau- „cas ſeptimanas fluit nonnihil ex hæmorrhoi- „dibus, ſed caret ſufficiente ſucceſſu moli- „men; levatur tamen ſenſibiliter a gravativo „dolore, & laſſitudine tenſiva in artubus. „Poſt annum recrudeſcit malum in renibus; „occupatur adſtringentibus: accedit febris „acuta, fit translatio inflammatoria ad fauces, „naſcitur gangrænodes corruptio linguæ, & „faucium. Moritur." Denique E. HOFFMANNI. (*b*) „Vir 40ta annorum, ſanguineo- „cholericus ex vitæ genere valde inquieto „tranſiens ad quietum, & ſedentarium expe- „ritur brevi poſt hæmorrhoidalem fluxum, „quem præpoſtere remediis adhibitis ſupprimi „curavit. Secuta hinc mictio cruenta ſingulis „fere

(*a*) Diſſ. de ſalubritate flux. hæmorrhoidalis §. 9. Opp. 2. P. 2. p. 114.

(*b*) Med. rat. Syſt. T. 4. P. 1. S. 2. C. 9. obſ. 2.

„fere menfibus rediens; qua ceffante anxie-„tates præcordiorum, dolores lumborum, „borborygmi ventris, prava digeftio, & in-„appetentia oborta. Ad tollenda hæc mala „variis ufus quidem remediis, thermis, la-„ctis cura; fed non cum debito regimine. „Acceffit hinc poftea funefta veficæ inflamma-„tio, cognoscenda fatis ex magno ardore, „dolore in regione pubis, mictu difficili, & „dolorifico, febre, præcordiorum anxietate, & delirio, ac poft mortem vefica inflammata, „& fphacelata inventa fuit.“

§. XX.

IV. SOLVUNTUR *hæmorrhoides veficæ* fluxu hæmorrhoidali ex ano, quæmadmodum in paftore REINESII (*a*) & ROLFINKII (*b*) ægro, ut ut huic demum fatalis evaferit. Fuit nempe vir hæmorrhoidum fluxui affuetus, quo fuppreffo incidit in multarum hebdomadum hæmaturiam. Hæc autem evanefcebat vel apparentibus hæmorrhoidibus levi, parcoque fluxu, ut vix anus inde tingeretur. Lapfo ¼ anni in vado fe effe ratus, mane corripitur ingenti cephalalgia; a meridie epilepfia cum aphonia ingruit, cui depulfæ fuperfuit mens turbata: rediit quidem ad fe; fed recidivam fæ-

(*a*) Vide §. 27.

(*b*) Differt. anat. L. 5. C. 10.

ſæpius paſſus, tandem immodico hæmorrhoidum fluxu exhauſtus placide obierat.

§. XXI.

V. RECIDIVAE huic morbo ſunt perquam familiares, quas præſertim experti ſunt ſenator BECKERI (*a*), mercator GRASII (*b*), & mendica STORCHII (*c*). Ubi enim vaſa veſicæ ſemel a congeſto ſanguine in majorem ſolito capacitatem fuere diducta; non ita facile deinceps ad priſtinam reduci poſſunt arctitudinem; quod ab affluente aſſiduo in veſicam calida urina, ibique commorante laxitas illa vaſorum foveatur, ut a ſuperveniente nova cauſa, ſanguinem uberius illuc compellente, illum facile & admittant, & transmittant.

HISTO-

(*a*) Vide §. 17.

(*b*) Vide §. 23.

(*c*) Vide §. 19.

HISTORIÆ HÆMORRHOIDUM VESICAE.

PARS II. THERAPEUTICA

CAPUT I.

SUMMA MEDENDI CAPITA.

§. XXII.

I. INDICANS eſt hæmorrhois veſicæ.

II. INDICATIO eſt eam tollendi ſine noxa. Hinc

A. Cauſa ſubmovenda.

B. Infarctus p. n. vaſorum veſicæ auferendus

1) Con-

1. Contractili vi illorum aucta; idque

a) Plenitudinem eorundem minuendo, ac

b) Robur deinde iis conciliando.

2. Distendente vi liquidi imminuta, i. e. ejus

a) Lentore subacto,

b) Copia imminuta

c) Motu averso aliorsum (præsertim vero ad anum, si nempe prius hæmorrhoides ani diutius fluxere; secus imprudenter morbo uni alter substitueretur.)

C. Symptomata urgentia (v. g. dolor, micturitio, &c.) mitiganda.

D. Effectus futuri arcendi; præsentes tollendi.

E. Recidiva prævertenda.

1. Proegumena causa sublata, tonoque reddito,

2. Procatarcticis causis vitatis.

CAPUT II.

CHIRURGIA.

§. XXIII.

1. Sanguinis *missio* vasa vesicæ deplens, sanguinem ab iis revellens, simulque (si opus) ad vasa ani derivans. Verum non proletario in ea administranda judicio uti oportet, e brachiine, an pedis, vel ani vasis instituenda sit? consultus pro viro albis vesicæ hæmorrhoidibus laborante F. HOFFM. (*a*) „suasit „ut protinus ex vena in brachio tusa 6 vel 8 „cruoris unciæ detrahantur, & abhinc sectio „hæc pro plethoræ ratione 3 vel 4 quot an„nis iteretur.“ Sed num non ad superiora regurgitabit sanguis hæmorrhoidalis (*b*)? Istud enim vero utut in hæmorrhoidibus ani metuatur plerumque, hic autem aliquatenus etiam optatur; sola enim regurgitatio malo huic abolendo par est, nisi forte fluxus hæmorrhoidum ex ano procurabilis tutiora promittat: quapropter DETHARDING (*c*) ita hunc vena-

---

(*a*) Consult. & resp. med. Cent. 2. Cas. 88.

(*b*) Vide Tom. 1. §. 54. No. 8. d). Tom. II. §. 108. c).

(*c*) Diss. cit. schol. ad §. 8. p. 789.

venarum selectum dirimit: „si quando nun„quam veræ hæmorrhoides apparuerint, sed „in solis saltem substiterint motibus eo ten„dentibus, vel hæmorrhoidibus cœcis fuerit „infestatus æger; juvabit venam in brachio „tundendam curare, habito saltem respectu „virium, & constitutionis individualis . . . „Sin autem veræ hæmorrhoides cum successu „olim contigerint; vena pedis eligenda, at„que eo allaborandum, ut illæ resuscitentur; „modo ætas, & vires ægroti, aliæque causæ „procatarcticæ haud obstiterint." Postmodo vero eadem alterutra Væ So vel non cedente morbo, vel ad recidivas præcavendas ex certis intervallis iteranda est, præsertim si æger jam prius missioni sanguinis assuevit. Quam utilis sit Væ So in pede, docet G. C. MATERNI (*a*): puer sanguineo - cholericus annum 13 ingressus, ab anno 8 ad 10mi finem crebras narium hæmorrhagias non sine pallore, ac macie inde secutis expertus, postquam hæc in sequenti biennio non rediissent, primo anni tertii sesqui mense, quo 12um ætatis annum absolvit, continuum, copiosumque ptyalismum spontaneum perpessus est multo cum levamine, quo sponte iterum cessante puer ultimis februarii diebus serenis, siccisque cum patre curru peregre vectus, ubi 3 milliaria emensus est, corripitur palpitatione cor-

(*a*) Act. med. Vol. 10. Obs. 6.

cordis cum æstu, & prægravante lassitudine. Confecto itinere nares parum sanguinis fudere sine levamine. Mox ingruit rigor genuum, ac musculorum tibiæ cum dolore; ut hæ nec flecti, nec commode extendi potuerint. Post 4 dies mane ante abitum nova iterum; at parcior, narium hæmorrhagia oborta: unde spasticus ille rigor, qui jam paulisper remiserat, pristinam ad vehementiam rediit, obortis simul copiosis circa tarsum, ac malleolos scorbuticis maculis utroque in pede. Humerus lævus arthritico spasmo affectus intumuit. Accessere dolores dorsi lacerantes, tormina, alvi obstructio cum suffusione oris velut a vermibus. Lævo in latere circa spurias costas acutus dolor cum dispnœa, & molesta nimis excretione. In artubus summa motus impotentia ad corpus erigendum, ac movendum, artusque flectendos, aut tenendos. Tandem post biduum sub celeri, plenoque pulsu larga secuta diaphoresis, & enema emolliens alvum solvit. Sic puer a patre domum revectus ubi iisdem adhuc malis aliquamdiu laborasset; Martii 10ma, 11ma, & 12ma apparuit hæmaturia dolorifica, & convulsiva; sub mictu enim puer oculos mire huc illuc torsit, ac brachia varie quatiendo, inconditeque vociferando lumbari de dolore querebatur. Dextrum quoque latus cum humero conspicue tumebat. Morbum ab aliis ob gravitatem pro magico licet habitum unica pedis phlebotomia post 10 dies, interpositis eccoproticis ex toto profligavit.

gavit.

gavit. Aliquando autem phlebotomia pedis nil opitulatur, præſentiſſimaque eſt phlebotomiæ in brachio neceſſitas, quæ e veſtigio prodeſſe ſolet. Sic s. GRASSII (*a*) mercator 40 annis major, ſanguineo-cholericus, laborioſus, liberioris ſemper diætæ, & inebriaminum amans, circiter ad 20um usque ætatis annum narium hæmorrhagiis, interdum valde profuſis, obnoxius, hisce poſtmodo non reverſis, eryſipelas faciei ſubinde perpetiebatur. Ad hoc abarcendum Væ Snem pertinaciter abnuens ſcarificationes nimis crebras inſtituit; at incaſſum, quod vino ſemper uberius indulgeret. Poſt pleuritidem anno 36mo ſuperatam anno inſequenti eryſipelas circa naſum potiſſimum, ac cephalalgia recurſabant, dolorque tenſivus, ac preſſorius in lumbis moleſtus erat, quem demum modicus hæmorrhoidum fluxus obortus aliquatenus lenivit. Cum autem neque Væ Se in pede, neque catharticis, neque aliis idoneis præſidiis ſibi unquam proſpicere vellet; ſed potius continuis diætæ erroribus, animi motibus, incauta corporis a potu æſtuantis perfrigeratione, &c. excederet; demum aliquot ſupra 40 annos natus, & capitis, artuumque afflictus doloribus, vertiginoſa ſcotomia apoplexiam minante, phlebotomiam expetiit, ac deinceps bis quotannis celebravit, internaque uſurpavit remedia, quo-

(*a*) Ibid. Vol. 2. Obſ. 64.

quorum unum Egranæ erant acidulæ domi potæ. Abhinc hæmorrhoides aliquoties fluxere, ad ſtatas forte etiam periodos perventuræ; niſi æger diætam, & remedia juſto citius deſeruiſſet. Poſt initium anni 1723 hyeme ventis, nivibusque horrida iter aliquot dierum init, plauſtro admodum ſuccuſſante. Frigus ſpiritu frumenti crebrius poto oppugnat, & confecto itinere vinum generoſum Hungaricum ad crapulam usque hauſit; at domum redux cephalalgiam, artuum dolores, ac tuſſim ſiccam adeptus eſt: regimini tamen diapnoico leni omnia hæc ceſſere, ſuperſtite tantum pertinaci dolore tenſivo a medio ſcapularum protenſo deorſum, qui exploſis poſt frictiones pannis calidis factas e ſtomacho ructibus aliquatenus levabatur. Magis etiam affligebat colica, alvi obſtructio, & fixus circa os ſacrum dolor, in quovis corporis ſitu moleſtus, nec fotu, nec emplaſtro ſapon. camphorato minuendus; donec hæmorrhoidum tridui fluxus inducias procuraſſet. Aeger nil præſidiorum admiſit, præter nitroſa, & emulſiva. Tandem lapſis ita aliquot hebdomadis medio Martio valde dolorifica dyſuria occepit, ingenti niſu, ac preſſione continuo vexans, qua crebriori micturitione raro ultra ℥ß lotii craſſi farinaceo cum ſedimento reddebatur. Dolor tendebat a perinæo ad glandem usque cum penis rigore, ita ut dolorifico mingendi niſui ſemper comes eſſet teneſmus, & ardor ani. Circa veſperam febriles motus ingruebant cum nauſea, levi

cephalalgia, & agrypnia. Dabantur ergo ☿es ex lap. 69 cum ſucco citri. cinna. nat., ♁io diaph., ♀ ⊖lato, & nitro; Liq. ♀ri ♀ſatus, eſſent. alexiph., & ſuccini miſtæ; emulſa e ſem. 4 frig. majoribus, cum ſem. milii ſolis, geniſtæ, violar. purpur., decoctum emolliens FORESTI cum aqua laxat. Viennenſi: mollium crematum uſum exquiſitus hæmorrhoidum tumentium dolor rarius admiſit; Væ Si tamen æger tamdiu obſtitit, donec lotium cruentum prodire conſpexit: larga ergo in pede facta; ſed nullo levamine, imo hæmaturia ita invaleſcente, ut die 8, ac 9 quotidie ultra ½ menſuram ſanguinis lotio mixti prodierit. Quoties ad matulam cogebatur, ſenſum prius percipiebat laticis calidi cum dolore, teneſmo ab ano per perinæum, collumque veſicæ, & urethram usque ad glandem excurrentis. Nullus tamen ad renes dolor, & ad ſcapulas, ac os ſacrum jam mitior evaſit. Remedia fere priora manſere; niſi quod additum decoctum ex rad. glycyrrh., aſparag., herbis millefol., equiſeti, virgæ aur., flor. roſ. rubr., bellidis rubræ, & ſantalo rubro, nec non pilulæ ex extr. balſamicis tonice adſtringentibus: exterius ſacculi paregorici in lacte cocti, loco affecto admoti; ſubinde vero dolore furente magis ∇a Sclopetaria, & 🜈 camphoratus adhibitus. His parum juvantibus 10mo die poſt ſectam in pede venam in brachio Væ So facta, dato inſuper 3a quaque hora ☿e temper. leniter camphorato, eo cum ſucceſſu, ut altero mox die urina & purior, & facilius pro-

prodierit, & poſt paucos dies hæmorrhoides ex ano leviter fluxerint, morbumque fere penitus abegerint; niſi quod ſubinde urinæ adhuc craſſæ, & cum ſedimento farinaceo, cumque aliqua moleſtia fluerent: ſed & hæc ver adveniens ſuſtulit. Abhinc Væ Ses quovis æquinoctio factæ, & hæmorrhoides promtius fluxere, non modo trimeſtri ſpatio, ſtatis fere periodis; ſed etiam intermedio tempore a potu largiori. Poſtquam vero ultra annum varias calamitates, & ærumnas perpeſſus eſt; circa æſtivum ſolſtitium 1725 fluxus hæmorrhoidum iterum ſubſtitit, eique pedetentim ſucceſſere laſſitudo, anorexia, anxietates, colicæ, agrypnia, & appetente brumali ſolſtitio dolor ad os ſacrum, moleſta alvi dejectio, frequensque micturitio, ac paulo poſt exquiſitam dyſuriam anno vertente hæmaturia. Ocyus ergo, ob ſigna manifeſta turgeſcentiæ vaſorum hæmorrhoidalium, admotæ ano hirudines modicum ſanguinis craſſi, & glutinis inſtar viſcidi elicuerunt; at ſine levamine: ſymptomata pergebant, & quotidie poſt 8am veſpertinam febriles motus oborti uſque adeo ingraveſcebant, ut poſt leve frigus intenſus æſtus deliria ſæpe attulerit, maximamque noctis partem turbarit. Cephalalgia extra acceſſiones etiam gravis erat, hæmorrhagia narium ſubinde lenienda. Ad priſtina ergo medicamenta reditum, præſertim ad potiones diluentes, temperantes, emulſivas, nitratasque; Væ Se in brachio facta cephalalgia, febris, &c. fere penitus defiere,

ac

ac hæmaturia admodum imminuta. Verum nil boni præſagiebant ſanguis eductus viſcidus, feculentus, lividisque maculis notatus, pulſus celer, ac durus vel in ipſa euphoria, & extenuatio corporis. Et vero poſt 8 dierum inducias omnia rurſus ſymptomata rediere; ſub aſſidua fere micturitione urina non jam cruenta; ſed intenſe rubra inter ſummos cruciatus guttatim prodibat, ſedimentum ponens craſſum, pituitoſum. Febre in dies aucta ſupervenit inflammatio veſicæ, die 6 Febr. 1726 anno ætatis 55 letalis. Quantum vero ad hirudines attinet: F. HOFFMANNUS (*a*) iis omnino hic diffidit „ſanguiſugæ . . . „fugiantur (inquiens); quoniam majorem hu„morum ad affecta loca affluxum concitant." Alii vero ad ſanguinem a vaſis veſicæ ad hæmorrhoidalia ani derivandum, ſi jam ante diutius illac hæmorrhoides fluere conſueverant; nil hirudinibus efficacius arbitrantur, ac proinde præter pedis phlebotomiam has quoque ano admoveri jubent: „quæ operatio, „inquit DETHARDING (*b*), repeti poterit, „quando abhinc imminutus mucoſitatis fluxus, „& ſymptomatum obſervatur mitigatio. Præ„ſentaneam efficaciam ſubductione hac ſangui„nis particulari, prævia Væ Se in brachio, „ſe aliquando vidiſſe retulit . . . in ægroto a „ſup-

(*a*) Conſult. & reſp. med. Cent. 2, Caſu 88.

(*b*) L. c. p. 789.

„ſuppreſſis hæmorrhoidibus cœcis, mucoſis „veſicæ correpto, utpote qui ab iterata poſt „menſis ſpatium hirudinum admotione junctis remediis internis perfecte convaluit.“ Confirmantur hæc etiam ab experientia I. L. SCHMUCKERI (*a*).

§. XXIV.

2. ENEMATA quoque ſua hic utilitate multiplici non carent; namque alvum obſtructam reſerant, vaſa inteſtini recti ad ſuſcipiendum a vaſis veſicæ ſanguinem relaxant, & ad hæmorrhoidalem fluxum revocandum aptant, dolores denique, ſpaſmumque veſicæ mitigant, & lotii excretionem facilitant. Non abs re autem illa Væ Soi præmitti vult DETHARDING (*b*).

§. XXV.

3. TOPICA porro vel maxime pubi applicari hocce in morbo ſolent, eaque pro vario illius ſtatu perinde varia, videlicet: emollientia, & anodyna in veſicæ ſpaſmo, dolore, iſchuria, dyſuria, &c. Roborantia vero,

&

(*a*) Vide Tom. III. §. 115. Nro. 3.

(*b*) L. c.

& adſtringentia in fine morbi ad tonum vaſis relaxatis reſtaurandum, quo ſcopo SELIGMANN (*a*) haud immerito commendat fomenta frigida, vel ſi ſpaſmus veſicæ, ac teneſmus adfuerit; ex fermento panis acidi, vino rubro, & aromatibus parata. Huc pertinet ingenioſa I. QUARIN (*b*) hæmorrhoides veſicæ ad ani vaſa revocandi ratio: „monachus . . . ſæpe hæmorrhoidum fluxu absque „incommodo laborans, cum æſtuante ſyrio „iter inſtitueret, vinumque largius biberet; „repente mictu cruento afficiebatur, qui & „inſeſſibus auctus, & variis pharmacis datis „exaſperatus eſt. Demum æger meam opem „imploravit. Huic præcepi, ut ſellæ pertuſæ, quæ ligneo operculo concavo tecta erat, „ita inſideret, ut vapor aquæ calidæ ſuppoſitus per foramen tenue in operculo ligneo „apertum, anoque reſpondens eo tantum perduceretur. Una juſſi lintea aquæ glaciali „immerſa regioni pubis applicari. Quo facto „cum poſt biduum mictus ſanguinis ſileret, & „vaſa hæmorrhoidalia intumeſcerent; his lanceola apertis integra ſanitas rediit.“

§. XXVI.

(*a*) Diſſ. cit. l. c. §. 12. p. 27.

(*b*) Animadverſ. pract. in divers. morb. Cap. 13. p. 268. ſq.

§. XXVI.

4. CATHETER denique interdum in hæmorrhoidibus vesicæ superest adhibendus, cujus applicationem exigunt ut plurimum.

a) *Ischuria* a grumis, polypisve orificio vesicæ impactis (quos catheter retrudit, dividit) velut in GABECHOVERI (*a*) ægro; aut vasis tumidissimis in vesicæ collo, aut varicibus ibidem turgentibus (quas catheter rumpit) enata. Sic I. VAN DER HAAR (*b*) „aliquando mihi (ait) memorabilis accidit casus, ut dum viro cuidam ex ischuria ægro „lotium cathetere educere vellem, sanguis „ex isto tanto cum impetu effluxerit, ut coactus fuerim illum rursus educere prius, „quam in vesicam penetrarit; mox post hanc „hæmorrhagiam sponte superflua lotii vis erupit. Hinc suspicor non abs re, hæmorrhoidalem varicem vesicæ in collo cathetere fuisse perruptam; quod etiam post parciores „hæmorrhagias, quæ subinde in ischuriis „post irritas catheteris applicationes sequebantur, res hæc pene æque feliciter evenerit, sæpius ipse vidi."

b) In-

(*a*) Vide §. 18. B. Nro. 1.

(*b*) L. c.; p. 53. sq.

b) Injectiones faciendæ in veſicam, dum aut grumoſus ſanguis, mucusve lentior diluendus, & attenuandus eſt, quas P. G. WERLHOFIUS (*a*) tum utiles eſſe agnoscit; aut ſpaſmus, doloresque veſicæ demulcentibus, & anodynis leniendi, aut amiſſus vaſorum tonus reparandus, quam in rem optime aqua frigida ſola adhibetur (*b*).

CAPUT III.

PHARMACA.

§. XXVII.

1. CATHARTICA eccoprotica in utrisque veſicæ hæmorrhoidibus duplicem habent utilitatem; primum enim alvum ut plurimum obſtructam reſerant, apertamque tenent, tum etiam humores a veſica revellunt, atque ad inteſtini recti vaſa invitant. Quemadmodum vero in toto hæmorrhoidali morbo; ita vel maxime in veſicæ hæmorrhoidibus cavenda ſunt cathartica acriora, ne veſicæ ſpaſmum augeant. Quid quod hic vel ⊖ ſedlicenſis, aut

---

(*a*) Apud C. C. ENGEL. l. c. p. 129.

(*b*) SELIGMANN. l. c.

aut Anglicanus quandoque obfuerit teste DETHARDING (*a*)? Proinde manna, rheum, tamarindi, senna hic optima sunt, queis tamen utilissime sæpe aloe jungitur ad sanguinem versus anum alliciendum: „imprimis multiplici „experientia, inquit DETHARDING (*b*), pi„lulæ sic dictæ balsamicæ ex extractis amaris „& aloe gummosa paratæ ita se commenda„runt, ut in quibuscunque fere anomaliis „hæmorrhoidalibus non sine fructu adhiberi „soleant; non tantum enim gaudent virtute „alvum movendi; verum & tonum roborant, „& vasis, fibrisque relaxatis robur debitum „conciliant. Sicubi pilulæ non arriserint; hæ „solvi possunt liquore ▽æ fol. ♀ri, eoque „ipso virtus aperitiva magis acuabitur.“ Confirmat hæc historia REINESII (*c*): Pastor quidam ob hæmorrhoidum a triennio suppressionem magnam sanguinis crassi meri, sine urinarum aquis, cum impetu promanantis quantitatem (matulam enim implevit) minxit; qui tamen per totam vitam suam nihil sanguinis vel e venis, vel ex habitu amiserat; atque eundem paroxysmum ter stato circuitu fuerat expertus: copiam sanguinis uno tantum mictionis actu secedentis proxime secu-

tæ

(*a*) L. c. Schol. ad §. 10. Nro. 2. p. 793.

(*b*) Ibidem Schol. ad §. 8. p. 789.

(*c*) Epist. 44.

tæ fuerunt urinæ naturales, & limpidæ. Postquam autem medici consilio vino usus fuerat solito largius, & diebus aliquot continuis pilulis ex aloe, succo cichorii impraegnata, & extr. troch. alhandal. sumserat; hæmorrhoides ei fluxerunt.

§. XXVIII.

2. SOLVENTIA mitia, de quibus alibi (*a*) satis actum, perinde hic ex usu sunt, praesertim ▽a Selterana cum lacte; aliis minus hic fidendum, ne diuretico suo stimulo spasmum vesicæ exasperent. WERLHOF (*b*) consultus pro sene hæmaturiam hæmorrhoidalem patiente inter cetera, quæ hic usu probata proprio noverat „aquarum Selteranarum „(inquit) quovis mane mensuram unam; po„meridie vero, & vesperi ☿em balsamicum „ex lacte ♀ris, qui alvum servat apertam, „per dies 14 vel pro euphoria dari suaserim „. . . Ad alvum, ubi opus videbitur, ape„riendam idem . . . lac ♀ris egregium, & „in hæmorrhoidariorum morbis singulare est, „urinam etiam promovens magis, quam mi„nuens, quod alia alvum cientia sæpe faci„unt. Dari potest sub noctem ad ℥ß. vel j. „ex

---

(*a*) Vide Tom. II. §. 66. sqq.

(*b*) L. c. p. 128.

„ex emulſione ſeminis melonum, vel ſimili.
„Et ita quoque ad levandam dyſuriam con-
„fert.“

§. XXIX.

3. ANTISPASMODICA, *anodyna* ad ſpaſmum, doloresque veſicæ ſopiendos ſint licet quam maxime neceſſaria; tamen ſummo cum delectu, & cautione ſunt exhibenda: cavenda nempe et ſtimulantiora, & vel maxime opium, quod non ſine ſumma atrocium dolorum, vires ægri frangentium, & aliis remediis non leniendorum mitigandi neceſſitate eſt exhibendum, nec ſine interpolatis eccoproticis, nec diutius etiam, quam ſævior dolor urſerit, porrigendum; ſecus ſopiti dolores dein atrocius recrudeſcunt, imo a protracto ejus uſu, ut recte DETHAADING (*a*) monet, alvi ſegnities, iſchuria, coma, paralyſes &c. ſunt metuenda. Nihilo tamen minus, P. G. WERLHOF (β) pro BECKERI (*b*) ægro conſultus ad ſpaſmos, ac dolores mitigandos „tuo (reſpondet BECKERO) judicio
„permitto, an non ex re fore videatur con-
„tinuatus 3a, 4a, 6a, 8a, 12a, quavis pro
„re

(*a*) L. c. Schol. ad §. 10. No. 3. p. 794.

(β) L. c. p. 134. ſq.

(*b*) Vide §. 17.

„re nata hora usus medicinæ . . . ad guttas „pro dosi 20:"

℞. Liqu. anod. min. HOFFM. ℥ß.
Essent. anod. ʒj. M.

„Continuandam suaserim non solum, donec „aliquod persentiatur lenimen; sed ad pleni„orem usque dolorum, stimuli molesti, fla„tulentiæque cessationem: & tunc quidem ra„riores sensim doses dari possent, multipli„cando denuo; si symptomata rursum urgere „videntur. Novi senem jam octuagenarium, „qui ex calculo vesicæ similia omnia patitur, „vel potius passus antehac est, donec eo„dem remedio familiariter uti ante hoc sexen„nium cœpit, idem, quoties dolores ingru„unt, fausto cum successu repetens. Si al„vus sub ejusdem usu tardior justo sit; vel „omisso per diem unum opio sponte solve„tur, vel lacti sulphuris, aut blando enemati „facile cedet."

§. XXX.

4. TONICA denique, ubi copia liquidi vasa vesicæ distendentis imminuta, & aliorsum aversa est, usurpanda veniunt, ut vasa laxiora reddita pristinum recuperent robur, ac recidiva prævertatur. Præcipua hic sunt:

a) *Mars*, vel quod DETHARDING (*a*) præfert, pilulæ balſamicæ cum limatura ♂ conjunctæ, iis præſertim ſalubres, qui alvo ſegni aut obſtructa laborant.

b) *Millefolium*, quod in ſpaſmis hæmorrhoidalibus, & hæmorrhagiis compeſcendis virtute ſua duplici, nimirum antiſpasmodica, ac tonica ſimul (*b*) eſt celeberrimum.

c) *Peruvianus cortex*, cujus TRam cum TRa ſucci catechu miſtam SELIGMANN (*c*) magni hic facit. WERLHOF (*d*) autem vel maxime commendat extractum corticis in ♌ ⊖ dulci ſolutum: hauſtæ nempe in 14 dies ▽æ Selteranæ ſubjungi jubet „poſtea remedium blande diureticum, & tonicum, ſolutionem extracti Cort. Peruv. in ſpiritu ſalis „dulci factam per octiduum, & facta deinde „unius hebdomadis intercapedine per alterum „octiduum, & rurſus ſemper alternis hebdo„madibus ad 3am, & 4am uſque vicem. Qua„ter quotidie ejus medicamenti 60 guttas de„derim (ait), hora ante jentaculum, & ante „prandium, bihorio poſt hæc, & ante no„ctem,

---

(*a*) L. c. Schol. ad §. 8. p. 791.

(*b*) Vide Tom. II. §. 84.

(*c*) L. c. §. 12. p. 26.

(*d*) L. c. p. 128. ſq.

„ctem, vitro probe prius agitato. Hac me-„dicina curatus haud pridem est verbi divini „minister septuagenario major, ex eodem plane „affectu his 6 mensibus bene valens, ab mi-„ctu cruento, & dysuria immunis.

d) *Uva ursi* in roborandis urophori systematis fibris remedium celebratæ efficaciæ mereretur, ut in mucosis præcipue hæmorrhoidibus vesicæ periculum illius medici faciant.

CAPUT IV.

D I A E T A.

§. XXXI.

1. ALIMENTA sunto medicamentis secundum indolem analoga; hinc non dyspepta, nec acria, diuretica, flatulenta, fibras laxantia nimis, nec sanguinem accendentia; sed blanda, eupepta, aperientia, alvumque apertam servantia.

§. XXXII.

2. AFFECTUS *animi* vehementes recidivam celerrime causant, præsertim ira, terror, mœror,

mœror, notante DETHARDINGIO (*a*). Ira enim ſanguinis motum accelerat, illumque rarefacit, vaſa diſtendit: hinc facilis hæmaturia, vel mucoſi infarctus. Terror autem ſpaſmos creat, reſuſcitat ſopitos. Mœror denique lentorem ſanguini inducit.

§. XXXIII.

3. AER porro ſiccus eſto, non humidus, iſte namque ſolida relaxat, & perſpirationem imminuit: unde materia perſpirabilis renes petens, indeque veſicam, morbum ſemper foveret. Contrarium autem facit aer ſiccus, præſertim calidus inſuper.

§. XXXIV.

4. MOTUS *corporis* moderatus, & æquabilis faciendus ad prima usque ſudoris indicia; cavendus vero omnis ſuccuſſorius pelveos, ac natium: hinc vitanda equitatio, vectio rheda per vias lapidoſas, foveisque inæquales, quod HOFFMANNUS (*b*) ægro cuidam diſſuaſit.

§.

(*a*) L. c. Schol. ad §. 10. p. 791.

(*b*) Vide §. 18. B. Nro. 4.

§. XXXV.

5. VENUS denique hic nocentiſſima cane pejus, & angue vitanda monente DETHARDINGIO (*a*); præterquam enim quod ſuccuſſorium plerumque corporis motum ſupponat; humores ſimul ad vaſa organorum in pelvi locatorum, proinde veſicæ etiam copioſe, impetuoſeque allicit: hinc recidiva facillima.

(*a*) L. c.

E R R A T A.

---

pag.	lin.	Errores	lege
3	24	Fleuts	Fleurs
33	2	conſequitur ,	conſequitur
—	17	SILVATHO	SILVATICO
57	19	conſ.	conſ.
66	16	diſſuria	dyſuria
78	14	qua	quam in
81	16	DIURETICA	DIURETICA,
83	12	♂lum	♂lem
89	21	innumeris ,	innumeris ;
93	14	aperiens album	aperiens , alvum
102	10	unde ſexaginta	un-de ſexaginta
111	1	prætium	pretium
120	23	Væ Se	Væ So
130	28	lychontriptica	lithontriptica
131	21	⊕lis	⊕li.
135	23	bimeſtri	bimeſtre
140	14	abhinc	abhinc annis
165	ult.	defiere	deſiere
172	4	pilulis	pilulas.

